NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
13 P
46

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
7A
15

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

12
1
8

Del Giunta · Giul. quarto

RODERICI A FONSECA LVSITANI Olyſiponenſis,

MEDICINAM ORDINARIAM IN ALMA PISANA ACADEMIA PVBLICE PROFITENTIS,

In Septem Aphoriſmorum Hippocratis libros commentaria, eo ordine contexta, quo Doctoratus puncta exponi conſueuere.

Quibus acceſſere eiuſdem Auctoris in ſingulas Sententias adnotationes, quę, non modo clariorem doctrinam reddant, verum etiam omnes ambiguitates tollant; opus cunctis Artis Medicæ ſtudioſis perutile ac neceſſarium.

Ad Illuſtr. & Reuerend. S. R. E. Cardinalem Montaltum.

Sixti huius nominis V. Pont. Opt. Max. Sempiternæ memoriæ Pronepotem digniſſimum.

CVM PRIVILEGIIS.



Venetijs, Apud Franciſcum de Franciſcis Senenſem.
M. D. X C V.

BIBL. NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISS. ALEXANDRO PERETTO.

S. R. E. CARDINALI AMPLISS. SIXSTI HVIVS NOMINIS V.

FOELICIS. MEMOR. PONT. OPT. Max. pronepoti digniſſimo, Rodericus a Fonſeca. S. P. D.

DEdicaueram olim Sixto huius nominis V. Pont. Opt. Max. propatruo tuo, ac fœliciſſime memoriæ Principi, librum de calculorum remedijs: at verò nunc tibi eius pronepoti digniſſimo Commentaria hæc mea in Hippocratis Aphoriſmos affero, quod tu Cardinalis Ampliſſime germen illius Sixti ſis; qui Iuſtitia, temperantia, omnique virtutum genere, priſcos illos Traianos, Neruas, ac Veſpaſianos longè latèque ſuperauit, urbem quicumque, eiuſque ſacras ruinas antea contemplati ſunt, Romanorum uirtutem ac potentiam miſerati, admirabantur, uerum qui Romæ faciem Sixti maximi tui opera conſtructam modo uident, cæteraque illius præclara opera ſpeculantur, inuictam il-

lam animi eius uim & magnificentiam contemplati, Sixtum paſtorem optimum & ſemper memorabilem principem uſque adeo commendant, ut qui ſe illi parem præſtiterit,

Argento fuerit, fuluo æquiparandus & auro.

Cum itaque tu Alexander optime, quaſi uiuum illius exemplar nobis affulgeas, eiuſque veſtigia proſequens, ueluti Mons altus es, nil non altum cogites ac efficias, eius virtutis & ſplendoris æmulus, hinc fit, vt merito multos renaſcentes Sixtos in te, & uideant, & augurentur omnes; hunc igitur meum laborem, ut bona fronte ſuſcipias obſecro, & tui nominis ſplendore protegas. Vale & diutiſſime viue clariſſimæ gentis Perettæ præſidium, decus, & ornamentum. Datum Piſis Anno 1593. Menſe Maij.

RODERICVS A FONSECA ADOLESCENTIBVS ARTIS Medicę ſtudioſis.

APhoriſticas ſeptem Hippocratis librorum ſententias, ea ratione explicatas in lucem profero, qua in recitandis Doctoratus punctis exponi conſueuere, quo quiſq; ſe exercere valeat. adnotationes quoq; in ſingulos Aphoriſmos addidi, ea facilitate dicendi conſcriptas, qua maiorem deſiderare non poſſitis, eáque doctrina refertas, qua ars uniuerſa peruia & facilis redderetur. Eas igitur, ſi præ manibus habueritis, non mediocris utilitatis uobis fore cognoſcetis. Valete, & me ueſtri amantiſſimum ſemper habete.

PRAEFATIO.

PRIVS, quàm ad textus explanationem deueniamus, nonnulla præfari opere pretium eſt, quę faciliorem aditum ad futuram doctrinam efficient. Dicendum itaque eſt de Auctore huius libri, quid ſibi velit, vel intendat in eo; de inſcribendi ratione, & deniq; de ordine.

Auctor. Quòd igitur ad Auctorem ſpectat, aſcribitur hic liber Hippocrati Heraclidis filio in Coo oriundo, qui præſens opus compoſuit iam ſenex, quaſi cumulum ſui laboris, vel ex his, quæ longo tempore in ægris curandis erat expertus, vel quod eius doctrinam deſumpſerit ex tabulis in Templo Aeſculapij repertis, quo, ſeu ob Aeſculapij Numen, ſeu ob Aſchlepiadarum nomen, & peritiam, multi conueniebant ægri; qui vbi hoc, vel illo remedio eſſent ſanati, nomen ægri cum remedio, in tabulis Templi notabatur: non quod (vt malignus quidam ſcripſit Andręas) Bibliothecam Gnidiam combuſſerit, ex quo hoc opus confecerit. Habuit hic Hippocrates Auum etiam alterum Hippocratem Magnum dictum, duos etiam nepotes eiuſdem nominis, quibus aliquod operum eorum, quæ paſsim Hippocratis nomine leguntur, tribuit Galenus. Cęterum Hippocratis Cous Heraclidis filius, quem huius libri Auctorem facimus, Princeps fuit Coacæ Academiæ, pręter quàm fuit & Rhodia, & Gnidia, quarum mentionem facit primo de Victus ratione in Morbis acutis. Quanta verò fuerit huius viri præſtantia; vel ex eo perſpicuum eſt, quod honores nulli Mortalium tributos, aſſequutus ſit; illi enim Aurea ſtatua erecta eſt; dies quoq. obitus illius ſacra fuit habita, conceſſa quoq. ſacrificia Eleuſina, & publico ęrario ſibi, poſteriſque ſuis inſtituta alimenta.

Huius

Huius viri opera ab aliorum operibus diſtinguuntur, teſte Galeno, Breuitate, Sententiarum grauitate, inuſitatis vocabulis.

Intentio Auctoris eſt Artem Medicam docere breui quodam compendio; ita, vt Coſmographos imitari videatur, qui dum vniuerſum Orbem in anguſtiorem mappam contrahunt, omiſsis vacuis terrarum ſpatijs, grauiores duntaxat ciuitates oſtendunt; quippe, & ipſe nunc, circunciſis longioribus demonſtrationibus, atque inanioribus ambagibus, nodos tantum, cardinesq; rerum notat, ex quibus alia, quaſi ex carcere depromat, nec mirum, nam Medicina propemodum infinita, ac multorum quidem hactenus opera, aucta, nondum tamen omnibus numeris abſoluta; quod in veſtibulo ſtatim aperiens, Artem longam ſtatuit, & vitæ noſtræ ſpatium longè excedentem; quem imitati poſteriores Medici, poſt longam Medicinæ indagationem, omnes denique ad compendium eam redegerunt. Intentio.

Inſcriptio huius libri à modo ſcribendi deſumitur, qui eſt Aphoriſticus, ac ſi dicas, Doctrinam per ſententias breues, & ſeparatas; eſt enim aphoriſmus ſententia vniuerſalis, grauis, breuis, ſeparata, & vera. Inſcript.

Quamuis difficilis ſit hæc doctrina, eo quod breuis ſit ſine ordine, varieq; tranſlata, primum tamen obtinet locum in Arte Medica, quoniam accommodatiſsima eſt ad memoriam, & compendium; difficultas verò, præceptorum opera tollitur. Illud tamen nimis tumidè prolatum à Galeno videtur, præcipiente ſcilicet, neminem ad Hippocratem accedere prius quàm vniuerſos eius libros perlegerit: nam ea eſt eius operum prolixitas, vt ad illos exactè legendos vix vita vniuerſa ſufficiat. Ordo.

Hæc præfari libuit, ante quàm ad expoſitionem textus deuenirem, in cuius explanatione eum ordinem ſeruandum mihi propoſui, quem ſeruare ſolent iuuenes

nes

nes in punctis Doctoratus recitandis, vt facilè vnuſquiſq. ſe exercere poſsit. Ordo igitur talis eſt, in primis nexus aphoriſmi explicabitur, deinde Auctoris intentio, tertio ratio intentionis, quarto diuiſio, quinto Demonſtratio, vltimo loco animaduerſiones, quæ aphoriſmi doctrinam peruiam, ac facilem reddent, & difficultates (ſi quę contingent) aperient. Vbi verò mihi propono nectendos inuicem aphoriſmos; non ita intelligendum eſt, vt concedam aliquem ordinem eſſentialem inter eos reperiri, ſed accidentalem, quocunque ſcilicet reſpectu ad inuicem copulentur.

RODERICI

RODERICI A FONSECA LVSITANI

Artis Medicæ in Piſana Academia Profeſſoris Ordinarij.

In Primum, & Secundum Aphoriſmorum librum Commentaria, ordine contexta, quo puncta Doctoratus exponi ſolent.

APHORISMVS PRIMVS.

Vita breuis, Ars longa, Occaſio &c.

CVM hic aphoriſmus ſic primus in ordine, non poteſt connecti cum antecedenti. cohæret igitur cum ſubſequenti, ea ratione, vt futuræ doctrinæ ſit quaſi quaſi principium, & fundamentum. Cōnexio.

Intentio Hippocratis in aphoriſmo eſt, explicare difficultates, quæ in Arte Medica contingunt. Intentio.

Ratio intentionis eſt, vt cognitis impedimentis ipſius Artis, Medicus, quantum in ipſo eſt, illa remoueat. Rō intentionis.

Diuiditur hic aphoriſmus in duas partes, in quarum prima ponit difficultates ex parte Medici; in altera verò ex parte rerum aliarum, quæ extrinſecus adueniunt. Diuiſio.

Quicunque docet aliquam Artem, debet in primis, præponere difficultatem Artis. Demōſtratio.

Sed Hippocrati præponitur Medicinæ traditio. Ergo

Difficultates eius ſunt in primis dicendæ.

Maior propoſitio probatur, quia conducit difficultates præponere ipſius Artis, vt commodis remedijs tollantur. Quamobrem melius eſt aſſerere, non proœmialem aliquam hic doctrinam poni (vt ait Galenus) ſed doctrinam vnam vtilem, & neceſſariam ad Medicinam.

Minor propoſitio clara eſt; nam intentio Hippocratis eſt in his libris, breui quodam compendio Artem totam docere.

Prima difficultas pendet ex longitudine Artis, quæ quidem reſpectu humanæ vitæ adeò eſt prolixa, vt ſi etiam vita nobis eſſet triplo longior (vel ipſo Galeno teſte) ſatis non eſſet ad pleniſſimam eius cognitionem; Tollitur hæc difficultas, ſi Ars aphoriſticè tradatur; ſi quæſtiones inanes, quaſque vocat Galenus Logicas, reſecentur ab Arte, ſi is, qui Me- 1. difficultas.

dicinam addiſcit, ingenio valeat, & ſumptibus; vt per otium Arti totus ſe det.

2. diff. Altera difficultas pendet ex operandi occaſione, quæ tùm in alijs rebus, tùm maximè in Medicina, & præcipuè in acutis morbis eſt momentanea, quemadmodum ſcripſit Hippocrates libro de Decenti Ornatu. » Nam corpus humanum humidum eſt, inſtabilia autem ſunt, quæ in humidis conſiſtunt, quare frequenter, & à natura, & à fortuna mutantur; quod inſtitutum tractans primo de Morbis, ait. Temporum occaſiones multas eſſe, & varias in Arte, quemadmodum etiam, & morbos, & affectiones, & eorum curationes; maximè verò repentinas in his, quibus animo defectis opitulari oportet, & qui nec vrinam, nec ſtercus egerere poſſunt, & qui ſuffocantur, & ſi mulierem parientem, aut ſauciatam liberare oportet, & cætera huius generis ſunt enim iſtæ occaſiones repentinæ, & paullò poſterius non ſufficiunt. Hæc ille. & rurſus primo Prognoſticorum. ita enim volat occaſio, vt alij moriantur, prius, quàm Medicum vocent, alij accito Medico de repente è vita diſcedant. » Hanc ergo occaſionem operandi tanti fecit Hippocrates, vt libro de Arte putauerit omnem morbum curari poſſe, ſi Medicus eam arripiat. Tollitur hæc difficultas, ſi Medicus frequenter viſitet ægrum, multa experientia, multa doctrina, multa diligentia, & dogmatum vtilium, ac maximè remediorum abundantia.

3. Diffic. Tertia difficultas pendet ex difficultate experimenti, quod in Medicina admodum eſt periculoſum; noua enim experiri, plena res eſt periculi; ſed & expertis vti periculoſum eſt, ob differentiam naturarum, morborum, temporis, ætatis, & aliorum, quæ prout uaria ſunt, diuerſam auxilij quantitatem, tempusq; deſiderant. Tollitur hæc difficultas aſſidua ægrorum multorum inſpectione, ſine qua Medicum, quaſi Aurum adulterinū, vocat Hippocrates. Tollitur deinde hæc difficultas, ſi à debilioribus incipiamus, ſi fieri poteſt, & tempus concedat; ſi omnia legamus, & paucis, & expertis vtamur.

4. Diffic. Quarta difficultas pendet ex ambiguitate iudicij, quoniam Medicus, tam in dignotione, quàm Prognoſtico, & curatione, multoties cogitur coniectura vti morbi etenim, qui intra corpus latent magis ex opinione, quàm ſcientia dignoſcuntur libro de Arte. Prognoſticum incertum eſt

Aph. 19. 2. Aph. Curatio maximè coniectura vtitur, præcipuè in quātitate remedij: Quamobrem Laudat Hipp (libro de veteri Medicina) Medicum, qui minus errauerit. Tollitur hæc difficultas, ingenio perſpicaci, multa doctrina, multa experientia & methodo.

5. Diffic. In altera parte textus tres ponit alias difficultates, quarum prima pendet ex ægroto, qui niſi Medico obediens fuerit, fruſtra laborat. Tollitur hæc difficultas Medici prudentia, per quam non ſolùm dignoſcuntur

tur hi, qui ægrotare ſimulant, ſed etiam ægrotorum peccata agnoſcuntur mentientium, ſi quando potiones imperatas non accipiunt. libro de Decenti ornatu teſtatur Hipp. Tollitur præterea, ægri gratificatione in his, quæ parùm nocere poſſunt, vt docet Hipp. in 6. Epid. Sect. 4. Prognoſticorum, per quod admirabilis Medicus habetur primo Prognoſticorum. Quartò, tollitur conſolatione, perſuaſione, atque etiam metu, ſi periculum imminens proponat.

Altera difficultas pendet ex illis, qui Medico inſeruiunt, ſeu ſint adſtantes, ſeu Chyrurgi, Coqui, clyſterum infuſores, & reliqua Miniſtrorum turba; quorum peccata Medicum rectè operantē impediunt: Quamobrem monuit Hippocrates, vt curam ægroti committat Medicus Artis peritis, qui per abſentiam ea, quæ vtilia ſunt addant, aut ſecurè offerant, & referant, quæ contigerunt, nunquàm verò committendos eſſe ægros imperitis: ſiquidem malefacti culpa transfertur in Medicum. Tollitur igitur hæc difficultas, ſi peritos miniſtros, ac diligentes eligat Medicus, ſi frequenter viſitet, occurrendo his quæ per errorem contingunt. 6. diff. Lib. de Decent. Orn.

Vltima difficultas pendet ab his, quæ fortuitò contingunt, quæ nullius Medici opere eueniunt, & interrumpunt, tum curationem cum etiam Prognoſticum, & omnia, quæ intra corpus à fortuna fiunt, cuiuſmodi multa eſſe ſcripſit Hippocr. Tollitur hęc difficultas Medici prudentia quantum fieri poteſt. Cùm igitur tot, tantaque ſint impedimenta in Medicina rectè conſuluit Celſus, non poſſe plures ægros vnà ab vno Medico rectè curari. 7. diff. Primo de Morbis.

Quòd vita noſtra duplici ratione breuis dicitur, cum comparatione ad Artem facta, tum etiam in ſeipſa: ad Artem quidem, propter multa, vaſtaque, quæ in ea continentur, in ſe verò, quoniam multæ ſunt plantæ longè viuaciores, quàm homo; animal enim, cùm propter motum, tùm etiam propter ſenſum, non tamdiu viuere poteſt: motus enim copiam caloris requirit maiorem, quàm in plantis, & ideò magis diſſoluit; ſenſus humiditatem requirunt facilè diſſolubilem. Addit Ariſt. conſtare animal ex humido aqueo facilè congelabili, viuaciores autem plantas habere humidum oleoſum. 1. Animaduerſio.

Quòd Medicinæ finis duplex eſt, alius principalis, quippe qui operatio dicitur; alius ſecundarius, qui eſt cognitio. Ex quo fit, vt Medicina Ars, & ſcientia dicatur propter opus dicitur Ars, propter cognitionem ſcientia. ideò ab Hippocrate, Ars, & ſcientia nuncupatur. Altera animaduerſio. Lib. de lege.

Quòd duæ ſunt Medicinæ partes, quarum altera doctrina dicitur, altera verò exercitatio; Doctrina in vniuerſalibus conſiſtit, docens affectionum in vniuerſum cognitionem, prognoſticum, & curam, quæ pars in libris, & Demonſtratione comparatur. Excercitatio autem, illa in par- 3. Animaduerſio.

 ticulari

ticulari reſpicit, quæ comparatur, cum per libros; qui ad particularia deſcendunt, quos Practicas vocant, tum etiam aſſidua ægrorum inſpectione. Has duas Artis partes vocat Galenus duo Medici crura, quorum altero deficiente, claudicare eſt neceſſe. Cum itaque dicit [Artem longam] non ſolum reſpectu doctrinæ intelligit, quæ breui comparatur in Academijs, ſed & exercitationis.

Quarta adnotatio. *Quòd proponens Hippocrates artem longam, monet Medicos, ne fruſtrà conterant tempus in vanis quæſtionibus, quas Logicas, & Sophiſticas appellat Galenus; quarum duplex eſt genus, aut enim de nominibus ſolùm diſſeritur, cuiuſmodi eſt illa, An ob vrinationem impeditam à lapide, veſica dicatur læſa. Vel diſputatur quidem de rebus, ſed vel extra Artem, vel ſcrupuloſius, quàm Arti conueniat, quæ ſenſum ſequitur.*

Primo de locis affectis.

Lib. de Veteri Medicina. *Ob primum reprehendit Medicos eos, qui ad Medicinam dicunt eſſe neceſſarium hominis cognitionem ſimpliciter, appellans ſophiſticos, quod ſufficiat Medico cognoſcere, quid eſt homo ad ea, quæ comeduntur. Ceterum quoad nomen attinet, non eſt fruſtra laborandum, ſed vel proprio nomine res tractanda, vel ſi non habet, eo quod aduerſarius concedit; aut denique arbitrio res nominetur.*

Quinta adnotatio. *Quòd in tertia parte textus Hippocrates, quaſi pro difficultate ponit Medici imperitiam dum ait, [Nec verò ſatis eſt Medicum ſuo functum eſſe officio.] propterea ex ipſiuſmet doctrina hic adducere oportet, quæ neceſſaria ſunt, ad hoc, vt Medicus rectè ſuum officium præſtet; ea verò*

Lib. de lege. *ſunt, Natura, Doctrina, Locus ſtudijs aptus, inſtitutio à puero, Induſtria, Tempus, & longa peregrinatio.*

APHORISMVS SECVNDVS.

In perturbationibus ventris, & vomitibus, &c.

Cõnexio. *CVM Hippocrates in ſuperiori aphoriſmo difficultates Artis explicaſſet, vt commodis remedijs illas tollamus, nunc ad propoſitum accedit, præceptum tradens de euacuatione, per quam vtile, & neceſſarium.*

Intentio. *Intentio Hippocratis eſt hæc. Euacuatio, ſi fiat humoris peccantis, inducit conferentiam, & tolerantiam: ſin minus, contra.*

Rõ intentionis. *Ratio intentionis; vt, vel ex vno ſigno, Medicus, dum euacuat, vel euacuauit, cognoſcat bonam euacuationem; non enim multitudine (vt vulgò dicitur) bona eſt æſtimanda vacuatio, ſed ex conferentia, ac tolerantia.*

Diuiſio. *Diuiditur præſens textus in tres partes: in prima, exemplo clariſſimo ponit medium ſuæ concluſionis: in altera parte ponitur auctoris intentio;*

in tertia

in tertia verò nonnulla adducuntur, quę, & ſententię veritatem explanant, & Medicum adiuuant in electione humoris euacuandi.

In vomitu, ſeu alui deiectione, quę ſponte natura fiunt, euacuato peccante humore, ſequitur conferentia, & tollerantia; ſin minus, contra. Demõſtratio.

Ergo Omnis euacuatio, quę ope Medici fit, ſi fiat humoris peccantis, affert conferentiam, & tollerantiam: ſin minus, contra.

Antecedens, pręterquamquod, ut experientia notum ſupponitur ab Hipp. poteſt tamen ita demonſtrari. Nam humor peccans eſt cauſſa morbi; eo igitur educto, ſequitur conferentia, quoniam autem natura rectè operans, non euacuat niſi humorem victum, ideo neceſſaria tollerantia; quòd ſi humor non peccans educatur, à contrario neutrum ſequetur.

Conſequentia probatur ex opere naturę ad opus artis, propoſito uno particulari exemplo, conſueto ſcilicet Hippocrati, optimoq; argumentandi genere; Nam cùm Medicus ſit naturę imitator, valet argumentum ab opere naturę ad opus Medici; quamuis ratio adducta etiam vniuerſalis ſit; Hippocrates autem argumentatur à poſteriori, tanquam à notiori, quòd ſi confert, & facilè fertur, peccans humor euacuatur.

In tertia Aphoriſmi parte in conſiderationem adducit regionem, tẽpus, ętates, ac morbos, tanquàm ea, quę, & peccantem humorem prę oſtendunt, ſententiamq; allatam declarant; nanq; ex illis nonmodò peccans humor cognoſcitur, ſed etiam impedimentum naſcitur pręfatę ſententię. Prima Animaduerſio.

Quòd ſpontanea vacuatio illa eſt, q̃ ſine ope Medici fit; hæc, uel fit natura vincente morbũ, quę nunquàm fit à principio, ſed apparentibus coctionis ſignis: alia verò fit natura ſuperata, cuiuſmodi ſunt illæ euacuationes factę prope mortem, debilitatæ retentricis, ut in Diſenteria Bilis atrę: Aut deniq; vacuatio fit natura irritata, quę media eſt inter illas duas. Prima ſemper fit cum conferentia, ac tollerantia. Altera uerò neutrũ habet: nã licèt atra bilis ſit peccans humor; ratione tamen cauſſę malum eſt. Tertia, aliquandò fit cum conferentia, quando coöperatur; ſed nunquàm cum tollerantia: quia fit in principijs morborũ, turgente ſcilicet materia; aliquando autem neutrum ſequitur natura non cooperante. Quamobrem ſcripſit Galenus nullam euacuationem in principio eſſe bonam: quoniam, vel ſine tollerantia fit, uel ſine tollerantia, & conferentia. Cum verò Hippocrates exemplum naturæ ſpontè euacuantis ſcribit, intelligit, Natura vincente morbum fieri. 4. Aph. 2.

Quòd per [*talia, qualia*] *intelligit Hippocrates humorem noxium, ſeu per qualitatem, quæ eſt κακοχυμία, ſeu per quantitatem, quæ eſt πληθώρα, nam u iſorum inanitio, qua voce utitur in conſequentia, quodcunq; peccatum comprehendit, licèt antecedens ſit magis de purgatione, quæ quidem eſt ſpecies euacuationis, per quam humor alius, præter ſanguinem, educitur. Non ſolùm autem aliqui, per* [*tale, quale,*] *peccan-* Altera Animaduerſio.

tem intelligunt humorē, ſed quòd ſit coctus loco, tempore, quantitate conueniente eductus; hæc enim neceſſaria eſſe dicunt, ad hoc, vt conferentia ſequatur, & tollerātia, Quomodo, ſēper redditur vera ſententia, quāmuis, ſi humorem peccantem, ſolum intelligamus, vt plurimum etiā vera ſit.

Tertia Animaduerſio. *Quòd, conferentiam, ac tollerantiam ſequi ad euacuationem noxij humoris, intelligitur, aut ſimul vtrunq;, aut alterum ex illis. Rurſus, uel iſta in ipſa ſequuntur euacuatione, vel paullò poſt, ſecunda, uel tertia die, nam dies euacuationis propter motum, & ſeparationem humoris, moleſtior eſſe ſolet in quacunque euacuatione; ex quo conferentia magis ſequitur hanc diem, quàm in ea.*

Quarta Adimaduerſio. *Quòd ſigna Medico neceſſaria ad euacuationem humoris noxij, quædam ſunt antecedētia, quædam conſequentia ipſam euacuationem. Rurſus antecedentia, quædam ſunt communia, quædam propria, & omnia complexus eſt Hippocrates in Aphoriſmo, nam ſignum conſequens bonam euacuationem, eſt conferentia, ac tollerantia. ex antecedentibus, cōmunia intelligit, per [tempus, regionem, ætatem.] Propria autem morborum nomine, quo quidem non ſolum morbum intelligit, verùm etiam ſymptomata peccantem humorem ſignificantia.*

Quinta Animaduerſio. *Quòd hæc quattuor aliquando ſunt impedimento, quò minus educto humore etiam peccante, ſequatur conferentia, & tollerantia. De tempore ſcripſit 4. Aph. [Sub cane, & antè canem difficiles ſunt purgationes.] Nec minus etiam difficultatis habere magnas temporum mutationes, penes Solſtitia, & Equinoctia.*

Aph. 5. Libro de Aer aqu. & loc.

De regionibus obſeruarunt Aſclepiades, & Galenus Pleuriticos Romę, & Athenis degentes phebloth omia non iuuari, quòd Auſtro vtraq; ciuitas ſit expoſita: contrarium autem accidere in Helleſponto, quòd iaceat ad Boreas.

De ętate prohibuit Galenus ſanguinis miſſiones in Pueris, & Senibus.

De morbis verò, nonnulli ſunt, qui euacuationes reſpuunt, quamuis eā expoſtulent, vt Syncopis, quæ ex humorum frigiditate fit. Adhæc addere oportet temperamentum, conſuetudinem, victus rationem, à quibus difficultas, vel facilitas vacuationis cum pendeat, impedimento eſſe poſſunt, quò minus conferentia, & tollerantia ad humoris noxij eductionem ſequantur.

APHORISMVS TERTIVS.

Habitus Athletarum, qui &c.

Cōnexio. *CVM Hippocrates de qualitate vacuandi in antecedenti tractaſſet; in præſenti modò de quantitate eiuſdē agit, ſeu de menſura humoris educendi,*

educendi, qui quidem eſt alter ſcopus in euacuatione neceſſarius.

Tantum vacuare oportet, quantum vires ferunt. Intentio; Rō intentionis.

Quoniam multi ſunt ſcopi euacuationis, ſicuti, & omnes Medici ope
rationis, nec ſatis eſt vnum, vel alterum, ſed omnes ſimul habere. Sunt
autem, an euacuandum, qualis humor, quantum, quare, quo loco, quo tem-
pore, quo modo. Decet igitur de omnibus is agere; quare in antecedenti de
qualitate, in hoc verò de quantitate verba facit. Rurſus, vt oſtendat non
eſſe tantum humoris vacuandum, quantum peccat, ſed infrà ſubſiſtendũ,
ſi vires non ſufferunt.

Diuiditur Aphoriſmus in duas partes: in prima, veluti factum eſt in Diuiſio.
antecedenti, probat clariſſimo exemplo ſuam intentionem: concluſionem
ponit in ſecunda, atq; etiam corollarium deducit.

Extrema vacuatio minimè facienda eſt in athletis; Demonſtratio.
Ergo nec in alijs vlla vacuatio ultra vires eſt facienda.

Antecedens probatur, quoniam nulla extrema vacuatio eſt tuta, nam
omne nimium naturæ inimicum dicit Hippocrates. Preterea ſi extremè 2. Aph. 51.
euacuarentur Athletæ, educeretur ſimul humor peccans, & non peccãs;
quoniam non totus ſanguis peccat.

Conſequens manifeſtè ſequitur; quoniam ſi Athletæ, qui ſunt ſummè
pleni, non ſunt extremè vacuandi; eò minus reliqui.

In altera parte deducit Hippocrates extremas repletiones eſſe pericu
loſas ab eodem exemplo; ſiquidem ſummè repleti Athletæ, niſi euacuen
tur, periculum eſt, ne repente ſuffocentur, aut vaſis eruptis, in periculum
vitæ incidant.

Quòd ſcopus, qui quantitatem reſpicit, ſeu euacuationis, ſeu repletionis, Prima Animaduerſio.
adeò difficilis eſt, vt non poſſit Medicus ad vnguem id determinare, ſed
quàm proximè per coniecturam aſſequitur. Ad menſuram ergo humoris
vacuandi, primò quantitas humoris conſideranda, tanquàm indicans, de- Dicta, & de veteri Medicina.
inde virtus cum tempore, regione, ætate, & conſuetudine, quę prohibent,
aut aſſentiunt. Tantum ergo vacuandum, quantus eſt humor peccans,
ſi vires tollerant, ſi verò non tollerant; quod ſemel fieri nõ poteſt, pluries
repetendum. Cum verò à virtute ſumma omniũ ſumatur indicatio, ideo
Hippocrates, potius per virium tollerantiam, quàm per humoris, quanti
tatem, euacuationis menſuram deſcripſit.

Quòd extrema uacuatio periculoſa dicitur, non ſolum ſi vires non tol Altera Animaduerſio.
lerant; ſed etiam ſi tollerant. Sed dicet aliquis, quomodo extrema uacua
tio poteſt eſſe cum tollerantia, ſi talis omnis eſt vltra vires? Dicas tollerã
tiam eſſe duplicem, vel in actu, vel in potentia: vires igitur concidunt
actu in euacuatione, quæ eſt ad λειποθυμίαν, ſed non potentia, at in ea,
quæ eſt ad ſyncopen, utroque modo. Primo modo conceditur vacuatio ex Aph. 23.
trema, infra. Altero verò, prohibetur.

Tertia Animaduerſio. *Quòd habitus corporis, dicitur firma, & ſtabilis ipſius conſtitutio, quæ eſt in duplici differentia, ſalubis ſcilicet, & inſalubris. Rurſus ſalubris, quę bona dicitur; aut eſt talis abſolutè, vel bona dicitur reſpectiuè. Habitus ergo Athletarum non eſt bonus ſimpliciter, ſed ab Athleta intentus, qui nil aliud cogitat, quàm humores, & carnes adaugere, multa ciborum, & potuum ingluuie. Quamobrem, quando ad ſupremam illam plenitudinem deuentum eſt, periculum ſuffocationis, aut ruptionis imminet vaſorum, niſi quis citiſſimè euacuet per ſanguinis miſſionem: nam inedia, frictiones, purgationes Athletis non conducunt.*

Quarta Animaduerſio. 1. de Dieta. *Quòd ſanitas (auctore Hippocrate) conſiſtit in proportione cibi ad laborem: quando igitur labores ſuperāt, neceſſe eſt plenitudinem fieri, quę paullatim ſubcreſcens, ad ſummumq; perueniens, in extremum deducit corpus ipſum. Athletę igitur plus ſumunt, quàm conſumere poſſint. Quamobrem paullatim vaſa adeò replentur, ut deniq. ad extremam plenitudinem deueniant; appetunt tamen Athletę ſemper & vera, & naturali fame; tùm quoniam validum habeant calidum innatum, cùm etiam quoniam vehementer exercentur; cùm quòd natura nunquàm quieſcat; ideo partes ſemper attrahunt; tùm, quoniam nulla poteſt eſſe adeò extenſa plenitudo, quin aliquid de nouo poſſit ingredi, homine viuente.* Aph. 14. 6. Epidem.

Quinta adnotatio. *Quòd extremam uacuationem deſcribit Hippocrates per vaſorū concidentiam, uel compreſſionem; quoniam contingit uaſa concidere, atque comprimi exinanita; nam uidemus in his, qui inedia uexantur, contrahi uenas, & carnis molem, ſicut extendi in lautè pranſis, ac nimis repletis.*

APHORISMVS QVARTVS.

Victus, tenuis, atque exquiſitus, &c.

Cōnexio. CVM de operatione Medici, quę ad ablationem pertinet, in ſuperioribus actum ſit, deque ipſa euacuatione, quò ad qualitatem, & quātitatem; Nunc de ratione alendi agit, quę ad adiectionem pertinet: eſt enim Medicina adiectio, & ablatio, teſte Hippocrate. Li. de Flatibus.

Intentio. *Vna uictus ſpecies, omnibus morbis conuenire non poteſt.*

Rō intentionis. *Vt diuerſas uictus ſpecies Medicus preſcribat, pro morborum diuerſitate.*

Diuiſio. *Diuiditur Aphoriſmus in duas partes; in prima ponit Antecedēs ſuę concluſionis; in altera uerò illius probationem adducit.*

Demonſtratio. *Victus tenuis, & exquiſitus, omnibus morbis non conuenit.*

Nulla igitur uictus ſpecies reperiri poteſt oībus morbis accomodata.

Antecedens ponitur in prima parte textus, & in ſecunda probatur, hoc pacto.

Victus

Victus extremus in tenitate, vel craſſitie, eſt formidabilis, ac periculoſus, nec cõuenit omnibus morbis, quoniam omne nimium eſt naturę inimicum. Ergo

Eadem ratione tenuis exquiſitè, cùm ratione peracuti morbi ſit extremus ad plenitudinem; ratione longi ad tenuitatem, pericoloſus eſt, & propterea minimè omnibus morbis conuenit.

Conſequentia probatur, quia victus tenuis exquiſitè, medius eſt inter ſpecies victus tenuis: Ergo ſi ille non competit omnibus morbis, neque etiam alia ſpecies victus.

Quòd morbus multas habet differentias, inter quas ea, quę ad tẽpus ſpectat, uel vt noſtro inſtituto accõmodata, expendetur. Eſt ergo omnis morbus, vel longus, uel breuis. Breuis eſt morbus, qui 40. diebus terminatur, ultra quos longus appellatur. Rurſus breuis, uel eſt ſine periculo, ut Ephemera; uel cum periculo, & acutus dicitur, ut plauritis, pulmonia, phrenitis, febris ardens, quemadmodũ teſtatur Hippocrates. Rurſus acutus, uel eſt quattuor dierum terminabilis, qui eſt exactè peracutus; uel ſeptem, ut peracutus ſimpliciter; uel intrà quattuordecim, ut acutus ſimpliciter, uel ad uiginti dies, & dicitur acutus non ſimpliciter, uel ad 40. qui eſt acutus ex decidentia. Prima Animaduerſio. Primo Acutorum.

Quòd quemadmodum plures ſunt morbi ſpecies, ita etiam plures sũt uictus ſpecies, pœnes maiorem, uel minorem refectientiam; nam alimentum, uel ualdè reficit, & dicitur plenum, uel mediocriter, & dicitur medium; uel parùm, & dicitur tenue. Primum ſanis competit, ut caro uituli, aut ueruecis, aut uina grandia. Alterum uerò corporibus neutris, ut ſenibus, & conualeſcentibus, & morbis longis, ueluti eſt caro pulli, uina mediocria. Tertiũ acutis competit morbis, cuius adhuc plures ſunt ſpecies: nam uel manditur, & dicitur cibus, ut mica panis iure intincta, & tota ptiſana; uel ſorbetur, ut ſuccus ptiſſanę, uel bibitur, ut melicratum; uel denique nihil aſſumitur, quod eſt inedia. Altera adnotatio. Lib. de veteri Medicina.

Quòd alendi ratio (teſte Hip) eadem eſt, & in ſanis, & in ęgris; quoniã in utriſq; propter ſanitatem eſt inuenta, quippe in ſanis cùm non poſſent ſuperare fęrinũ, ut carnes crudas, uel Hordeum; coacti ſunt eam uictum ad temperiẽ redigere, ut ab humana natura ſuperari poſſet. cùm uerò ęgri ſuperare non poſſent ſanorum uictum, ad cibos per quàm debiles deuenerunt. Cũ uerò, nec hos aliqui ex ęgris ſpperarent, ſorbitiones; ſi uerò, nec has, potus, uel denique extremam inediam. Quattuor itaque ſunt uictus tenuis ſpecies, cibus, ut tota ptiſana; ſorbitio, ut eius ſuccus: potus, ul mulſa, atq. inedia. prima dicitur uictus non exquiſitè tenuis competens morbis acutis terminabilibus ultra 14. dies. Altera, dicitur tenuis exqſita, morbis acutis ſimpliciter accõmodata. Tertia dicitur tenuiſſima non exquiſitè, peracutis nõ exactè conueniens. Quarta tenuiſſima exactè, Tertia Animaduerſio. de veteri Medicina.

peracu-

peracutorum morborum exactè propria. Ex quibus mens Hippocratis declaratur; nam ſorbitio, quæ dicitur exquiſitè tenuis victus, non competit omnibus morbis, ſed tantummodò morbis exquiſitè acutis, nam in longis extremè tenuis eſt, & in acutis ex decidentia, in peracutis ſimpliciter, extremè plena. vt verò iſta, differentias percipias, tùm morborum, cùm etiam victuum, tabula ſubſcripſimus.

- Morbus
  - Breuis qui terminatur intra dies 40.
    - Sine periculo, vt Ephemera.
    - cum periculo, qui dicitur acutus.
      - 4. dierum, qui dicitur peracutus exactè.
      - 7. dierũ, peracutus non exactè.
      - 14 dierum, qui dicitur acutus exactè.
      - 20. dierum, qui dicitur acutus non exactè.
  - Longus, qui tranſit 40. dies.
    - 40. dierum, qui dicitur acutus ex decidentia.

- Victus
  - Plenus, qui vires auget, conuenitque ſanis corporibus, vt
    - Caro caſtrati, vituli, ſuis vina grãdia
  - Medius, qui vires conſeruat, competitq. morbis longis, vt caro
    - auium peſciculorum Vina mediocria.
  - Tenuis qui vires imminutas ſeruat.
    - Tenuiſſimus exactè, qui cõpetit acutis exactè 4. dierum, vt inedia. — inedia.
    - Tenuiſſimus nõ exactè, cõuenit peracutis nõ exactè 7 dierum, vt Melicratum. — Potus.
    - Tenuis exquiſitè, cõuenit exquiſitè acutis 14. dierũ, vt ſuccus ptiſanæ. — Sorbitio
    - Tenuis nõ exqſitè, cõpetit morbis 20. dierũ acutis nõ exquiſitè, vt tota ptiſana — Cibus.

Quarta Animaduerſio. *Quòd Antiqui (vt refert Hippocrates primo acutorum) maximè peccabant, quoniam vna victus ſpecie utebantur in omnibus morbis, quos hic reprehendit, diuerſam uictus rationem ſtatuens, ſecundum diuerſas morborum ſpecies.*

Quòd

Quòd victus tenuis definitur à Galeno; qui vires imminuat, nõ quòd reuera ſit aliquis victus, qui vires imminuat, ſed dicitur talis reſpectiuè, propter victũ plenũ, & mediocrem: dicitur autẽ victus tenuis tribus modis; ſpecie; quantitate, ac numero. de quib. omnib. loquitur Hipp. ſed præcipuè de tenuitate ſecundum ſpeciem; ſunt enim victus tenuis ſpecies quattuor, Cibus, Sorbitio, Potus, Inedia. Notat tamen Galenus; quantitatem victus aliquando variare ſpeciem, vt ſi ſuccus ptiſanæ in pauca quantitate detur; cum alioquin dicatur victus tenuis exquiſitè, vim habet molicrati, quod ad victum non exactè tenuiſſimum pertinet. — Quid: adnotatio. … ...

Quòd inter cętera alimenta, morbis acutis accõmodata, extollit Hippocrates ipſam ptiſanam, qua quidem non ſolum vtitur in ægris: ſed in exemplis, vbicunque de victu tenui loquitur. dicitur autẽ ptiſana à pinſendo, ſeu decorticando, quoniam frumenta ad ipſius confectionem trita, & decorticata aſſumebantur, quæ, licet ex varijs fermentis, ut Oriza, Cõdro, Tritico, Lẽte, & Hordeo, antiquitùs fiebat: optima tamen, & celebratiſſima ex Hordeo conficitur. Modus autem conficiendi talis eſt. Grana optimi Hordei, in aqua infunduntur; deinde aqua calefacta, extrahũtur, & leuitèr in mortario trita, fricantur, ac decorticantur; inde exccantur. Hoc hordeum ita præparatum, cruda ptiſana dicitur. Cocta uerò, ita communiter, fieri ſolet. ℞. huius crudę ptiſanę libram vnam, aquę optimę libras 30. infunde per 24. horas, inde coquito vſq; ad totius aquæ conſumptionem; ſic, vt grana hordei in congeriem vnam coëant, quæ congeries ita parata tota, ſeu granoſa dicitur ptiſana, cibus tenuis nõ exquiſitè acutis morbis accommodatus, qui tranſeunt dies 14. Ex hac ptiſana ſecundum maiorem. vel minorem expreſſionem ſuccus extrahitur, uictus nimirum exquiſitè tenuis, morbis exquiſitè acutis acommodatus. — 6. Adnotatio. — Modus cõficiendi Ptiſanã.

Quòd in exhibenda ipſa ptiſana, vel ipſius ſucco Hipp. multa obſeruat; primùm vt ex optimo hordeo ſit facta, & quàm maximè cocta, deinde, ut non detur illis, quibus adhuc in ſtomaco cibus incluſus eſt, ſed expectandum, quò ad infernas partes deſcendat. Tertiò, quãdo ſiccior eſt morbus, quàm conuenit, ſeu crudior; nam in pleuritide ſi dolor ſit magnus, ſputum in coctum, difficultas ſpirandi, ſiquis, non facta prius euacuatione ptiſanam dederit præcipitem in mortem aget. — 7. Adnot. — 1. Acutorum.

Quòd Medicus triplici potiſſimùm vtitur remediorum genere, Diæta, Farmacia, & Chirurgia: per duo vltima manifeſtè, vel iuuat, vel nocet; at per Diætam non apparet; tamen re ipſa magis per Diætam operatur, quàm per reliqua duo, cum magnam facultatem habeat ſanandi, debilitandi, & occidendi, — 8. animaduerſio. — 4. Acutorũ, & Lib. de Veteris Medicina.

Quòd Hippocrates uituperat uictus rationes extremas, vt periculoſas, & maximè fugiendas, quamuis alibuãdo cõducant, ut dicemus. Proinde Prodicũ accuſat, quippe qui febricitantes inedia, & exercitio necabat; — 9. Animaduerſio. — 6. Epidẽ.

11. Acutorum. *nec nō Medicos illos Diatriarios, qui per tres dies omni cibo abſtenios ſeruabant ægros: eſt enim tenuitate extrema hæc uiuendi ratio. Ea ratione reprehenditur Petrona, & eius ſequaces, qui Carne, ac vino ęgros ſaturabant, nouo quodam & inuſitato curandi genere.*

10. Animaduerſio. *Quòd ea fuit mens Hip. in acutis morbis nutriendis, ut magis laudauerit Medicos, qui ad tenuiorem, quàm eos, qui ad pleniorem declinabant, quoniam maior eſt in illis indicatio, quæ ſumitur à morbo ad paucitatem, quàm à viribus ad conſeruationem, ac proinde maior committatur error peccando ad pleniorem, quàm ad tenuiorem victum.*

APHORISMVS QVINTVS.

In tenui victu ægri delinquunt, quo fit &c.

Cōnexio. *CVM in præcedenti Aphoriſmo de ratione alendi ægros ſecundum diuerſas morborum ſpecies egiſſet, nec poſſe vnam victus ſpeciē, qualis eſt tenuis exquiſitè, omnibus morbis competere: nunc præceptum, ad eum victum pertinens docet, admodum neceſſarium.*

Intentio. *Quò tenuior eſt victus ratio, eò magis eſt periculoſa.*

Rō intentionis. *Vt magnoperè animaduertat Medicus in victus ratione breuiori, & eò magis, quò victus tenuior fuerit; quoniam errata, quæ in tali victu cōſiſtunt, magni ſunt momenti, vt ægrum perdere poſſint.*

Diuiſio. *Diuiditur Aphoriſmus in tres partes; in prima, & ſecunda probatur concluſio ſecundum diuerſas partes. In vltima parte concluſionem ponit intentam.*

Demonſtratio. *Victus eò eſt periculoſior, quò maiorem præbet peccandi occaſionem, & peccatum commiſſum grauius eſt.*

Sed quò tenuior fuerit victus ratio maiorem dat peccandi occaſionē, & peccatum grauius eſt.

Quò igitur tenuior fuerit victus, magis periculoſus.

Maior eſt manifeſta. Minor verò probatur in prima textus parte, hac ratione, quoniam quò tenuiùs alitur ęger, eò maior fit mutatio, ergo maior peccandi occaſio, & propterea magis læduntur; quia magis peccant. Lib. de Arte. *Quadere ſcripſit Hipp. ægros morbi plenos, ciborum inanes, potius, quæ morbo grata ſunt, quàm quę ad ſanitatem faciunt, appetere. Hùc accedit, quòd morbus, quantò tenuiorem victum deſiderat, tantò eſt vehemētiori; ideo peccata grauiora.*

In altera textus parte exemplo ſanorum, eandem concluſionē probat; ſic. Sani, quò exquiſitius viuunt, difficilius errata ferunt, quia debiliores, ergo, & ægris: ualet Argumentum, quia ſani ſunt fortiores, ęgri verò debiliores; nam qua ratione ſe habent ſani debiles ad ſanos robuſtos, ea

ſe habent

ſe habent ęgri ad ſanos, pręcipuè morbis acutis laborantes; in quibus, quàm graue ſit peccatum, nautarum exemplo, declarat Hippocrates, nam in tranquillitate nauigantes, ſi quid peccetur, non magnopere lędit: at in forti procella paruus error Nauem perdit, ea ratione, & in morbis, ſi fuerint leues, parum negotij faceſſunt, at vbi fuerint magni, & periculoſi, vt acuti, iam manifeſta ſunt peccata, eaque grauiſſima. Lib. de veteri Medicina.

Quòd duplex eſt viuendi genus; alterum quidem accuratum, & exquiſitum, alterum verò indifferens, cum homo nullam ſeruat victus rationem determinatam. Sani homines nullis legibus obligari debent Celſo Auctore; ideo ſecundo modo viuere debent; at inſalubres, primo viuẽdi genere ꝛ ti conducit; exquiſitus namque victus, præterquam quòd breuẽ faciat vitam, periculoſus etiam eſt ob varios vitæ errores, per quos, ſi illa viuendi ratio mutetur, ferè morientur; quod de ſenibus ſcripſit, ſi ad iuuenes comparentur. Quamobrem ad inſolitam faciendam mutationem conſuluit loco citato. Prima Animaduerſio. Hip. 6 Epidem. 2. Aph.

Quòd hic Hipp. non comparat victum ad victum ea ratione, vt Medicus debeat declinare magis ad hunc, quàm ad illum; ſed comparat duas ſpecies victus, ea ratione, qua ſunt minus vel magis periculoſę, non ſupponens aliquem Medici errorem; exempli gratia ſupponantur ægri duo; quorum alter potu alatur ſibi cõueniẽti; alter verò ſorbitione, quæ illi conducat; vtraque illis conducit: ſed periculoſior eſt prima, quàm ſecũda: non tamen ex hoc infert, declinandum ad pleniorem, vel tenuiorem, vtraque enim (vbi conuenit) imperanda; ſed potus magis formidabilis, quàm ſorbitio; & hæc, quàm Ptiſana: idcirco maximè præcauendum errorem Medici, ægri, adſtantium, quò tenuius alitur ægrotus. Altera Animaduerſio.

Quòd Medicus ſtatim in prima die eligit victus ſpeciem ſeruandam vſque ad morbi vigorem. Nunc itaq; ſi errandum ſit, conducit pleniorem eligere, vel tenuiorẽ, dico tenuiorem, loquendo de morbis acutis, quoniam maior eſt indicatio, quæ ſumitur in morbo acuto ad prohibendum, quàm à viribus ad conſeruandum Hippocrate auctore docente conducere, vt cibus detrahatur, donec morbi vigor matureſcat: quinimò longè magis peccare eum, qui cibum dat, vbi non conuenit, quàm illum qui negat, vbi conuenit. dixit tamen plerũque tenuiorem victus ſpeciem eligendam, quoniam aliquando contingit ob virium infirmitatem pleniorem eligere. Tertia adnotatio. Lib. Acutorum.

APHORISMVS SEXTVS.

Extremis morbis, extrema remedia &c.

CVM *Hippocrates in pręcedẽtibus aphoriſmis extremã euacuationem, et repletionẽ periculoſas eſſe ſtatuerit, in præſenti modo aphoriſmo* Cõnexio.

riſmo præceptum tradit,ad extrema auxilia ſpectans maximè vtile, ac neceſſarium.

Extremis morbis extrema remedia optima ſunt.

Intentio. Rō intentionis. *Ne putaret aliquis, idcircò non eſſe obeunda extrema remedia, quoniam dictum eſt ſuperius eſſe periculoſa, & vt illos reprehendat; qui ſemper à leuioribus auxilijs inchoandum eſſe curationem contendunt.*

Diuiſio. *Breuitas aphoriſmi diuiſionem non admittit.*

Demōſtratio. *Remedium debet eſſe æquale morbo.*

Sed extremo morbo æquale eſt remedium extremum. Ergo Extremo morbo remedium extremum adhibere conuenit.

Maior, atque Minor adeò ſunt claræ, vt probatione nulla indigeant.

Prima adnotatio. *Quòd morbus extremus duplex eſt, vel actu talis; vel potentia. Extremus actu, eſt peracutus morbus; potentia verò extremus triplex eſt. Primus quando materia turget; ſecundus quando timor eſt, vt ſuperueniat magnus morbus, veluti in Athletis ad ſummū plenis; tertius quando morbus habet periculum in mora; veluti ſanguinis ſputum, in principio ſanabile, in fine verò, nequaquam, ſuppurati dum vires valent ſectione ſanabiles; cum verò debiles, nequaquam. De omnibus his morbis uera eſt allata ſententia.*

Altera Animaduerſio. *Quòd extremum remedium, alterum eſt propriè extremum, ut inedia in uictu, ſanguinis miſſio ad λειποθυμίαν, purgatio uehementiſſima; alterum eſt impropriè extremum, quod quidem magnum, ac generoſum dicitur, ut ſanguinis miſſio, aut purgatio. Hæc remedia dicuntur extrema, quāuis reipſa non ſint: quoniam aliquando ſortiuntur uim extremi remedij, ueluti ſanguinis miſſio, etiam nō extrema in Apoplectico ſalutem, uel mortem affert, & Aemoptoico eodem modo. Magna igitur remedia, magnis morbis; extremaque extremis conueniunt.*

Tertia Animaduerſio. *Quòd licet ex doctrina Hipp. exēplis manifeſtare hanc ſententiā: nam in peracuto morbo ſtatim extremum uictum præcipit in ſequēti Aphoriſmo. Exemplū habes etiam, adhibens frigidæ aquæ magnam perfuſionē in*

5. Aph. 21. *diſtinctione, dūmodo ſit in iuuene Carnoſo, æſtateq; media ad caloris reuocationem, quod pertinet ad Pharmaciam, nunquam ex doctrina Hippo-*

Huius 22. *cratis ad λειποθυμίαν purgandum. In Chyrurgia ſanguis eouſque mittit, idq; maximè in magnis inflāmationibus, quales ſunt pleuritides magnæ,*

4. Acutor. *dolore ad clauiculam attingenti, uirtute conſtanti.*

Quarta adnotatio. *Quòd per extrema remedia curantur morbi non ſolum magni, & extremi, ſed maligni; quare in peſtilentibus febribus Medici hac noſtra tempeſtate aquas, & Olea, quæ uim ignis habent adhibent, ſeu intus ſumpta, ſeu extra admota; per quæ aliquando, quaſi ab inferis reuocant ægros, & aliquando mittunt: ſed ex ſententia Galeni ubi unica uitæ ſpes eſt, eaque ſola; præſtat magis aduerſus pericula ire, quàm certo moriturum derelinquere,*

quere,

quere & ex Celſo melius eſt anceps experiri remedium, quam nullum; id, quod perpetuò ſeruat Hipp. dum ſecat, & adurit ſuppuratos, lienoſos, hepaticos, hydropicos, aliosque huius generis morbos curat.

Quòd multa ſunt genera magnorum remediorum, quibus morbi pertinaces pelluntur. Primũ pertinet ad cibos, & potus, quales ſunt ligni guaiaci, cinæ, ſarſæ, cum extenuanti victus ratione. Alterum genus pertinet ad frequentes euacuationes. Tertium ad Alexipharmaca, ſeu magna anthidota, quale eſt Mithridatum, Theriaca. Quartum per olea, & aquas diſtillatas, & mineralia, vt aqua, quę vulgò dicitur Acqua de Petecchie, quas Ἐξανθήματα, Græci vocant. Olea contra venena vocata; & inter mineralia Anthimonium; quod ex ſententia Theophraſti, atque experientia comprobatum eſt curare quartanarios, inſanos, melancholicos, hydropicos; eiusque generis morbos longos, ac peſſimos. Quintum genus pertinet ad ignem, quod tanquàm præſtantiſſimum, modò fungo, modò ligno, modò ferro vtitur Hipp. ad intemperies frigidas tollendas, caloremque natiuum reſtituendum, ut in Iſchiaticis, Apoplecticis, Epilepticis. Sextũ genus, mutatio regionis, nã Hippocrate teſte ſexto Epidem. in longis morbis terram mutare optimum eſt. Septimum genus per Balnea fit, quæ medicata dicuntur. 5. Animaduerſio. Sect. 5.

Quòd vbi neceſſitas non vrget, curatio ſemper inchoanda à debilioribus; tum, ut natura paullatim aſſuefacta ad mutationẽ, magna poſtea remedia ſufferat; cùm etiam ne, ſi contingat error (quod plerunque fit) nimis noceamus. Sed dicet aliquis, ſi remedia debent eſſe æqualia, quomodo à debilioribus inchoandum? Reſpondetur, quod æquale duplex, uel gradu, quod ſemel adhibitum, morbum tollit, uel numero, quod pluries adhibitum morbum tollit. poteſt ergo remedium eſſe debile gradu, ſed ęquale numero; nã regula illa, quod curatio fiat per æqualia intelligenda eſt, niſi quòd prohibeat, quoniam aliquando propter vires, minus quàm decet vacuandum, aliquando magis, ob futuri morbi timorem. 6. Adnotatio. 2. Aph. 51

Quòd morbus extremus dicitur ab Hipp. non ille, qui naturam uincat, ſed qui cum ea validè confligit, & cum periculo, aliquam tamen Medicò ſpem ſalutis affert; quoniam, in quibus natura omninò victa eſt, manus auxiliares negat Medicus, ne (referente Galeno) infamentur remedia, quæ quidem alijs auxilio fuere. Cęterum deſperatus morbus duplex eſt, uel, qui neceſſariò, occidit, in quo nihil præſtat Medicus, uel ex illis eſt, qui licet plerunque occidant; aliquando tamen præter ſpem ſanatur, in quibus non licet ęgrotantes deſerere, ſed licet auxilia experiri etiam magna, at cum proteſtatione adſtantium. Hoc conſilium ſecutus Galenus, febrem Hecticam in tertia ſpecie Balneo curare tentauit. 7. Adnot. Lib. de Arte Hip. in methodo.

APHORISMVS SEPTIMVS.

Cum itaque morbus peracutus eſt &c.

Cõnexio. *CVM in 4. Aphoriſ. præcedenti, vnam victus ſpeciem non poße omnibus morbis cõuenire ſtatuiſſet, ſed varias, prout morbi euariant; nunc particularem cuiusq; ſpeciei applicationem explanare intendit, ab vno extremo morbo tamquàm regulam, cætera deſumens.*

Intentio. *Duas habet concluſiones, prima in morbo peracuto tenuiſſimo victu vti oportet: altera verò, quò morbus magis diſtat ab illo extremo, plenior conuenit victus ſpecies.*

Rõ intentionis. *Quoniam non ſufficit dicere vnam victus ſpeciem, qualis eſt exquiſitè tenuis, omnibus acutis non conuenire, quod factum eſt in 4. aphor. ſed aßignare oportet, quæ nam victus ſpecies cuique morbo competat, quod hic facit Hippocrates.*

Diuiſio. *Diuiditur aphoriſmus in duas partes, in quarum altera primam victus ſpeciem conſtituit, morbo extremo conuenientem, à qua tanquam à norma in altera parte reliquas conſtituit ſpecies, ſecundum varias acutorum claſſes magis, & minus diſtantes.*

1. Demõſtratio. *Prima concluſio ſic deducitur.*

Morbus extremus, tenuiſſimum victum requirit

Peracutus morbus eſt extremus. Ergo

Tenuiſſimum victum expoſcit.

Maior eſt aphoriſmus ſuperior. Minor probatur in textu, cũ enim peracutus mobus extremos ſtatim habeat labores, extremus meritò dicitur.

Altera demõſtratio *Morbus extremus inediam requirit.*

Tot igitur gradus faciendi, victus, quot ſecundum magis, & minus ſunt ſpecies acutorum morborum.

Antecedens ſupra probatum eſt. Conſequens deducitur, quia morbus victum reſpuit; ideo, quo fuerit minus extremus, minus reſpuit, ideò plenior victus ſpecies illi debetur, quo magis ab extremo diſtat: ſed quattuor ſunt morborum claſſes, ſecundum magis, & minus diſtantes ab illo extremo; quattuor igitur tenuis victus ſpecies illis debentur, extremus eſt quattuor dierum, illi inedia: primus ab hoc ſeptem dierum, illi conuenit Potus. Alter ab hoc 14. dierũ, Sorbitio 3. 20. dierum, Ptiſana. 4. 40. dierum, Cibus.

Prima adnotatio. *Quòd ratio alendi ægros, in morbis acutis, duplicem habet reſpectũ; alterum ad ſpeciem morbi victus ſpeciem variantem; alterũ verò ad morbi vigorẽ, ſecundum vniuerſalia tempora ipſius: de primo loquitur in præſenti aphoriſmo, de altero verò in ſequentibus, vſque ad decimum.*

Quòd

quòd vnus,& idem morbus pro diuerſitate cauſſarum poteſt fieri magis,& minus acutus,id Anginæ exemplo manifeſtat Hip. Quę enim plurimum dolorem infert,nullo in faucibus apparente tumore,eodē die ſtrāgulat, 3. aut 4. Hæc igitur erit extrema, ideò inediam requirit. Quę verò ſimilem dolorem priori exhibet, ſed attollitur,& in faucibus ruborem efficit,longior,ſed nihilò minus lætalis. Hæc alteram facit ſpeciem, in qua potus ſolùm conuenit,ut melicratum. At Angina,in qua ceruix, & pectus ſimul rubent,hę Anginæ diuturniores ſunt,& ex ipſis . . . euadunt niſi ereſipelas intrò recurrat. Hæc eſt 3. ſpecies Anginæ,in qua ſorbitio competit,ut ſuccus Ptiſſanæ. Ex his clara,& aperta ſunt,quæ dicit Hip. in Aphoriſmo; nā in prima Anginæ ſpecie,ut extrema,ac peracuta,tenuiſſimo victu vtendum eſt; cùm verò talis non fuerit, tantum euariare ſpeciem victus oportet,quantò ab extrema diſtat magis. Altera Animaduerſio. 3. Progn.

Quòd cùm dicit peracutum morbum ſtatim labores habere extremos, vox illa [ſtatim] ſpacium,vel quattuor dierum ſignificat;talis.n.peracutus exactè dicitur, quippe,uel à prima inuaſione ſummè affligit delirio, vigilia,anxietudine,rigore,ſpirandi difficultate,ſopore,inquietudine,ſiti conuulſione,vnde formidabilis eſt. Tertia Animaduerſio.

Quòd morbus acutus,eſt,in triplici differentia,ratione cauſſæ,à qua naſcitur; vel à plenitudine, & κακοχυμία, vel à malignitate,& corruptione; vel à reſolutione; ſententia Aphoriſmi de prima ſpecie intelligenda eſt,non autem de ſecunda,vel tertia;quia cum morbus oritur à vehementi putredine, qualis febris eſt peſtilens, pleniorem expoſcit viuendi rationem,tùm propter vires,quæ in ea reſoluuntur abundè,cùm ob temperiem, & corruptionem putredinis, nec minus nutrire conuenit in morbo per reſolutionem facto, qualis eſt febris colliquans. Quarta Adimaduerſio.

APHORISMVS OCTAVVS.

Cùm morbus in ſuo vigore conſiſtit &c.

CVM in ſuperiori Aphoriſmo de forma alēdi ægros tractauerit ſecū dum varias morborum ſpecies; Nunc in eodē morbo ſecundū diuerſa tempora eandem uictus formā inſtituit; quemadmodum ſupra vnū extremū inter acutos morbos, tanquam reliquorum normam accipit; ita, & hinc morbi uigorem, tanquā regulam ad reliqua morbi tempora aſſumit. Cōnexio.

In morbi vigore tenuiſſimè alere oportet. Intentio.

Vt quemadmodum varianda eſt ſpecies victus, ſecundum varias morbi ſpecies; ita ſecundum morbi tempora, atq; in vigore morbi tenuiſſimè alendum: quoniam non vniformiter à principio morbi vſque ad finem ægros nutrire conuenit. Rō intentionis.

Diuiſio. *Breuitas Aphoriſmi diuiſionem non admittit.*

Demõſtratio. *Quò tempore ſummi ſunt labores, & natura maximè coctioni incumbit, tenuiſſimè alere oportet.*

Sed in uigore morbi maximi ſunt labores, maximè natura coctionem intendit. *Ergo*

In vigore morbi tenuiſſimè alere conuenit.

Maior eſt Aphoriſmus præcedens; nam ideò in peracuto tenuiſſimè alendum; quoniam extremos habet labores: præterea, quando natura coctioni incumbit, non eſt reuocanda ab opere per cibos.

Minor demonſtratur, uel ex ipſo vigoris nomine; tunc enim viget morbus, cum ſumma ſunt omnia. in ſtatu quoquè naturam maximè coctioni eſſe intentam, patet ex ſignis coctionis, quæ eo tẽpore maniſeſtiora ſunt, quàm antea.

Prima adnotatio. *Quòd morbus omnis habet viciſſitudinem, ſeu ætatem, quam tempus dicimus ſecundum variationes, quas facit. Duplex autem eſt variatio, ſecundum duplicem morborum progreſſum, altera penes coctionem, & cruditatem; altera verò penes morbi motum. Prima quattor conſtituit tempora; principium, in quò immanifeſta eſt coctio; augmentum, in quo manifeſta; ſtatus, in quò perfecta; & declinatio, quæ quidem euacuationem ſequitur. Variatio autem penes motum tria tantum facit tempora; principium, ſtatum, & finem.*

Altera Animaduerſio. *Quòd tempora quattuor coctionis, atq. cruditatis non eſt neceſſe in omni morbo reperiri: nam morbus mortalis non habet declinationem; ſanabilis verò poteſt carere augmento, & ſtatu, euacuata in principio materia opere Medici, ſeddicitur Morbus iſthæc quattuor habere tempora ſanabilis, niſi aliquid impediat; tempus verò ſecundo modo conſideratum neceſſariò habet omnis morbus, quoniam neceſſe eſt habere principium, ſtatum, atque finem.*

Tertia Animaduerſio. *Quòd vigor morbi duplex Medicis conſideratur; vel ſecundũ ſymptomata; vel penes coctionem; quæ duo tempora aliquando coincidunt; aliquando autem ſeparantur; coincidunt, quando morbus reſeruat totam ſuam materiam ad unicã expulſionem, quæ criſis eſt; ſeparantur in morbis, qui paullatim ſoluũtur, ſicuti in pleuritide, reſudante paullatim materia, in quibus ſymptomatum vigor ferè eſt à principio. Cũm itaque dicat Hippocrates [tenuiſſimè alendum in vigore,] intelligit de vigore ſymptomatum, nam hic vigor, vbi ſeparatur à coctionis vigore, magis prohibet alimentum, quia non ſolùm in eo tempoee natura maximè cũm morbo pugnat, quòd in coctionis vigore accidit, ſed alimentum corrumpit.*

Quarta Animaduerſio. *Quòd tenuiſſimus victus dupliciter intelli poteſt; vel abſolutè, ut inedia; vel reſpectiuè ad reliqua morbi tempora. vtroque modo dici poteſt, quoniam vigor morbi acuti peractus eſt; ideò, vel inediam, uel potum*

ſolum

ſolum in eo conuenire decet.

Quòd fieri poteſt, ut morbus in principio magis affligat, & maiora edat ſymptomata, quàm in ſtatu, quia in principio adſint cruditatis ſymptomata, quæ maiorem vim habent, quàm ea, quæ in ſtatu coctionis excitantur, & præcipuè quando morbus paullatim ſoluitur, ut in pleuritide. Quinta adnotatio.

APHORISMVS NONVS.

Coniectari itaque oportet &c.

CVM de ratione alendi ægros penes ſpeciem, ac tempus morbi in ſuperioribus egerit: in præſenti modo Aphoriſmo, à virtute ſumit indicationes, quippe q̃ primũ locũ in conſtituenda victus ratione teneat. Cõnexio.

In conſtituenda victus ratione coniectari oportet an uictus poſſit permanere vſque ad morbi uigorem. Intentio.

Quia dictum eſt in præcedentibus variandam eſſe victus ſpeciem, pro diuerſa morbi acuti ſpecie; ita ut acuto quattuor dierum, inedia; ſeptem uerò dierum melioratum; quatuordecim autem ſorbitio danda eſſet: quod cùm plerunq; ſeruandum ſit; aliquando tamen pleniusnutriendũ, quàm morbi modus requirat, ob timorem, ne uirtus perdurare poſſit cum illa, ad uigorem uſque morbi. Rō intentionis.

Qunniam totus Aphoriſmus unica eſt concluſio, licet multis uerbis prolata; idcirco indiuiſum relinquimus. Diuiſio.

Illa uictus ratio in morbis eſt conſtituenda, cum qua uirtus perdurare poſſit ad morbi uigorem. Demonſtratio.
Sed hoc fieri non poteſt, niſi facta coniectura ipſius uirtutis ad tale tempus. *Ergo*

Inſtituenti uictus rationem in ægris cõiectura oportet, an uirtus poſſit perdurare ad morbi uigorem.

Maior propoſitio ideo probatur, quoniam niſi uirtus perſeueraret ad ſtatum morbi, opprimeretur à laboribus, quippe qui eo tempore contingunt, nec morbum ſuperare poſſet. Minor eſt manifeſta, quia Medicus nõ poteſt inſtituere formam uictus, cum qua perſeueret uirtus ad morbi uigorem ualida; niſi facta illa coniectura, quam diximus.

Quòd Medicina non in omnibus habet ęqualem certitudinem, idcirco quędã in ea docentur ſcientificè; alia uerò artificioſa quadam coniectura, quæ quidem media eſt inter ſcientiam, atq; ignorantiã; alia uerò ſimplici coniectura, quæ magis ad ignorantiam accedit. Iudicium itaq;, quod ſit de duratione uirtutis uſq. ad morbi uigorem, non poteſt ſcientificè aſſequi, niſi per coniecturam, quæ tamen ad ſcientiam accedit. Quare Hippocrates ad hanc cognitionẽ in Aphoriſmo præcipit coniectura utendã eſſe, & 1. Adnotatio.

propterea Medicina dicitur Ars coniecturalis, quoniam in pluribus coniectura vtitur: quæ quidem coniectura cùm potius ſit ex parte operantis, quàm ipſius artis; ideò rectè dixit Alexander Medicinam in ſe quidẽ conſideratam immutabilem eſſe, & ſcientiam verè nuncupari poſſe; quãuis ad opus redacta coniecturalis fiat, & incerta.

Altera animaduerſio. *Quòd duplex ſumitur coniectura virtutis ad morbi vigorem; altera à præſenti, & antecedenti robore; altera verò à variatione, quæ fit ipſius virtutis progredientis à principio ad vigorem. Primum iudicium ſumitur ab operationibus ipſius ægri robuſtis; in pulſu, ac reſpiratione vitalis; in motu, & ſenſu animalis. Alterum iudicium ſumitur à morbi duratione; ideoq; duplicem indicationem ſumpſit Hip. nutriendi ægros, alteram à virtute, alteram autem à morbo, quamuis vtraque à uirtute ſumatur, uel præſente, vel uariante pro duratione.*

Tertia Animaduerſio. *Quòd virtutis debilitas, quædam eſt ad apparentiam, quædam verò ad exiſtentiam: prima prouenit à vi morbi; altera autem ob reſolutionem. Vtraque debilitas duplex eſt; aut cum permanentia; aut cũ concidentia, vt in λειποθυμία, & ſyncopi, virtus debilis per oppreſſionem cũ permanentia, non ſolùm inediam requirit, ſed uacuationem. Cum concidentia eaſdem habet intentiones; aliquando tamen non vacuamus ob timorem maioris mali, & nutrimus vino propter virtutem, ut ſycopi, quæ quidem ex humoribus crudis gignitur: virtus debilis propter reſolutionẽ, victum requirit, nullam verò euacuationem, quocunque modo debilis fuerit.* 2. Acutorum. *Hinc fit vt exclamat Hip. aduerſus Medicos, qui ægrotum debilitates, non cognoſcant; & quę fiunt propter uirium oppreſſionem ob morbi vehementiam; & quæ ob uaſorum uacuationem, cùm iſthæc cognitio ſalutem, aut mortem afferat.*

Quarta Animaduerſio. *Quòd in ſanis robur indicat ciborum additionem, debilitas uerò ablationem; unde in mutatione, quæ eſt ad robur, cibos addere, in ea uerò quę ad debilitatem, adimere neceſſariũ putat Hip. at in morbis contrarium* 2. Acutorum. *euenit, quò enim robuſtior fuerit uirtus, minus de cibo dandum, quò debilior, magis, loquendo de uera debilitate: quia nos non alimus ægros, acuto morbo laborantes penes exigentiam, ſed quantùm uirtus poſſit perdurare ualida uſque ad morbi uigorem.*

5. Animaduerſio. *Quòd uirtutis perdurationem intelligit Hip. uſq; ad uigorem morbi; ita, ut eo tempore ſit morbo ſuperior, quamuis uirtus reſpectu ſui in principio ſit debilior, reſpectu tamen morbi, robuſtior; nam quò magis pugnat contra morbum, eò debilior euadit; ſed interim & ipſe morbus melius diſponitur. Hinc fit, ut omnis morbus ſalubris à principio, ſit malignior, benignior uerò, quò magis progreditur, abeuntibus cruditatis ſymptomatibus, licet coctionis ſint maiora.*

APHO-

APHORISMVS DECIMVS.

Quibus itaque vigor ſtatim futurus, &c.

CVM de forma uictus hactenus egerit, indicatione ſumpta à morbi ſpecie, & illius temporibus, nec non à uirtute, in praſenti modo Aphoriſmo de mutatione victus agit, quæ fit in vno, eodemque morbo. Cõnexio.

Duas proponit concluſiones, prima eſt huiuſmodi; morbi, in quibus ſtatus ſtatim futurus eſt, nullam requirit victus mutationem. Altera; cùm morbi uigor ultrà quartum diem differtur, mutationem requirit ipſius uictus à pleniori ad minus tenuem, Intentio.

Vt doceat, quomodo fieri debeat mutatio uictus in uno, eodẽq; morbo, & reprehẽdat Medicos Diatriarios, quippe qui per tres dies à morbo inediam imperabãt, inde cibos exhibebant in uigore morbi, cũ potius à principio uictum offerre oporteat, & remouere in uigore, quod hic docetur. Rõ intentionis. 1. Acutorum.

Diuiditur Aphoriſmus in duas partes; in prima oſtendit, quando nulla eſt facienda victus mutatio: in altera verò, quando facienda eſt, & quomodo fieri debeat. Diuiſio.

Morbus, qui tenuiſſimũ uictum requirit, nullã patitur eius mutationẽ. Demonſtratio primę partis.
Sed morbus, qui ſtatim uiget, tenniſſimum victum requirit. Ergo
Morbus, qui ſtatim uiget, nullam requirit uictus mutationem.

Maior probatur, quoniam tenuiſsimus victus eſt inedia, ideò nullam admittit mutationem.

Minor eſt Aphoriſmus ſextus; nam quibus vigor ſtatim futurus eſt, hoc eſt, intra quattuor dies, tenuiſsimè alendum.

Quo tempore minor eſt morbus, victus plenior competit. Demonſtratio alterius concluſionis.
Sed in principio minor eſt morbus. Ergo
Pleniùs alendum à principio, quàm in vigore.

Maior probatur, quia uictus prohibetur à morbo. Ergo, quò minor morbus, magis de uictu.

Minor probatur iuxta illud [Circa principia, & fines omnia imbecilliora.] 2. Aph. 30

Quòd Hippocrates ſumit victus formam ſecundum duas conſiderationes; prima ſumitur à uirtute in antecedẽti Aphoriſmo; altera verò ſumitur à morbo; & hæc tripliciter, uel penes diuerſas morbi ſpecies, de qua quidẽ Aphoriſmo quarto, ac ſeptimo, uel penes tẽpora morbi, de qua Aphoriſmo octauo, vel penes mutationẽ, q̃ fit à principio ad vigorẽ, de qua in hoc, docens non eſſe in morbo extremo mutandum victum; ſed cùm morbus longior eſt; ita tamen faciendam mutationẽ, ut magis à principio, & minus ĩ uigore detur; ideo dicit Hip. maximè errare Medicos illos, quippe Prima Animaduerſio. Lib. Acutorum.

1.Acutorum. qui in primis diebus uaſa uacua facientes, tunc cibos exhibebunt, quãdo morbus maximè ęgrum confligit. Quamobrem nulla die uaſa uacua fieri permittenda iubet, in quibus poſterius dare conuenit ptiſanam, aut ſorbitionem, vel potum; quoniam peccata, quæ à principio committuntur, non ita reſpuunt medelam, vt illa, quæ in vigore.

2. Adnotatio. Primo Acutorũ. 2.Acutor. Quòd hæc ſententia, per quam magis à principio alendum docet, ita intelligenda eſt, vt non adſit in ſtomacho cruditas, quo caſu expectandũ eſt quoad deſcendat; nec ſi adeſt à principio ſymptomatum uigor, & magna plenitudo, quo tempore prius corpus vacuandum eſt, vt de lateris dolore magno ſine ſputo, & ad clauiculam tendente, ſcripſit, Hipp. ſiquis.n. (ait) cibũ exhibeat non prius facta vacuatione, vel uenæ ſectione, vel medicamento, mortem citam afferret. Quibus in caſibus à principio minus nutrire conuenit, magis verò in augmento.

APHORISMVS VNDECIMVS.

In acceſſionibus abſtinere oportet &c.

Cõnexio. CVM Hipp. in antecedentibus Aphoriſmis de forma uictus tractaſſet, quæ cuique morbo eſt conueniens, nec non de mutatione victus in uno, eodemq; morbo facienda; In præſenti de tempore, quo cibandus eſt æger pertractat, ſumpta indicatione à particulari morbi tempore.

Intentio. In acceſſionibus abſtinere à cibo oportet.

Rõ intentionis. 1.Acutor. Quia non ſatis eſt cognoſcere victus ſpecies, vnicuiq; morbo cõuenientes, ſed tempus, in quo cibandus ſit ęger per ſingulos dies; quod ſanè tempus (ſcripſit Hip.) magnam vim habere in morbis acutis, & illis, qui periculoſiſſimi ſunt.

Diuiſio. Diuiditur Aphoriſmus in duas partes; in prima ponit ſuam intentionem forma vniuerſaliori; in altera verò deſcribit eandem magis in particulari.

Demonſtratio. Quo tempore natura triſtis eſt, & magis opprimitur, abbiſtnere à cibo oportet.

Sed in acceſſione natura triſtis eſt, & magis opprimitur. Ergo
In acceſſione abſtinere oportet.

Maior declaratur, quia eo tempore, non ſolùm corrumpitur alimentũ; ſed naturam diſtrahitur à pugna, unde augentur putredines, & cruditates gignuntur.

4. Acuto. Minor probatur ab Hip. cùm enim per acceſſionẽ calor ad partes internas fugiat; neceſſe eſt (ait) ventriculum calidum eſſe, multoq; faſtidio plenum, & pręcordium intentum, & corporis iactationem propter internam turbationem, & mentis alienationem. Quare ſi quis tali tèmpore cibum

re cibum exhibeat, malè per omnia peccauerit, ac morbum non parùm augebit.

Quòd acceſſio nil aliud eſt, quàm illud morbi tempus, in quo natura magis contra morbum inſurgit, quod quidem particulare morbi tempus dicitur; & quemadmodum tempus vniuerſale morbi diuiditur in quattuor partes ſecundum coctionem, & cruditatem; ita etiam acceſſio in tot partes deſtribuitur ſecundum motum caloris diſtinctas: cùm enim animæ inſtrumentum ſit calidum innatum, quod eſt in ſanguine; & in membris. Hinc fit, ut acceſſionis partes per motum ſanguinis, & caloris diſtinguantur. Cùm itaque trahitur vniuerſus ad ſuos fontes, principium eſt acceſſionis, quod Galenus diuiſit in inuaſionem, & inæqualitatem; cùm verò calor iſte incipit diffundi, & manifeſtè augetur, augmentum naſcitur; quandò verò calor totus eſt extenſus, vigor eſt acceſſionis; quandò verò calor manifeſtè decreſcit, declinatio dicitur. 1. Adnotatio.

Quòd poteſt etiam diuidi acceſſionis tempus in duas partes ſecundũ aliam conſiderationem; intentionem ſcilicet, & remiſſionem. Prima cõprehendit principium, augmentum, & ſtatum; qua ſignificatione accipit hic acceſſionem Hip. è cuius ſententia deſcribitur totum illud intentionis tempus, cùm pedes frigidi ſunt, & thorax calidus; è contra declinatio dum Torax, ac uenter temperatus eſt, & pedes ſunt calidi. Quamobrem Hip. ait (obſeruato februm acceſſiones) vt nunquam exhibeas, quando ſunt, aut futuræ expectantur, ſed ubi deſinunt, aut quieuerunt, & quàm longiſſimè à principio. Cùm verò pedes frigidi ſunt; neque potũ, neque ſorbitionem, nec aliud quidquàm eiuſmodi dato; verum hoc maximè eſſe ducito, ut expectes donec ualdè fuerint calefacti. Altera Animaduerſio. Lib. Acutorum.

Quòd quemadmodũ in inflammationibus natura dupliciter ſe habet; ita, etiam in reliquis malis: in inflãmatione aliquando materiam paullatim expellit, ut in pleuritide: aliquãdo totam reſeruat ad maturationem, ita etiam, & in febribus natura paullatim inſurgit aduerſus materiam: vnde facit acceſſionem; aliquando totam reſeruat materiam ad unicam expulſionem, & nullam facit acceſſionem, ut in ſinocha, & cauſone. Tertia adnotatio.

Quòd ubi morbus habet acceſſiones; uel habet illas euidentes, ut tertiana, quartana, quotidiana intermittentes; uel obſcuras, cùm ſunt cõtinuæ. Euidens acceſſio fit, cùm pulſus manifeſta contractione, rigore, horrore, aut frigore euidenti: at obſcura, nec neceſſariò habet frigus, nec palſus contractionem: in putridis continuis adeſt ſemper manifeſta contractio in inuaſione. Sed in Ecticis, potius diſtenditur pulſus. Quarta Adnotatio.

Quòd morbus, qui acceſſionibus caret, uel eſt peracutus, uel acutus. ſi fuerit peracutus, nil dandum eſt per uniuerſum morbũ; ſi verò fuerit acutus, tunc exhibere oportet, quod conuenit tempore ſanitatis conſueto: at ſi morbus habet acceſſiones; uel intermittit; uel non intermittit. ſi inter- Quinta Animaduerſio.

mittit, cibare oportet in tempore intermiſsionis: ſi verò non intermittit, in declinatione ipſius acceſsionis.

6. Aīaduerſio. *Quòd triplici de cauſa cogitur Medicus nutrire in acceſſione; vel quia concidunt vires, vt in animi defectu; vel quando cibus non ſolùm vt alimentum exhibetur, ſed vt remedium, vt in febri lilioſa, temperamento calido, habitu corporis gracilis, & rari, qua ratione Galenus nutrit in acceſsione, & parùm ante illam: vel denique quando ſecunda acceſsio ita primam occupat, vt dubius ſit Medicus, quo tempore cibare debeat: id verò accidit; vel quoniam ſecunda acceſsio inuadit prius, quàm prima declinet; aut ita excipiat declinationem primę, vt breuitas illius non ſit ſatis ad cibi coctionem. Primus caſus morbum peracutum facit, ideò per totum illius tempus nil dare oportet. Alter verò caſus inediam quoque expoſcet perpetuam: quòd ſi neceſsitas dare cogat, in acceſsione cibandũ, idque quàm longiſsime à principio, niſi augmentum, & ſtatus ſeniora habeant ſymptomata; tunc enim eligimus tempus, quo natura minus affligitur ad cibationem; Cęterùm tabulam ſubiunximus particulare tempus cibationis dipingentem.*

10. Meth. 8.

- Morbus, vel
  - Non habet acceſſiones.
    - ſi fuerit peracutus; nil dandum,
    - ſi longior dandum tempore conſueto in ſanitate.
  - habet acceſſiones
    - cum interuallo
      - Longo, & in eo cibandum.
      - breui, & in declinatione dandum.
    - ſine interuallo, & tũc vel declinatio ē
      - longa, & in principio eius cibandũ.
      - breuis
        - ſi vires ſufferunt, nil dandũ per totum morbum.
        - ſi non ſufferunt, dãdum in tẽpore acceſſionis, in quo minus affligitur natura.

7. Aīaduerſio. *Quòd acceſsio; quædam eſt ordinata, quæ ſeruat tempus determinatũ, vt in tertiana, quartana, & quotidiana; quædam inordinata, vt quæ nullum tempus determinatum habet. Hip. in prima textus parte omnẽ comprehendit acceſsionẽ: in altera verò, eam, quæ fit per circuitus, quæ ordinata eſt, qua non ſolum licet, cùm adeſt, abſtinere, ſed & cùm futura eſt. quod quidem tempus Medicus non poteſt cognoſcere in ea, quæ ſine ordĩne inuadit, idcirco ſaltim acceſsione præſente abſtineat.*

APHORISMVS DVODECIMVS.

Acceſſiones, & conſtitutiones indicabunt, &c.

CVM in Aphoriſmo nono faciendam eſſe coniecturam moneret, an virtus poſſet perdurare ad morbi vigorem, & in antecedenti conſiderandas acceſſiones, vt tùm victus ſpecies, tùm tempus cibandi cognoſceremus; in præſenti modò Aphoriſmo docet, quomodo tùm ſtatus morbi, tùm etiam acceſſiones particulares deprehendi poſſint. Cõnexio.

Status, ſeu morbi cõſtitutio, eiuſq; acceſſiones, ex morbo, anni tẽpore, periodorum proportionibus, & ſignis poſtea apparentibus dignoſcuntur. Intentio.

Quoniam ex ſtatu breuiori, vel longiori victus ſpecies deprehenditur, ex acceſſionibus tempus cibandi manifeſtatur. Rõ intentionis.

Diuiditur Aphoriſmus in duas partes; in prima ponit ſigna ꝑ quę Medicus vniuerſale, & particulare morbi tempus cognoſcit: in altera verò, per quæ, & tempus vniuerſale morbi, & illius exitus deprehenditur. Diuiſio.

Illa morbi conſtitutionem demonſtrant, & illius acceſſiones, quæ pertinent uel ad naturam morbi, uel cauſſas, vel accidentia. Demõſtratio.

Sed morbus, tempus, proportio periodi, poſt apparentia ſunt huiuſmodi. Ergo.

Iſta morbi ſtatum, & illius acceſſiones oſtendent.

Maior per ſe clara eſt, quia nil aliud eſt in morbis, quod iſta poſſit indicare.

Minor declaratur, nam morbi nomine comprehẽdit illius eſſentiam, anni tempus cauſa morbi eſt, proportio periodi, pars eſt ipſius morbi; poſt apparentia verò effectus illius.

Quòd conſtitutio hic ſignificat tempus vniuerſale morbi, an breue, uel longum; acceſſio verò, tempus particulare, quo inuadit, vtrunque ex ſpecie morbi, ac differentijs deprehenditur: cùm enim dico phrenitidem, anginam, pleuritidem, febrem ardentem, breuem morbum ſignifico; cùm uerò podagram, artritidem, quotidianam, quartanam, longum: cùm verò profero bilioſum morbum, acceſſionem ad tertium, pituitoſum quotidie, melancholicum ad quartum inuadere comprehendo. 1. Adnotatio. Altera Animaduerſio.

Anni tempus; quoniam æſtiui oẽs morbi breuiores ſunt, ſicuti hiemales longiores, quod quartanæ exemplo Hip. demonſtrauit. Ex temporibus etiam anni, Aeſtas, tertianũ paroxiſmum. Autumnus, quartanũ. Hiems, quotidianũ. Ver, quod ſanguis in eo augeatur, non magis hunc, quàm illum. Sed ad anni tempus reducere oportet epidemias conſtitutiones, regionem, victus præcedentis modũ, temperiem, corporiſq; habitum: nam arbitratur Galenus Hippocratem ubi unum, uel alterum ex his nominat, 2. Aph. 5

breuitatis ſtudio, reliqua ſubintelligenda eſſe.

Tertia Animaduerſio. *Quòd proportio paroxiſmi eſt vnius ad alterum; uel quoniã citius corripit, aut tardius, vel, ꝙ magis, aut minus durat; ucl quòd magis, aut minus affligat, aut æqualiter per oĩa ſe habeat. Si igitur ſecunda acceſſio anticipat, magis durat, & affligit, augetur morbus, & breuis erit, ſi eadẽ hora æqualiter duret, & affligat, ſtat morbus, & viget; ubi poſtponit, minus durat, & affligit, declinat. Hæc uerò proportio magis indicat vniuerſale tempus, quàm particulare; põt tamen, & particulare oſtendere, quoad horam inuaſionis. Cognita item prima acceſſio ex forma extenditur, qua die altera futura eſt.*

Quarta adnotatio. *Quòd ſigna, quæ in morbis apparent, uel neceſſariò, & ſemꝑ morbum comitantur, & dicũtur pitognomonica, ut febris, uel tuſſis in pleuritides; alia uerò non neceſſariò, quæ uel pertinent ad morbi magnitudinẽ, uel ad coctionem, & cruditatẽ, uel ad criſim, & perturbationẽ, quæ quidẽ omnia ſigna poſt apparentia uocat Hipp. ꝙ plerũque poſt morbi principium uiſantur. Prima ſigna ſub morbi ſpecie cõprehenduntur, & ſignificant ſolũ tempus uniuerſale, uel particulare morbi; at ſecunda, & tẽpus uniuerſale, & morbi euentũ, uel ſalutarem, uel mortalem: uerbi gratia in pleuritide dolor ad clauiculam, breuem, ac periculoſum morbum oſtendit, ſputum crudum, longum, & periculoſum, coctum uerò, breuem, ac ſecurum. Sunt autem potentiſſima ad ſignificandum coctionis ſigna, quæ ab excrementis ſumuntur, ſputo ſcilicet, urina, alui fece, ſudore, mucco. Preter hæc, ſunt actiones uitales in pulſu, & reſpiratione, animales in motu, ac ſenſu, quæ quidem, & tempus, & euentum morbi oſtendunt.*

APHORISMVS DECIMVSTERTIVS.

Ieiunium Senes non decrepiti ferunt facillimè &c.

Cõnexio. *CVM ad præſcribendam uictus rationem non ſolum uirtutẽ, & morbi modum (de quibus hactenus dictum eſt) conſideraſſet Hippocrates, ſed præter hęc ætatem, anni tempus, conſuetudinem: ideò in præſenti* 2. Auctor. *accedit ad ipſam ætatem.*

Intentio. *Corpora quò fuerint generationi propinquiora, minus ieiunium ferunt.*

Rõ intentionis. *Vt oſtendat, quęnã ætates ſint magis, uel minus reficiendę in morbis.*

Diuiſio. *Poteſt diuidi Aphoriſmus in quatuor partes, iuxta quattuor ętates, quas ad inuicem comparat, quamuis ex omnibus una efficiatur concluſio, ſupra prolata.*

Demonſtratio. *Corpora, quæ citius in famem incidunt, & ab illa magis læduntur, difficilius ieiunium ferunt.*

Sed quò corpora magis propinqua ſunt generationi, citiùs in famẽ incidunt,

cidunt, & ab illa magis læduntur. Ergo

Corpora, quò ſunt generationi propinquiora, minùs ieiunium ferunt.

Maior eſt certa. Minor oſtenditur, tùm ex parte efficientis, tùm etiã materiæ; nam efficiens calor (ex ſequente Aphoriſmo) maior eſt illis, qui ſunt ortui proximiores, corpus illis etiam magis conſumitur, quia humidius, & rarius.

Quòd ætates diſtinguuntur ſecundum uariationes, quæ fiunt in corpore noſtro, quo tempore uiuit; quæ quidem uariationes, cùm ſecundum diuerſam conſiderationem, plures ſint, aut pauciores, ideò ætates quoq; non unam diuiſionem ſortiuntur. Aliquãdo enim diuiſio fit in duas, quo pacto Hipp. in ſequenti Aphoriſmo in creſcentem, & decreſcentem: aliquãdo in quattuor, ut in hoc, pueritiam, adoleſcentiam, conſiſtentiam, & ſenectutem; eſt autem Pueritia ab ortu ad ſeminis, uel menſtruorum emiſſionem. Adoleſcentia uerò ab eo tempore omne ſpatium, quo homo creſcit. Conſiſtentia autem, totum illud ſpatium, quo ſenſibiliter homo in eodem ſtatu manet, Senectus uerò, cùm declinat. Et quemadmodum quattuor ſunt anni partes, quæ in plures diuidi poſſunt, ita etiam unaquæque iſtarum ætatum in plures partiri poteſt. 1. Animaduerſio.

Quòd duplex eſt temperamentum; alterum natiuũ, alterum uerò, quod per ætates acquiritur: eſt enim pueritia calida, atque humida quoad primam partem; calida autem, & ſicca, quoad alteram partem. Adoleſcentia uerò, temperata. Conſiſtentia, frigida, & ſicca. Senectus, frigida, & humida. Quæ duplex temperies indicatur in hoc Aphoriſmo ab Hippocrate; ætatiua, in parte Aphoriſmi; Naturalis uerò, per ea uerba [& qui uiridiori ſunt ingenio præditi:] quibus uerbis indicat ætatiuum temperamentum à naturali diſtingui. Altera adnotatio.

Quòd ætates non certo annorum numero deſcribi poſſunt: nam alij citiùs, alij tardiùs pubeſcunt, uigent, aut ſeneſcunt, ob uarias naturas, regiones, aliaſue cauſſas; nihilominus ſolet aſſignari ætatis annorũ numerus, ut pueritiæ decimùſquartus annus. Adoleſcentię uſque ad quadrageſimum, eo numero, quo utitur hic Hipp. Conſiſtentia ad quinquageſimum, à quo tempore Senectus incipit uſque ad uitæ finem. Tertia Animaduerſio.

Quòd comparatio, quæ fit inter ætates ad ferendum ieiunium in hoc Aphoriſmo, uel poteſt fieri in eodem homine, ut Petrus minus feret ieiunium Puer, quàm Adoleſcens, & Adoleſcens, quàm conſiſtens; uel poteſt fieri comparatio ad diuerſos homines, ut Petrus magis ferat Ieiunium Puer, quàm Paulus adoleſcens. Hip. intelligit facta comparatione in uno, eodemq; homine, quia non eſſet uera ſententia cõparatiuè facta ad diuerſos: quoniam fieri poteſt, ut Petrus puer magis ferat ieiunium, quam Paulus iuuenis, non ratione ætatis, ſed temperamenti natiui. Quarta adnotatio. Vlt. Animaduerſio.

Quòd ſenectus duplex eſt; altera prima, quę cruda dicitur; altera ulti- ma,

ma, quæ decrepita. Rurſus, ferre ieiunium, vel intelligitur quòd tardiùs quiſpiam fameſcat, vel quòd cibi paucitatem ferat. Primo modo accepto ieiunio, primi ſenes facilè ieiunium ferunt; ſecundo modo vltimi: quoniã ætas vltima paucum admodum aſſumit cibum: ideò citius in famem incidit. Quare decrepiti paucum, & ſæpè ſunt nutriendi.

APHORISMVS DECIMVSQVARTVS.

Qui creſcunt plurimum habent, &c.

Cõnexio. *CVM in ſuperiori Aphoriſmo Hippocrates ſtatueret magis eſſe reficienda corpora, quò propinquiora ſunt generationi; In hoc cauſſam affert, ita, vt reſpectus huius Aphoriſmi ad ſuperiorem ſit cauſſæ ad effectum.*

Intentio. *Eadẽ eſt, quæ in ſuperiori Aphoriſmo; qui creſcũt plus nutriendi ſunt.*

Rõ intentionis. *Eadem, quæ in ſuperiori; vt magis in morbis nutriamus creſcentes; quàm decreſcentes.*

Diuiſio. *Diuiditur Aphoriſmus in duas partes; in quarum prima ponitur intentio, & cauſſa intentionis; in altera verò à ſigno probat aſſumptum.*

Demõſtratio. *Qui plurimo abundant innato calore, plurimo egent alimento.*

Qui creſcunt, plurimo abundãt calore innato. **Ergo**

Qui creſcunt vberiùs nutriendi.

Maior ab Hippocrate probatur; quoniam niſi cibus præſtò adſit, in his, qui multum habent innatum calorem, corpus conſumitur.

Minor à ſigno probatur; quoniam qui creſcunt, febribus acutis, magis, & facilius corripiuntur, non item ſenes, quòd in illis calor abundet; in his verò deficiat.

Prima Adnotatio. *Quòd duplex eſt calidum in nobis; alterum quidem in membrorũ ſubſtantia, quòd radicale dicitur, & primogenitum, omniumq; operationum cauſſa; alterum elementare, ex temperie elementorum cõflatum, quod primum illum calorem excitat. Quò igitur corpus generationi propinquius eſt, magis habet de primo illo calore, ſeu humido. Ratio eſt; quia minus eſt exiccatum: ideò plures etiam operationes facit. in vtero format, nutrit, auget. Extra vterum verò (dum creſcit homo) nutrit, & auget: cùm autem decreſcit, nutrit ſolùm. At maior eſt calor, qui plures edit operationes.*

Altera Animaduerſio. Lib. de natu. Pueri. *Quòd calidum illud innatum primũ, ſeu portio ignis cæleſtis cõcurrit cum reliquis elementis ad noſtri corporis generationem. Huiuſmodi calidum in ſemine latitans ſpiritũ gignit tanquàm ſuæ operationis inſtrumẽtum. Formato homine, maxima pars eius in corde remanſit, nec nõ in ſingulis membris ſua quæque portio fixa, per quam viuunt, & dicitur calidum*

dum fixum; imprimitur quoque in ſanguine calor, & in membris à Corde, quod dicitur influens; quare factum eſt, vt calorem innatum, & in ſemine, & in ſpiritu, & in membris, & in ſanguine ponãt Medici: eſt enim in ſemine, & ſpiritu illius, & ſanguine menſtruo, tanquam in principio; in Corde, vt in fonte; in ſanguine, vt in pabulo.

Quòd ſanguis, teſte Hip. in ſe non eſt calidus, ſed caleſit à membris; quam ſententiam recipit Ariſt. ſcribens calidum eſſe ſanguinem non ſuo calore, ſed extraneo; ſimpliciter autem non eſſe magis calidum, quàm frigidum; eſt enim ſuccus alimenti, qui quidem in ſe non ita calet; ſed ſumit ebullientem calorem ex Corde, & Hepate. Tertia ad notatio. Li. de Corde 2. de partib. animaliũ, c. 2.

Quòd ſanguis in nobis duplicem habet differentiam; quidam enim eſt magis craſſus, & frigidior, ab Hepate prognatus; alter calidior, & tenuior, in Corde contentus. Primum appellat Hippocrates Pituitam. Alterũ verò Bilem: ex quo fit, quòd paſſim affirmet, corpus noſtrum ex Bile, ac Pituita conflari, morboſq́, proinde omnes ex Pituita, & Bile gigni. Quarta Animaduerſio.

Quòd multipliciter dici poteſt aliquid calidius; ſubſtãtia ſcilicet, quantitate, qualitate, robore, & tactu. Subſtãtia innati calidi maior eſt in pueris: quoniã minùs conſumpta; quantitas duplex; multitudinis & extenſionis. Pueri multitudine calidiores, extenſione verò frigidiores. Qualitas duplex; vna caloris ſimpliciter, vt calor eſt; altera, vt in ratione innati, quæ mitis eſt. Primo modo pueri minus calidi ſunt, quàm Iuuenes; altero verò modo calidiores. Efficacia duplex; caloris in ratione innati, per quod ſanguificat; & coquit in ratione caloris, per quod attenuat, & calefacit. Primo modo calidiores ſunt Pueri. Altero verò Iuuenes. Tactu, ſeu ad apparentiam, æqualem habent calorem pueri, & Iuuenes. Quinta Animaduerſio.

Quòd cùm dicimus, Pueros magis reficiendos eſſe, quàm Iuuenes, duplicem habet intellectum; vel abſolutè; vel in comparatione ad Corpus. Primo modo, falſum eſt; quoniam multò magis aſſumunt cibi Iuuenes, quàm Pueri. Altero modo, verum eſt, quòd Pueri pro ratione ſui corporis magis ſunt nutriendi, quàm Iuuenes. 6 Aĩaduerſio.

Quòd Senes minus corripi acutis morbis, quemadmodum verum eſt, ita magis periclitari ex illis rationi eſt conſonum, iuxta illud, minus periculoſas eſſe ægritudines cognatas, quàm diſſimiles. 7. Aĩaduerſio.

APHORISMVS DECIMVSQVINTVS.

Ventres hieme, & uere natura, &c.

CVM in præcedẽtibus duobus Aphoriſmis ętates cõſideraſſet, prout alimentũ magis, uel minus indicant; Nunc in eã cõſideratione anni tempus aſſumit, quippe quòd in nutritione ſuã quoq; habeat prerogatiuã. Cõnexio.

Hieme,

Intentio. Rō intentionis. Diuiſio. Demonſtratio.

Hieme, ac uere plus nutrire oportet, quàm in alijs temporibus.
Vt per illud tempus non ſolùm ſanos, ſed etiam ægros magis alamus.

Aphoriſmus in duas partes ſecatur; in prima intentionem, & cauſſam illius aſſignat; in altera verò à ſigno probat aſſumptum.

Quo tempore plus eſt in nobis innati calidi, magis nutrire oportet.
Sed hieme, ac vere plus eſt in nobis innati caloris. Ergo
Hieme, & uere magis nutrire oportet, quàm in aliis temporibus.

Maior probatur ab Hip. nam niſi eo tempore multum detur alimenti, corpus conſumitur, calore abſumente ſeipſum: quod indicant Athletæ, & pueri, qui non alia ratione plurimū alimenti aſſumunt, quàm quòd calido multo abundent.

6. Epidē. *Minor oſtenditur, non ſolùm ratione tēporis, pellentis calorē ad viſcera, & unientis, ſed ratione longiſſimi ſomni, quippe qui maximè reparat natiuum calorem, à vigilia diſſipatū: vnde Hip. ſomnum, & cibum viſceribus, veluti laborem articulis, & carnibus maximè conferre ſtatuit.*

Prima Adnotatio. *Quòd per [ventres] intelligit non ſolùm ſtomachum, ſed viſcera omnia, quæ ipſum vallant. quamuis verè per [ventres] caput, Thoracē, & abdomen intelligere poſſimus, vt pote hieme, ac vere magis calentia, nec non etiam per ſomnum. Quare non ſolùm primā, ſed alteram, & tertiam coctionem magis perfici dicimus per ſomnum, & hiemē, quàm per æſtatem & vigiliam; nam quamuis per ſomnum cerebrum refrigetur, et partes externæ magis frigeant, quàm internæ; ex ſpiritu tamen, in mēbris quieſcente per ſomnum, & non diſſipato, magis commouetur coctio, accedit fomentum à partibus internis tranſmittentibus ad externas.*

Altera Animaduerſio. *Quòd calidum innatum in ratione innati, maius eſt in hieme, & per ſomnum, quàm in æſtate, & per vigiliam; at in ratione caloris, minor; idem eſt, ac ſi dicas calidum auctum, ſecundum quantitatem hieme; ſecundum verò qualitatem æſtate. Hinc fit, vt pulſus non fiat frequentior hieme, quàm æſtate. Hinc etiam fit, vt multa hieme gignatur pituita; verùm hæc non arguunt calorem diminutum in quantitate, ſed potius in qualitate. primum aſſumit Hip. hic, non alterum.*

Tertia Animaduerſio. *Quòd duplex eſt corporis habitus; alter quidem carnoſus, & quadratus; alter verò gracilis, & debilis. Rurſus calidum innatum duplex; fixum, in membris; influens, in ſanguine, ac ſpiritu. Hæc ſententia vera eſt in carnoſis: quia gracilia animalia, & exanguia, vt reptilia, vincuntur à frigore. Vnde rectè dicitur ab Hipp. [Naturarum alias ad hiemem, alias ad æſtatem benè ſe habere.] Ideò naturæ calidæ ad hiemem benè ſe habent; frigidæ verò ad æſtatem. Rurſus eſt non de calore fixo: hic enim nunquam augetur, ſed minuitur; ſed de calore influenti, qui quidem eſt in ſanguine, ac ſpiritu.*

2. Aph. 2. (margin, beside "frigore. Vnde rectè dicitur ab Hipp.")

Quarta adnotatio. *Quòd menſura alimēti non eſt ſumenda abſolutè, vel à maiori, vel mi-*

nori reſolutione: ſequeretur enim per hiemem eſſe minus dandum, ſed pe nes caloris copiam: quæ quidem non ſolùm maior eſt in hieme, & ideò magis conſumens vndique; ſed ſenſibilia excrementa, quæ per aluum, & vrinas ſecedunt copioſiora. Adde ex ſententia Galeni validum eſſe calorem hiemis, etiam per deſenſiorem cutim attenuatum admodum excrementum inſenſenſibiliter expelli validiſſimè.

Quòd ſomnus longior, vel ita intelligitur, vt ſit multus non interpolatus, & ſuauis, uel quod ſit frequentior, leuis ac turbulentior. Primo modo hieme ſomni longiores. Altero verò in æſtate, in qua homo pronus eſt magis ad ſomnum, ſed non eſt ita tranquillus, ac longus, vt in hieme. Quinta Animaduerſio.

Quòd anni tempora Aſtrologis quattuor numerantur iuxta quatuor Zodiaci puncta; duo ſcilicet Aequinoctia, quæ faciunt Ver, & Autumnum; duo verò Solſtitia, quę conſtituunt Hiemem, atq; Aeſtatem. Hip. verò non ita diuidit anni tempora; ſed penes ortum, atq; occaſum ſtellarum inſignium. ver ſcilicet, ab Aequinoctio verno ad Pleiadum ortum. ab Ortu Pleiadum, ad Arcturi ortum, Aeſtas. Ab arcturi verò ortu ad Pleiadum occaſum, Autumnus. à quo tempore, vſque ad Aequinoctium uernale, extenditur Hiems. Qua ratione fit, ut Autumnus, & Ver ad duo Menſes ferè extendatur unuſquiſque; Aeſtas, & Hiems ad quattuor menſes. Ex quo fit, ut Aeſtas in duas partes diuidatur; Oram, & Oporã. Hiems uerò in tres, Sementam, Brumam, atque in Sertionem. 6. Adnot.

APHORISMVS DECIMVSSEXTVS.

Victus humidus febricantibus, &c.

CVM in præcedentibus Aphoriſmis uictum conſideraſſet Hip. ut cõtra; indicatur à morbo, nunc illum contemplatur quatenus ab eo indicatur: alimentum enim, ut alimentum, morbus reſpuit, ut remedium uerò indicat. Cõnexio.

Duas habet concluſiones Aphoriſmus. Prima eſt; Intentio.

Victus humidus omnibus febricantibus utilis.

Altera eſt. Victus humidus, pueris, & aſſuetis confert.

Vt ponat prærogatiuam uictus humidi, & ut oſtendat particulari exẽplo curationem per contraria, ſicuti conſeruationem per ſimilia fieri oportere. Rõ intentionis.

Diuiditur Aphoriſmus in duas partes. In prima prærogatiuam humidi uictus exprimit, quatenus indicatur ab omni febri; in altera uerò quatenus indicatur à re naturali, ætate ſcilicet, & conſuetudine. Diuiſio.

Victus qualitas morbo contraria eſſe debet, Demonſtratio 1. concluſionis.

Sed uictus humidus omni febri opponitur. Ergo

Victus

Victus humidus omnibus febribus conuenit.

Maior manifeſta eſt: Contrariorum enim contraria ſunt remedia.

Minor probatur; quia calor febrilis ſiccus eſt, velutiècontra natiuus humidus: ideò ab alimento humido oppugnatur magis, quàm à frigido.

Demõſtratio alteri⁹ concluſionis.

Naturalia ſeruanda ſunt ſimilibus.

Aetas, & conſuetudo ſunt naturalia. *Ergo*

Similibus ſeruanda. Cùm verò pueri humidi ſint naturaliter, humidiſque aſſueti; Hinc fit, vt illis ſit aptiſſimus victus humidus.

Maior eſt principium artis, quia ſimilia à ſimilibus conſeruantur.

Li. de Aere, Aquę, &c.

Minor probatur: nam ætas nobis eſt connaturalis; aſſuetudo autẽ eſt altera natura, vel cum ea confunditur; id quod exemplo Macrocephalorum declarauit Hippocrates: Cùm.n.gens illa à principio arte capita acuta pueris efformaret, progreſſu temporis, natura illis ſimilia procreabat, veluti conſpiranti cum aſſuetudine.

Prima Animaduerſio.

Quòd calor febrilis naturali cõtrarius eſt: quia primus, acris eſt; alter verò mitis. Primus humectat; alter autem exiccat. Hinc fit, vt magis calori febrili opponatur humidum, quàm frigidum; nam quamuis ſiccitas non ſit de eſſentia caloris extranei, & febris, vt morbus (neque.n.ſemper ratione ſiccitatis actiones in febre lędu ntur,) tamen in ratione caloris extranei, magis illi aduerſatur humidum, licèt abſolutè in ratione caloris, frigidum. Cùm verò calorem febrilem non abſolutè conſideret Hippocrates, ſed vt reſpicit natiuum; hinc fit, vt potius victum humidum, quàm frigidum nominet in Aphoriſmo, licet; & frigidus febri opponatur.

Altera adnotatio.

Quòd febrilis calor duplex eſt; alter ſimplex, quippe qui in calore cõſiſtit præter modum aucto, nullamq́; diſpoſitionem ſequens; alter, qui ſequitur diſpoſitionem corporis, vel putridam, vel malignam, vt qui ſequitur obſtructionem, inflammationem, aut inſignem putredinem. Prima dicitur ab Auicenna, febris morbus; altera verò, febris accidens. Cùm igitur Hippocrates dicit, humidum victum omnibus febribus competere, intelligit de febri morbo non complicata cum alio affectu, ſeu cauſa requirente exiccationem: nam in maligna, atque hidropis febre humidus victus non conducit: quoniam in complicatis affectibus ratio habẽda eius, quod magis vrget.

Tertia Animaduerſio.
6. Epidemiorum.

Quòd ex hoc Aphoriſmo colligitur febrem quò ſimplicem magis ſeruat naturam; maiorem victus copiam expoſcere. vnde accuſat Hippocrates Prodicum, inedia, & laboribus febricitantes interimentem, quòd inedia ſit febri inimica, vt ſiccæ paſſioni. Vnde ſiccas, ac ſquallidas naturas in febribus Galenus ocyſſimè nutriendas docet, niſi ex obſtructione, vel inflammatione accendatur febris.

4. Adnotatio.

Quòd qualitas alimenti duplex conſideratur; prima in calido, frigido, humido, atq; ſicco; Altera uerò quòd aperiat, vel incidat, vel roboret.

Hippocra-

Hippocrates primùm qualitatem aſſumit, quàm morbo opponit; ſed, & ſecundas qualitates inde opponendas eſſe cauſis morborum colligitur, vt obſtructioni aperientes, craſſis attenuantes, lentis incidentes cibos opponamus.

Quòd victus duo Medicis ſignificat; vel cibum, & potum; vel regimen in ſex rebus non naturalibus. Primũ intendit Hippocrates in Aphoriſmo; vera tamen eſt ſententia in ſecundo: quia febri non ſolùm competit alimentum humidum, & pueris; ſed alia, quæ humectãt, ſomnus, quies, aer humidus, fomentum, balneum, vnctio. 5. Animaduerſio.

Quòd victus humiditas duplex eſt; alia per ſe; alia arte cõparata: de vtraq; intelligit Hippocrates: non ſolũ enim præſtat cibos exhibere, quippe qui actu ſint humidi in febre; ſed qui potentia: quod vtrunq; eſt in ptiſſana; ideò maximè laudatur ab Hippocrate. Quamobrẽ Medici excogitauerunt Iura, Conſumpta, Deſtillata, Expreſſa, Piſta, cæteraq; huius generis, ad febres vtilia, cibos efficientes ſorbiles, ac potabiles. 6. Adnotatio. 1. Acutor.

Quòd victus humidus multas habet prærogatiuas. Primò acutis morbis conuenit, quia omni febri confert. Deinde verò eſt naturæ familiaris: nam humido viuimus, & nutrimur. Tertiò facilè apponitur, diſtribuitur, & unitur quantum in ſe eſt; licet per accidens aliquando ſiccũ citiùs conficiatur, quàm humidum, vt in ſicca natura. Vnde iubet Hippocrates Iuuenibus dandum eſſe cibum impermutatum: & quamuis in aſſimilatione, quę quidem eſt, ultima tranſmutatio, citiùs à ſicco membro tranſmutetur ſiccum alimentum; ea ſaltem ratione uictus humidus citiùs alit membrũ ſiccum: quia uelocius tranſit alias præparationes, chilificationem; ſanguificationem, diſtributionem, & aglutinationem. 7. Aiaduerſio. Li. de Alimento.

Quòd intemperies, quę ſunt naturales, ut quę adueniant ratione ætatis, atque conſuetudinis, ſeruandæ ſunt per ſimilia, dũmodo tantus non ſit exceſſus, ut homo de ualetudine queratur; tunc enim paullatim tranſmutanda. Pueri igitur humiditas conſeruanda; ſed ſiccitas, & frigiditas ſenis reducenda; utraque enim naturalis; ſed in ſene excedit; non in puero: intemperies autem præter naturam ſemper contrarijs tollendę. 8. Aiaduerſio.

APHORISMVS DECIMVSSEPTIMVS.

Quibus ſemel, aut bis, plus, minusve, &c.

CVM hactenus Hippocrates de alimento multa diſputaſſet pęnes formam uniuerſalem ipſius morbi; Nunc de illo agit in particulari, docens quomodo uictus partiri debet in morbis. Cõnexio.

Medicus ultra conſiderationem uictus uniuerſalem, particularem quoque eius formam perpendere debet. Intentio.

Rõ intentionis. *Quoniam non ſatis eſt determinare victus ſpeciem, cuique morbo competentem; ſed perpendere per ſingulos dies, quando plus, aut minus, quando ſemel, bis, aut pluries nutrire conueniat.*

Diuiſio. *Diuiditur Aphoriſmus in duas partes; in quarum prima ſuam proponit intentionem, explicans, in quibus conſiſtit modus ipſius victus particularis, quatenus à virtute ſumitur, & à morbo; In altera verò nonnulla addit, quæ maximè conducunt ad illius inuentionem.*

Demõſtratio. *Id, quo ignorato perfectè nutriri ægri non poſſunt, debet à Medico cognoſci.*

Sed ſine forma victus particularis non poſſunt perfectè nutriri ægrotantes. Ergo

Forma victus particularis, vltrà vniuerſalem illius conſiderationem, debet expendi à Medico.

Maior per ſe clara eſt. Minor probatur: quoniam virtutis variatio, ac morbi, per ſingulos dies, variam victus partitionem indicat.

Prima adnotatio. *Quòd victus modus particularis, tria conſiderat de alimẽto; vel quòd magis, aut minùs nutriat; vel quòd paucùm, aut multùm ſumatur; vel quòd ſemel, aut pluries detur. Duo prima illis verbis comprehendit, quibus plus, aut minùs.*

Altera animaduerſio. *Quòd modus hic cibandi particularis à duobus ſumitur ab Hipp. Primum à coniectura, quę fit de duratione virtutis ad morbi vigorem, & eſt principale. Alterum, quod ſumitur à tempore, regione, ætate, & conſuetudine, quod minus eſt principale; vtrunque conatur explicare Galenus; ſed in primo ponit fundamenta, ac præcepta, quæ, & confuſa ſunt, et etiã partim falſa; quod enim ſupponit; conſtantem virtutẽ poſſe ſtare cum defectu, vel corruptione maligna, nequaquam admitti debet in morbis acutis: neque etiam in febre diaphoretica acuta (cuiuſmodi ſunt acuti ex defectu) conſiſtere virtus poteſt, vt ſecundo Acutorum tracit Hip. appellans iſtas debilitates ex vaſorum euacuatione: nec in peſtilenti febri conſtare virtus poteſt. Propterea nos duas tabulas ſubijciemus, in quarum prima oſtendemus, quomodo nutriri debeat ęger, ſumpta indicatione à virtute, & morbo; in altera verò, quo pacto à reliquis, tempore ſcilicet, regione, ætate, conſuetudine, ac temperamento.*

- Virtus
  - Cōſtās
    - Cū defectu
      - Ait Galenus in hoc caſu dandum multum ſæpè — Sed caſus hic eſt impoſſibilis, quoniam iſta eſt debilitas ex vaſorum euacuatione.
    - Cū abū dantia
      - Sanguinis Pletora.
        - Parum / Parū nutriens / Raró — Hic tamen citiſſimè vacuandum, ne πληθώρας tranſeat in κακοχυμίαν.
      - Aliorum humorum κακοχυμία.
        - Parum — Si turgent humores ſtatim vacuandi.
        - Pauci nutrimenti. / Raró. — Si crudi ſunt, ac firmi, coquendi prius.
      - Cū corruptione.
        - Perfecta, & eſt caſus impoſſibilis.
        - Imperfecta
          - Parùm ſæpè / Attemperans — Hic tutius vacuare.
  - Debilis
    - Cū defectu
      - Parum / Boni ſucci / ſæpè.
    - Cum πληθώρα
      - Parum / Pauci nutrimenti / Raró. — Hic vacuādum miſſione ſanguinis; non enim cum multo ſanguine virtus debilis eſſe poteſt, niſi per oppreſſionem.
    - Cū κακοχυμία
      - Parum / Raró / Pauci nutrimenti. — Hic purgatio neceſſaria in principio turgenti humore. Coctioue apparente in quiete, atque Crudo.
    - Cum corruptione.
      - Perfecta
        - Parum / nutriēs / ſæpè — Hic neceſſaria purgatio in principio.
      - Imperfecta
        - Parum / Sæpè / Attemperans — Hic Hepicraſis requiritur.

Parùm, & ſæpè
- Aeſtas.
- Regio calida, ſicca
- Autumnus prima parte.
- Conſuetudo.
- Bilioſi.
- Rari habitus.
- Infantia.

Parùm, & rarò
- Autumnus in debili.
- Regio humida.
- Primi ſenes.
- Denſi habitus.
- Frigidi, ſicci.
- Aſſueti.
- Ver in medio.

Multùm, & ſæpè
- Pueritia.
- Regio calida, humida.
- Temperies ſimilis.
- Autumnus in forti.
- Aſſuetudo.

Multùm rarò
- Hiems.
- Iuuentus.
- Regio frigida.
- Temperies calida.
- Habitus denſus.
- Aſſuetudo.
- Ver prima parte.

Tertia animaduerſio. *Quòd virium debilitas duplex eſt in morbis ex ſecũdo Acutorum; altera, quæ prouenit ex vi morbi; alterà, quæ oritur ex vaſorum euacuatione. Quæ ex vi morbi oritur, habet cauſſas, vel plenitudinem, vel κακοχυμίαν, vel putredinem. Quę verò ex vaſorum euacuatione; ſpiritus, atq; humorum conſumptionem. Prima debilitas ſemper reſpuit victum, præter quàm ſi fiat à vehementi corruptione; quo caſu nutrimus; quia timor eſt, ne virtus peruenire poſſit vſque ad morbi uigorem. At alterà debilitas ſemper iudicat victum.*

Quarta adnot. *Quòd circa conſuetudinem Antiqui plus cęnabãt; in prandio verò parũm nutrimenti ſumebant; quinimò multi ſemel in die nuttiebantur. Nũc verò aliqui plùs prandent, alij bis, ſed ter, & pluries; qui quidem omnes cùm ęgrotant, ea ratione nutriri debent, niſi quid probibeat.*

Quinta Animaduerſio. *Quòd ad victus modũ poteſt reduci prǫparatio cõdimentũ, atq; ordo. Præparantur aũt cibi elixatione, aſſaxione, & frixione; cõdiuntur verò aceto, ſapa, ſale, oleo, atq; melle Sacharo. In acutis morbis ſola elixa ferè conueniunt. Neque debet eſſe auarus Medicus in gratificatione, quæ pertinet ad ſapores, maximè ſalis. Conuenit quoque acetum in acutis,*

ſed

ſed cõueniētior eſt Limonis ſuccus,maximè bilioſis,ac malignis febribus. melle raró debet uti ut alimento Medicus in acutis,quia bilioſũ admodũ. Ordo parum facit quoniam unica cibi ſpecies ſufficit in acutis morbis.

APHORISMVS DECIMVSOCTAVVS.

Æſtate, & Autumno cibos &c.

CVM ſuperiori Aphoriſmo de partitione cibi egiſſet,& propoſuiſſet dandum eſſe aliquid tempori; Ideo in præſenti explicat quomodo anni tempus ad ipſam partitionem conducat. Cõnexio

Aeſtate,& Autumno cibi copia difficillimè fertur;hyeme uerò,ac uere facillimè. Intentio.

Vt demonſtret æſtiuo tempore atq; autumnali paucùm,& ſæpè alendos ægros;quoniam copia cibi difficilè fertur. Contra uerò hyeme, & uere,multùm & raró,quoniam cibi cibi copia facilè fertur. Rõ intentionis.

Diuiditur Aphoriſmus in duas partes: in quarum prima docet,quomodo nutriendi ſint ægri æſtate,& Autumno: in altera uerò quomodo hyeme,& uere. Diuiſio.

Quo tempore plus eſt innati calidi, facilè fertur cibi copia. Demonſtratio.
Sed hyeme,& uere multa ineſt copia caloris. Ergo
Tunc temporis facilè fertur cibi copia. Et à contrario difficilè Aeſtate,& Autumno.

Maior propoſito perſpicua eſt; quia multus calor multam cibi copiam ſuffert.

Minor eſt Aphoriſmus 15.Ventres hyeme,& uere calidiſſimi.

Quòd quemadmodum ex Aphoriſmo 15. poteſt huiuſcemodi ſententia probari,tanquàm à cauſſa,ita ex hoc Aphoriſmo,tanquàm ab effectu demonſtrari poteſt ille: Nam ubi multus eſt calor, facilè;ubi uero paucus, difficilè fertur cibi copia;& ubi difficile fertur cibi copia,paucus calor ; & ubi facilè, multus. I. Animaduerſio.

Quòd non ſolùm meliùs ſuperatur alimentum in hyeme,quàm æſtate; ſed errata,quæ fiunt in uictu ob nimiam ſatietatem, facilius hyeme, & uere,quàm alijs temporibus corriguntur: quod indicat uerbum illud[cibi copia] neq.ſolùm peccata quantitatis,ſed qualitatis ipſius uictus,quã do eſt naturæ humanæ contraria, ut in uenenatis,facilius uincuntur in hyeme,quamuis quoad expulſionẽ citiùs in æſtate corrigantur,tanquã in tempore ad uomitum aptiſſimo. Sed in corpore ſi maneat uenenum, magis ſuperatur hyeme,quàm æſtate, & diutiùs uiuit homo eo tempore, ſi moriturus eſt. Altera adnotatio.

Quòd nutrimentum non ſolum in maiori copia hyeme,ac uere ſumen- Tertia animaduerſio.

De victu priuatorum. De Aere, Aquis, & locis. dum,ſed ſolidum,ac denſum magis.& potiùs aſſum , quàm elixum. Potus verò quàm pauciſſimos;& meraciſſimos . Sed æſtate contra multùm bibere,atque dilutiùs,parùm autem comedere: neque enim fieri poteſt, vt multùm bibamus,& comedamus, nam potatores non multùm edunt, & è contra.

Quarta Animaduerſio. *Quòd appetentia vehementior eſt,& velociùs aduenit homini in hieme,quàm in æſtate ob potentiam caloris,ſuppoſita tamen eadem cibi ſubſtantia,quantitate, ac præparatione: verùm,quia hieme comedimus magis,quàm æſtate;ideo fit,vt citiùs appetamus tempore æſtiuo.*

5.Adnotatio. *Quòd facilius fertur cibi copia hieme,quàm in vere:quod quidẽ Hip. in hoc Aphoriſmo concedit,facta comparatione ad mediam,atq. vltimã partem ipſius ueris. Præterea licet ratione temporis multum in uere dandum ſit; attamen ob plenitudinem iubet Galenus parcius nutriendum: in autumno verò,cùm ſit tempus uarium,& inæquale,ſi vires ſint debiles,vt in æſtate,nutrimus. At in robuſtis,plus damus.*

6.Animaduerſio. *Quòd hic Aphoriſmus differt à 15.quoniã ibi abſolutè reſpicit quantitatem victus,hic verò partitionem.Deinde ibi æqualiter nutriendum eſſe hieme,& vere; Hic verò magis hieme. Tertiò ibi continetur cauſſa plus,aut minus nutriendi; hic verò de tolerantia maiori, vel minori.*

5.Adnot. 3.de cauſ. Pulſ.6. *Quòd virium robur,maximum putauit Galenus tempore veris. Quare conſequitur,vt magis vere, quàm hieme alendum ſit. Dicendum eſt, quamuis robur virium eo tempore ſit maximum; tamen ob timorem repletioni minus dandum;nec verò illud recipiendum eſt,facultatem naturalem hieme robuſtiorem,uitalem verò in vere; cùmque magis cibo indigeat naturalis,quàm vitalis; ideo magis hieme dandum: quoniam calor cordis,non tantum hepatis,maior eſt hieme, quàm æſtate.*

APHORISMVS DECIMVSNONVS.

Quibus per ſtatos circuitus, &c.

Cõnexio. *CVM præter dicta in antecedentibus,acceſſionum circuitus ad partitionem victus conducat; ideo in præſenti Aphoriſmo illos in conſiderationem adducit, atque in memoriam reuocat.*

Intentio. *Neque cùm adeſt acceſſio, neque cùm futura eſt, quidquam exhibere oportet.*

Rõ intentionis. *Quoniam acceſſionum periodi tollunt cibum; ideò contingere poteſt, vt qui alioqui parùm,& ſæpè eſſent nutriendi ob illorum frequentiam, parùm & rarò cibentur,uel etiam plus,minuſque.*

Diuiſio. *Breuitas Aphoriſmi diuiſionẽ haud patitur,niſi quis illius partes duas efficere velit, ita, vt in prima nil dandum præſente acceſſione; in altera*

verò

verò neque ante acceſſionem.

Demõſtratio.

In acceſſione natura magis, quã unquã eſt triſtis, & oppugnata. Ergo Cùm per circuitus morbi fiunt, nil dare, neque cogere in acceſſione, & prope eam.

Antecedens clarum, & apertum eſt: quoniam acceſſio dicitur deterior morbi tempus.

Conſequens deducitur; quia tunc temporis natura cibum corrumpit, atque incoctum relinquit.

Quare, ſeu quis iam pręſente acceſſione, ſeu parùm ante illam victum det magnoperè lędet naturam, & morbum augebit.

prima Animaduerſio.

Quòd non ſolùm nil dandum in acceſſione, & parùm ante illam; ſed neque cogendum ęgrotum, vt ſumat. Dictum propter imperitos Medicos, qui non diſtinguentes debilitates in morbis, in acceſſione; non ſolùm cibũ exhibent, ſed cogunt: in acceſſione enim æger aſflictus apparet plerumq; ob vim morbi. Quòd ſi reſoluatur, ut in febribus purè biliosis, temperaturis ſiccis, ac ventriculi ſenſilis; in his non ſolùm dare ante acceſſionem, & in ea, ſed cogere licet.

Altera animaduerſio.

Quòd iudicium duplex eſt; alterum particulare, quod in unaquaq; fit acceſſione; alterum vniuerſale totius. Primus indicat morbum, quoad partem; alterum uerò quoad totum. eſt autem indicatio Hippocrati, cùm morbi uel tolluntur, vel remittuntur, uel augentur per celerem mutationem; quippe quę non niſi in die acceſſionis fieri poteſt, iuxta illud. [Quibus quotidie rigores fiunt, eodem die febres ſoluuntur.] 2.Aph.63

Terta Animaduerſio.

Quòd verbum illud [adimere] duo nobis ſignificare poteſt; vel cibi; vel materiei morbificæ ablationem: & quamuis mens Hippocratis ſit de cibo; rectè tamen & ad humorem, acceſſionem inducturum referri poteſt: nam licet materiam ante acceſsionem leuiter vacuare cliſteri, glande, aut uomitu; nec uerò ſolum id, ſed & medicamentum purgans in dies acceſſionis aliquando exhibere conuenit, in longa, ac pertinaci febre, qualis eſt Quartana, ut placuit Auirennę, multiſque alijs Medicis inſignibus, uelnti experientia comprobatum.

Quarta Animaduerſio.

Quòd circuitus quidam ſunt ordinati certa quadam die, uel hora repetentes, alij ſine ordine inuadunt. Ordinati acceſſio Hippocrati multiplex, quotidiana, tertiana, quareana, quintana, ſeptana, nonana. Quò fit, ut circuitus ordo abſolutè ad humoris putreſcentis proprietatem referendus non ſit; alioquin tres eſſent circuitus tantùm iuxta humores tres (ſanguis enim acceſſionem non facit) ſed neq. ad humorum copiam minorem, uel maiorem; quia pauca bilis quartanum faceret circuitum, ſed ad actionem naturę, ac putredinis qualitatem; natura enim mouet ut plurimũ de tertio in tertium; ideo omnis acceſſio, quantum in ea eſt, tertiana fit, quia de tertio in tertium mouere ſolet. At humoris diuerſitas in eſſentia, quanti-

In Epidemio. *tate, modo putredinis, naturæ impetum uincit. Sed hæc ad aliud tempus reſeruanda ſunt. Illud tamen notat Hippocrates, iſtorum circuitum, peſſimum eſſe quintanum, quippe qui tabidos antecedens, uel ſuperueniens occidat, ſicuti, & ſemitertianus.*

5. animaduerſio. *Quòd hic Aphoriſmus differt ab undecimo: Primùm, quòd ibi ſolùm docet tempus particulare exhibendi cibum; hic uerò ad partitionem illius eum adducit: ibi ſolùm abſtinendum à cibo, cùm adeſt acceſsio; hic etiam ante illam: ibi ſolùm adimendũ alimentum; hic uerò non id tantum, ſed neque cogendum.*

6. adnotatio. *Quòd in morbis circuitus quidam ſunt perpetui, alij uerò minime circuitus non perpetuus, eſt tertianus, uel quartanus, quoniam non omnis morbus ita exacerbatur, vt perpetuus circuitus in omni morbo adſit; illũ*

6. Epidem *uerò indicauit Hippocrates eſſe ad ueſperam; quoniam inter horas diei ad illud tempus magis exacerbatur morbus; ueſperum uerò intelligit non ſolùm poſt meridiem, ſed primam noctis partem, quare perturbationes potiſsimùm ad noctẽ perpetuò fieri ſcripſit. Galenus uerò tẽpora anni quattuor, quattuor diei temporibus confert, ita ut matutinum tempus ueri, meridies æſtati, ueſperum autem autumno, nox uerò hiemi comparetur.*

APHORISMVS VIGESIMVS.

Quæ iudicantur, & iudicata ſunt, &c.

Cõnexio. *CVM in ſecundo, & tertio Aporiſmo huius libri Hippocrates, de qualitate, & quantitate euacuationis tractaſſet, interpoſitis ſententijs de uictu; docet in præſenti, an Medicus uacuare debeat, nec ne.*

Intentio. *Natura rectè operanti, Medicus nil moliri debet.*

Rõ intentionis. *Vt Medicus cognoſcat, an ſit operandum, uel potius totum negotium naturæ committendum; eſt enim primus actionis ſcopus, an agendum, de quo hic tractat Hppocrates, & per conſequens an euacuandum.*

Diuiſio. *Hæc ſententia, cùm unica ſit concluſio, diuiſionem non admittit, quare indiuiſam eam reliquimus.*

Demõſtratio. *Medicus non debet operari cum noxa.*

Sed ſi quid molitur Medicus, natua rectè operanti, ſemper nocet.

Ergo

Medicus nil debet moliri, natura rectè operante.

Maior eſt per ſe clara; atq; aperta. Minor uerò probatur, quia ſi Medicus facit aliquid, uel naturæ opus impedit, uel auget (ſupponimus enim perfectam naturæ operationem;) at quocumque modo nocet, ſi impedit retrocedens materia partes principes occupabit cum uitæ diſcrimine; ſi auget, uirtutem exhaurit, ultrà modum euacuans.

Quòd

Quòd iudicium dicitur repentina in morbis mutatio, & magna, atque ſpontanea, nomine tranſlato à iudicio, quod fit in foro. Dicitur mutatio repentina: quia, quę paulatim fit in morbis mutatio, non eſt criſis, ſed exolutio; magna verò quia per criſim, ægrorum ſtatus vehementer mutatur. Spontanea, quia fit ſine Medici opere. Prima animaduerſio.

Quòd Criſis differentia ſumitur à differentia termini illius: uel enim mutatio fit ad ſalutẽ, & dicitur criſis optima; uel ad melius, quæ quidem bona nuncupatur; uel ad mortem, quæ peſſima; vel ad peius, quæ mala dicitur. Cùm igitur morbus, uel optimè, uel peſſimè iudicatur, nil moliri Medicus debet, cum uerò ad melius fit iudicium, Medicus ſupplere debet, ſicuti ſi nihil operatur, quo tempore mouere deberet. In mala etiam criſi, re non in totum deſperata, Medicus coctionem adiuuare, naturamq́; roborare debet quantùm fieri poſſit. Altera animad-uerſio.

Quòd criſis tàm bonæ, quàm malę tria ſunt Medico ſignorũ genera; q̃dã ſunt antecedentia ipſam; quædã verò ipſi adiuncta; alia criſim conſequentia. Optimæ criſis ſigna, ac firmiſſima ſunt coctiones excremẽtorum, quæ die indicatorio in vrina, fecibus, ſputo, perfectæ apparent; minus perfectæ in bona, ſicuti in mala criſi cruda, in peſſima, praua: ponimus enim in vnoquoq. ſigno, optimum, bonum, malum, peſſimũ, ex Hippocratis ſententia in Prognoſtico: vrina enim cum ſedimento albo, leni, æquali, in quarta die apparens, ſeptima perfectè iudicandum morbum indicat: cũ ſubrubea, non ita perfectè; cùm cruda, malè iudicandum; cùm nigra peſſimè. Signa ipſi criſi adiũcta, eſt perturbatio in nocte antecedẽti & dies critica; nam benè iudicantur ipſi morbi plerumq; ſeptima, quattuordecima, ac vigeſima; malè autem ſexta, octaua, ac duodecima. Signa verò conſequentia criſim ſunt, conferentia, ac tollerantia; ubi enim vtrunque conſequitur, optima; vbi nullum, peſſima; ubi conferentia ſine tolerantia, bonum, quemadmodum ubi tolerantia ſine conferentia, malum. Tertia animaduerſio.

Quòd criſis duas habet partes; perturbationem ſcilicet, atque euacuationem, iuxta illud [Quibus criſis fit, nox quæ acceſſionem præcedit grauis] ob vapores qui eleuantur, uel ad caput, vnde delirium, ſuffuſio, dolor, vigilia; uel ad cor, unde anxietudo, difficultas ſpirandi; uel ad ſtomachum, vnde ſitis, morſus illius, inappetentia; vel ad muſculos, unde rigor. Quibus repentè apparentibus, Medicum terrere non debent, ubi coctionis ſigna apparuere, ſed confirmare. Contra vbi cruditatis notę, uel putredinis adfuere. Eſt tamen criſis plerumque ad bonum, unde noctem criſis ſequentem leuiorem ſtatuit Hippocrates. Quarta adnotatio.

Quòd morbi multipliciter terminantur; uel criſi quod ſubito fit; uel per coctionem, & paulatim. Criſis, uel fit per euacuationem, quando materia extra corpus pellitur; uel per abſceſſum, cùm ad ignobiles partes tranſmittitur. Eſt, & alius morborum terminus, cùm morbus unus Loco citato. Quinta animad-uerſio.

in

BIBLIOTECA NA...

in alium degenerat; vt angina, in pulmoniam; hæc verò in ſuppurationem.

6. Adnotatio. *Quòd præcipit Hippocrates per hanc ſententiam, vt Medicus cũ natura integrè indicat, ſpectatorem ſolùm ſe præbeat, neque aliquid moneat, aut innouet ſeu medicamentis, ſeu irritamentis. per hæc imperitos reprehendens; quippe qui, ut aliquid ſapere videantur, in omni ægri viſitatione aliquid præcipiunt faciendum, vt cliſterem, vel vnctionem, vel frictionem, vel aliud quippiam, & criſim interrumpunt. Illos quoque hæc mordet ſententia, qui quidem nullum ægrum impurgatum relinquunt in fine mali, docens perpetuò nil moliendum à perfecto iudicio.*

APHORISMVS VIGESIMVSPRIMVS.

Quæ educere oportet &c.

Cõnexio. *CVM in ſuperiori Aphoriſmo de primo euacuationis ſcopo pertractaſſet, quod quidem continet, an euacuandum ſit; In præſenti locũ euacuationis commodum demonſtrat.*

Intentio. *Cùm Medicus mouet, debet locum eligere, ad quem natura mouet cum conferentia.*

Rõ intentionis. *Vt Medicus cognoſcat, quãdo aliquid operari debet, & ut in ipſa operatione naturæ motum imitetur, locumque ad euacuandum aptiſſimum cognoſcat.*

Diuiſio. *Non admittit diuiſionem Aphoriſmi breuitas, niſi ita quiſpiam ipsũ partiri uelit; ut in prima parte doceat motum naturæ eſſe immutandũ; in altera verò cautionem adhibeat, ita vt diuidatur in regulam, & cautionem.*

Demõſtratio. *Medicus eſt imitator naturæ rectè operantis. Ergo*
Per eum locum debet muouere, ad quem natura mouet cũ conferentia.
Antecedens eſt manifeſtum. Conſequentia clarè deducitur.

Prima Animaduerſio. *Quòd dum locum euacuationis aptum docet hic Hippocrates, imitandamque eſſe in eo naturam: naturæ opus non integrum ſupponit, vel non inchoatum: tũc enim operatur Medicus, quoniam natura, vel mouet quando mouere debet, uel non mouet. Si mouet, uel id facit uincens, uel ſuperata, uel irritata. Si mouet uincens; uel mouet intra corpus ad abſceſſum; uel extra corpus per euacuationem; & in utroque, uel perfectè, uel imperfectè. Cùm igitur natura non mouet, quando debet mouere; Medicus mouere debet ad loca conſueta naturæ. Cùm mouet uincens imperfectè, mouere debet per locum, ad quem uergit natura, ſi conferat; cùm mouet irritata; uel id fit turgente materia, natura cooperante, & tunc mouere debet; uel ſimptomaticè, & tunc corrigenda; Quare Medicus dicitur*

naturæ

naturæ imitator, cùm nil operatur; adiutor uerò, cùm imperfectè uincit; corrector autem, cùm irritata eſt, et ſymptomaticè mouet, qua de re loquēs Hip. 6. Epid. ait; reuellere ſi qua non oportet, uergant humores, ſi uero qua oportet aperire conuenit. Motus uerò naturæ irritatę, qui fieri ſolet in principio, medius eſt inter motum naturæ uincentis; & uictæ.

Quòd conſueta naturæ loca, ad quæ ſolet tranſmittere, ſunt, quæ habēt meatus patentes, & colligantiam cum parte læſa; dummodo ipſa non ſit offenſa aliquo particulari morbo. quare ſcripſit Hippocrates oculorum de fluxus, ſi modo conferre uidebitur, reuellere ad fauces oportet. Cerebrū igitur in abſceſſu mouet ad parotidas, glandulas ſcilicet poſt aures: in euacuatione uerò ad nares palatum, & aures. Cor quidem, & Iecur ad axillas. & inguina. hoc ad dextras illud ad ſiniſtras per abſceſſum: at in euacuationes per cutim urinam, deiectionem, hemorroides, menſtra, uomitum. Quare Hippocrates iudicari ait acutos morbos, aut hemorargia, aut ſudore multo oborto, aut urina purulenta, uitri formam referente, aceruatim prodeunte, aut aluo mucoſa, & cruenta de repente egerente, & uomitibus non prauis contingentibus; non quod omnia iſta ad unum morbum iudicandum concurrant; ſed quod unum, uel alterum ſufficiat. Altera Animaduerſio. 6 Epid. 2 Lib. præ dictionū.

Quòd motus naturæ ad locum conferentem per ſua ſigna cognoſcitur, ſeu natura tendat ad abſceſſum; ſeu ad euacuationem, quorum omnium hic tabulam ſubijcere decreuimus ad utilitatem addiſcentium. 3. Adnotatio.

Motus

- Motus Naturæ
  - per abſceſſum
    - Futurũ cuius ſigna.
      - Vrina tenuis cum bonis ſignis.
      - Virtus non ita fortis cum calidis humoribus.
      - Virtus robuſta cum frigidis humoribus.
      - Morbi longitudo cum bonis ſignis.
    - Locus abſceſſus.
      - ſuperiora cuius ſigna.
        - dolor, calor, tumor — partiũ illarũ ſuperiorũ.
      - inferiora, cuius ſigna.
        - tumor, calor, & dolor — harum partium.
  - per euacuationem
    - Vomitu, cuius ſigna.
      - Vertigo, Pluſus durus, Dolor capitis, Morſus ventriculi, Rigor Labri inferioris, tremor, Hipochondrij frigiditas.
    - Sudore.
      - Rigor præcedit, pulſus mollis, anxietudo, vrinæ ſuppreſſio, & Alui, carnes calidæ, rubræ, ac vaporoſæ.
    - Deiectione.
      - Si ſigna aliarum excretionum non adſunt.
      - Rugitus. Tormina.
    - Vrina.
      - Si reliqua ſigna non extant.
      - Murmur in hipochondrio.
      - Lumborum grauitas. Aſſuetudo.
    - Hemorogia.
      - e narib. cuius ſigna
        - Hebetudo oculorum.
        - Dolor colli, & frõtis, rubor faciei.
        - Difficultas ſpirandi. Tenſa hipochõdria. Ætas, & Regio ſãguinea.
      - Menſtruis
        - grauitas lumborum, calor, & dolor ad pecten.
      - ex hemorrohidibus
        - aſſuetudo in ſanitate.
        - grauitas, atque dolor partis.

APHORISMVS VIGESIMVSSECVNDVS.

Concocta medicare, atque mouere, &c.

Cõnexio. *CVM Hippocrates in præcedentibus Aphoriſmis duos euacuationis ſcopos propoſuiſſet, an uacuandum eſſet; & quis locus euacuationis aptus; In præſenti modò de purgationis tempore agit.*

Intentio. *Duas habet concluſiones; quarum prima eſt huiuſmodi. Materia tũc temporis purganda eſt, quando eſt cocta. Altera uerò eſt; Materia turgens, purganda eſt ſine mora.*

Vt

Vt in materia quieſcenti Medicus coctionem expectet: in ea uerò, quæ in motu eſt, etiam ſi cruda ſit, ſtatim purget. Rō intentionis.

Diuiditur hæc ſententia in duas partes; in quarum prima concluſionẽ ponit in quieſcente humore; in altera verò in humore turgente. Diuiſio.

Eo tempore ſolùm purgare oportet, quo ſequitur conferentia, & tollerantia. Demonſtratio primæ.

Sed quieſcente materia, hæc duo ſequuntur ſolũ, quando eſt cocta. Ergo

In materia quieſcente ſolùm purgare oportet, coctione apparente.

Maior per ſe clara, & aperta eſt. Minor demonſtratur: nam cocta materia, natura vincit; quare humor noxius vacuatur à bono ſegregatus; vnde conferentia. Coctus item humor victus eſt, ideò cum tollerantia.

Illa materia ſine mora eſt euacuanda, quam vel natura ſuperare nequit, uel naturam preoccupare eſt apta. Demonſtratio ſecundæ.

Sed turgens materia, vel à natura ſuperari non poteſt, vel preoccupatur ab ipſa; Ergo

Materia turgens ſine mora eſt vacuanda.

Maior probatur: nam materia, quam natura coquere non poteſt, qualis eſt maligna, & venenata, fruſtra relinqueretur in corpore, & cũ ægrotantis pernicie. Materia item, quæ naturam præoccupare poteſt, eſt illa, quæ petens principales partes, morbos grauiſſimos, & penè inſuperabiles inducere eſt apta. Ob idq; antequàm naturam occupet, ſtatim purganda, atq educenda. Minor declaratur; quia illa eſt materia turgens, quippe quæ, vel eſt inſuperabilis à natura, vel adeò mobilis, ut timor ſit raptus ad partem mobilem; materia autem maligna, etiam quieſcens, turgere dicitur, quia ualdè affligit.

Quòd concoctio duplex, alimenti, & excrementi. Prima fit per conuerſionem humoris in ſubſtantiam corporis. Altera verò conſiſtit in reductione humoris ad temperiẽ, vel in prima, vel in altera, vel etiã in tertia qualitate. Cùm itaque Hippocrates coctum humorem euacuandũ eſſe docet; de ſecunda loquitur coctione, precipiens non eſſe vacuandum humorem, niſi à natura victum: alioquin, cum multo ægri nocumento, fieri; quod patet in tumoribus, qui aperiuntur ante integram maturitatem: nam ſalubres tardiſſimè, & cũ multo negotio; inſanabiles autẽ perimũt. Quare ſcripſit Hip. Qui, cùm ea, quæ in principijs morborum inflammata ſunt, ſoluere medicamentis aggrediuntur; hi de intenta, & inflãmata parte nil auferunt; immo ſanas partes colliquefaciunt. 1. Animaduerſio. 4. Acutor. „ „

Quòd concoctio apparet tùm in augumento, cùm etiam in ſtatu; in illo imperfecta, in hoc verò perfecta: vtroque tempore purgare oportet. Vbi enim tanta eſt materiæ copia, ut timor ſit, ne, vel calorem ſuffocet, uel ad partes internas fluat; paullatim coquimus, & paullatim uacuamus: cum verò abeſt ille timor; perfecta coctio expectanda eſt ad Altera adnotatio.

purga-

purgationem,& ita conuenit minorans medicamentum,non in principio, ſed in augumento, ex ſententia Hipp.ita ſcribentis.[Quibus in princi-
4.Acutorum. *pio vrinæ tenes,tales ne purgato]ſed ſi viſum fuerit infuſum per cliſte*
„ *rem adhibeto,poſtea corpus quieſcat,vnctionibus vtatur, & æqualiter cõ*
„ *tegatur, potu vtatur mulſa, medicamenta autem non exhibeto: ſi enim*
„ *quid circa ventrem commoueris,vrina non concoquetur, ſed abſque iudi*
„ *catione febris ad multum tempus extendetur. At quibus in principio u-*
„ *rinæ nebuloſæ,aut craſſæ,tales depurgare oportet ſi cætera conferant.Hæc*
„ *ille. Per quæ docet,in principio morbi in quieta materia, atq. cruda nil eſſe exhibendum præter cliſterem. At in augmento,quod nomine princi pij ſignificat,vacuandum eſſe:nam principium,vt extenditur ad quartã diem, comprehendit augmentum,& in eo poteſt apparere coctio.*

Tertia Animaduerſio. *Quòd coctio duplici auxilio promouetur; vel per ea,quæ calidũ innatum augent;vel quæ humorem ad mediam temperiem reducunt. Primã ſunt,quæcunq; calefaciendi,& humectãdi uim habent,vt ſomnus, quies, vnctio,fomentum,cooperimentum, clyſter, vinum,mulſa. Secunda ſunt, omnes qualitates,tàm primæ,quàm ſecundæ,aut tertiæ, vim habentes reducendi humorem ad temperiem. Conſideratur autem coctio maximè in excrementis,vrina,ſputo,ſudore,fece.*

Quarta Animaduerſio. *Quòd humores tenues quieſcentes;uel ſunt in cauitatibus corporis; vel ſunt imbibiti in partibus illius. Primi,nulla expectata coctione, uacuari poſſunt à principio. Alij verò temperamento indigent,& in craſſatione, vt ad mediocritatem redigantur; alioquin nulla Arte educi poſſent,ut humor,qui grauedinem excitat,vel qui ſputo expelli poſtulat.*

5.Animaduerſio. *Quòd materia turgere dicitur,non ſolùm quando velociter mouetur; ſed quando à natura ſuperari non poteſt,vt maligna, & peſtilens: hæc enim,licet aliquando lateat,repentè poſtea mouetur. Quare fit, vt turgentia materiæ,non ſolùm ſit in principio,ſed poſt ipſum,& in augumẽto,& vigore. Seu igitur illa actu turgeat,ſeu potentia, ſtatim educenda eſt,nulla expectata mora, antequàm præoccupetur natura,& virtus proſternatur. Sed in maligna,leui ſemper medicamento ob virtutis proſternationem. In ea,quæ velociter mouetur,fortiori.*

6.Aiaduerſio. *Quòd motus faciens materiam turgentem,non ſolùm ille eſt, qui huc, vel illuc indifferenter mouetur, ſed eius,qui ad unum locum repit,& dolorem, & inflammationem efficit. Propterea materia turgens non ſolùm medicamẽto educi debet,ſed phlebotomia,quod plerunq. fit magis,quàm purgatione,quamuis vtrunq; remedium, aliquando conueniat. Vbi verò materiæ impetus eſt ad partes ſuperiores,magis phlebotomia conuenit; velut ſi ad inferiores purgatio:id quod Hip.Pleuritidis exemplo demõ*
2.Acutorum. *ſtrauit; nã vergenti ad clauiculam dolore, ſanguinem mittit,ad hipocondria verò purgat. Conuenit tamen aliquando purgatio, cùm ad ſtomacũ*

mouetur,

moueтur,& os per vomitum ad parentem uiam.

7. animaduerſio.

Quòd Hippocrates hic loquitur non ſolùm de medicamento purganti; ſed & de omni alia excrementi eductione, ſeu per vrinam, ſeu ſudorem: iſta enim non ſunt mouenda, niſi cocta materia; ſi uerò turget, tutum non eſt, per ſudorem, uel urinam illam educere, ob tarditatem euacuationis: cùm verò purgatio excrementi requirat coctionem, neque in principio facienda ſit, niſi raro, maior eſt ideo prærogatiua phlebotomiæ, in qua nulla coctio expectanda eſt.

8. animaduerſio.

Quòd in morbis acutis ferè ſemper materia turget, & præcipuè in peracutis. Sed quoniam iſti morbi raro inuadunt, ideò fit, vt raro materia turgere dicatur. Ex quo deducitur, valida remedia in peracutis ſtatim eſſe obeunda, non ſolùm ob morbi vim, ſed ob tollerantiam.

9. Adnotatio.

Quòd ex medicamentis purgantibus, quædam ſunt ualida, ut ſcammonium lateris peplium, antimonium; alia imbecilla, vt caſſia, manna, tamarindi, mirabolani, ſyrupus roſatus; catolicon: alia mediocria, vt Rabarbarum, Agaricus turbit electaria, diaſenicon de roſis, de pſilio, hanec indū. Valida medicamenta raro admodum in vſum deducenda, niſi vrgeat. Mediocria frequenter. Leuia in leuiori morbo. Cùm tamē materia cruda eſt, atque ſine motu, nil per os exhibēdum, ſed clyſterium uſum ſolum probat Hippocrates. Hinc materiæ coctionem procurat.

Quòd raro natura cum vtilitate à principio euacuat; Medicus tamē frequentius, id quod Hippocrates indicauit, iubens à principio acutorum mouendum, nunquàm tamen purgatio in materia cruda poteſt eſſe cum tollerantia, & ſine labore; licet ſit cum conferentia, vel ratione præſentis mali, vel ſaltem futuri.

4. Acutor. 10. Animaduer. Gal 4. Aph. 5. 4. 2. Aph.

APHORISMVS VIGESIMVSTERTIVS,

Quæ euacuantur, & euacuata ſunt &c.

CVM Hippocrates in ſuperiori Aphoriſmo de tempore euacuandi tractaſſet; In præſenti modò de ipſius euacuationis modo uerba facit, & de illius iudicio. Cōnexio.

Bona euacuatio non debet iudicari ex quantitate ducti humoris, ſed peccantis cum tollerantia. Intentio.

Vt demonſtret non eſſe ſemper per æqualia curandū; ſed, & per ea, quippe quæ morbum ſuperant, & per ea, quę infrà morbum ſubſiſtunt. Rō intentionis.

Diuiditur Aphoriſmus in duas partes; in quarum prima ſuam proponit intentionem; in altera uerò rationem illius adducit. Diuiſio.

Si bona euacuatio æſtimāda eſſet per quantitatem humoris, nunquàm euacueremus magis, uel minus, quàm peccet. Demōſtratio.

Sed

Sed aliquando vacuamus vltra id, quod peccat, aliquando autem infrà ſubſiſtimus. *Ergo*

Vacuatio non eſt æſtimanda penes quantitatem humoris, ſed virtutis tollerantiam.

Antecedens clarum, & apertum eſt. Aſſumptum verò probatur; quoniam aliquando vacuamus ad λειποθυμίαν, quod eſt ſupra vires ob uim morbi, aliquando autem infrà propter debilitatem.

prima Animaduerſio. *Quòd ex hac doctrina educitur euacuandi modus: vbi enim morbus eſt magnus, & tollerantia multa, ſemel, ac repente, multumq; ducere oportet; at ſi deeſt tollerantia, euacuationem partimus: neq; idcirco negat non eſſe conſiderandam humoris quantitatem in euacuatione, ſed habendã quoque rationem eſſe eius, quod magis vrget. Qua ratione fit, vt aliquãdo ad λειποθυμίαν, fiat euacuatio; aliquandò verò infrà morbum.*

Altera Animaduerſio. *Quòd virtutis defectus, quidam eſt abſolutus; alius verò reſpectiuus. Abſolutus dicitur ſyncopis, per quam omnes virtutes concidunt. Reſpectiuus autem, qui dicitur λειποθυμίαν; per quam non in totum vires deijciuntur, ſed conſtat adhuc robur, cùm in pulſu, tùm etiam in motu. Cùm itaq. Hippocrates dicit faciendam eſſe euacuationem vſq. ad defectiones, intelligit non ad ſyncopem, ſed ad Lipothimiam. Primam poſſunt uires ſufferre. Alteram autem tollerant, neq. contrarium huius docet Hippocrates tertio huius, cùm enim negat faciendas eſſe extremas euacuationes, intelligit ad ſincopem.*

Tertia Animaduerſio. *Quòd tres caſus affert Galenus, euacuationem indicantes uſque ad λειποθυμίαν; febrem ſcilicet ardentiſſimam, magnam inflammationẽ, magnumq. dolorem. Sed nulla febris eſſe poteſt, ſeu illa ſit ſinoca, ſeu cauſon, quæ tantam indicet euacuationem, nam ſinoca febris, licet magnã indicet ſanguinis miſſionem, non tamen extremam. Cauſon verò, aut ſanguinis miſſionem non indicat, aut in pauca quantitate. Dolor, etiam ſi maximus, non omnis indicat huiuſcemodi euacuationẽ; vt ſi à cauſſa frigida oriatur, & vires diſſoluat, ut diſtenſio, cholicus. Tertius caſus, ideſt maxima inflãmatio cum acuto dolore hanc euacuationem ad λειποθυμίαν*

4. Acuto. *indicat, & à cauſſa calida; ut ſcripſit Hipp. in pleuritide, ad clauiculam vergenti, atq. ad mammas: ſi acutus fuerit dolor, hanc euacuationem facit; nec vtrunq. ſed ſi ęger fuerit robuſtus, ętas florens: nam niſi hęc adſint, conducit potius magnam, quàm extremam vacuationem moliri, intantum eſt formidabilis, vrget tamen neceſſitas in dicto caſu.*

Quarta adnotatio. *Quòd vacuatio ad Lipothimiã, ſolùm fieri debet per ſanguinis miſſionem, at per purgationem nunquàm, etiamſi morbus ſua natura id poſtularet; quoniã non eſt in poteſtate noſtra ſiſtere medicamentum, ſicut ſanguinem; vnde ſyncopis, aut conuulſio pro Lipothimia ſuccederet cũ ægri pernicie; at cùm ſanguinem mittimus, manum pulſui admouemus, & cùm*

iam

iam manifeſtè debilitatur, ſiſtere ſtatim poſſumus.

Quòd antiqui latiſſimè ſanguinem mittebant: erat enim ipſis menſuſura unica libra ad minus, & aliquando ad tres libras mittebant: quod intelligendum eſt, vbi ſanguis peccat, non quum alij abundant humores, quamuis purgatio indicetur, tamen ſanguinem mittimus aliquando ob morbi magnitudinē, quo tempore non ita larga cōuenit ſanguinis miſſio: ſed ſi vtrunq; copuletur, & ſanguis peccans, & morbi magnitudo, minima quantitas eſt. lib. 1. mediocris autem lib. duæ, magna verò, tres: ultra hoc iam eſt extrema. Quinta adnotatio. Gal lib. de ſang. miſſ.

APHORISMVS VIGESIMVSQVARTVS.

In morbis acutis rarò, & per initia.

CVM Hippocrates antea præcepiſſet, non eſſe purgandū in principio, niſi in turgentia; Nunc oſtēdit quomodo purgatio ſe habeat ad morbos acutos, & ad materiæ turgentiam. Cōnexio.

Duas habet concluſiones; prima eſt. In morbis acutis rarò purgandum. Intentio.

Altera verò, in principio acutorum; etiam ſi turgeat, rarò purgandū. Rō intentionis.

Ratio primæ concluſionis; vt Medicus educat materiam per locum, ad quem vergit: at rarò vergit ad aluum; ideo rarò purgandum.

Ratio alterius eſt; vt ſi materia turget, non ſtatim purget; cùm plerunq; ſanguinis miſſio ſit magis opportuna.

Diuiditur Aphoriſmus in duas partes; in prima duo præcepta ponit ad purgationem in acutis neceſſaria. In altera uerò cautionem adhibendam ob periculum eſſe monet. Diuiſio.

Quò natura vergit, eò ducere oportet. Demonſtratio primæ.

Sed natura rarò vergit in acutis ad aluum, Ergo

Rarò in acutis purgare oportet.

Maior eſt Aphoriſmus vigeſimusprimus. Minor probatur; quia morbi acuti non ſolùm per aluum iudicantur, & ad illum vergunt, ſed ad nares, ad cutim, ad veſicam, ad abſceſſum. Quibus in caſibus, per ea loca educere oportet. Quare malè Medici, omnes acutos morbos ſaltem in declinatione purgant, omittentes naturæ motum. ſi verò materia quieſcat, poteſt ad aluum mouere; ſed in acutis rarò quieſcit, & ferè turget.

Quo tempore rarò adeſt indicans purgationem, rarò purgandum. Demonſtratio ſecundæ.

In acutorum principio rarò adeſt, quod purgationem, requirat. Ergo

In acutorum principijs rarò purgandum.

Maior per ſe patet. Minor demonſtratur: ſi enim materia non turget, non ſolùm rarò; ſed nunquam in principio purgandum. Si turget

rarò etiam, quia ſæpè ſanguinis miſsione utendum: nam ſæpè cum inflammatione coniuncti ſunt, & magnitudine. Cuius ratione conſtante virtute, ſanguinem ducere oportet ex ſententia Hip.

4 Acutorum. Prima animaduerſio. Quòd in principio acutorum, vt plurimum turget materia; ſed non ſequitur, quòd ideò ſit purganda, cum uenæ ſectione potius, quàm purgatione ſit educenda, ut ſcripſit Hippocrates Septi tranſuerſi inflammationes, & præcordiorũ intentiones, in recta ceruice, ſpiratione ſicca, quibus pus non ſubeſt, & hepatis dolores, & ſplenis grauitates, & ſupra ſeptum tranſuerſum dolores, & morborum collectiones, ſolui non poſſunt, ſi quis medicamento purgare aggrediatur: nam uenæ ſectio in talibus præcipũ eſt. Hæc ille: ſed rarò eſt acutus morbus ſine his; ideò ſæpius venam ſecare, quàm purgare licet virtute cõſtante, utrumq. auxilium moliri poſſimus; conuenit tamen magis purgatio, in conuulſione, colico dolore; alijſque ex frigidis cauſſis magnis morbis ortis.

4. Acuto.

Altera animaduerſio. Quòd præmeditatio multas hẽt cõditiones. Prima debet fieri circa remedij electionem, an utẽdum ſit phlebotomia, vel potius purgatione. Deinde ſi purgandum eſt, medicamenta eligenda quæ minus noceant febri; omne enim medicamentum purgans calidum eſt, atque ſiccũ, uel effectu vtrumque parit; in acutis tamen ſine febre hoc nocumentũ non timemus. Præterea conſiderandum an inteſtina ſint obſtructa à ſtercore duro; tunc clyſterẽ adhibemus. Nihil utilitatis afferre poteſt, unam diem expectare in turgente materia ad purgandum, ut innuere videtur Galenus; tùm quòd turgens materia præparationem (quòd tenuis ſit, & uelociter moueatur) non admittat; tùm quòd cunctatio illa periculoſa eſt, adeò, ut occaſio remedij tranſeat: quamobrem ſcripſit Hipp. In ualdè acutis mouendum eodẽ ipſo die, ſi ad ſui expulſionẽ materia incitet: differre enim in talibus malum. Sunt & alia multa contraindicantia purgationem, ut morbi natura, ægri ætas, tempus: quippe quæ omnia inuicem ita comparare oportet, vt purgatio, quam molimur, maius afferat iuuamentum, quàm nocumentum.

4. Aph.

APHORISMVS VIGESIMVSQVINTVS.

Si qualia oportet purgentur, &c.

Cõnexio. CVM Hipp. ſcopos euacuationis hactenus tractaſſet, an, quid, quantum, quando, quo loco, quomodo euacuandum eſſet; Nunc hæc omnia ſub paucis uerbis ad memoriam reducit.

Intentio. Conferentia, ac tolerantia laudabilem faciunt euacuationem.

Rõ intentionis. Vt duobus conditionibus allatis, unde maximè ſit purgatio laudanda demonſtret; fieri enim poteſt, ut aliqua conditio ex ſuperioribus deſit;

& ta-

& tamen vacuatio ſit bona.

Aphoriſmi breuitas diuiſionem non admittit. Diuiſio.

Bona euacuatio per ea iudicanda eſt, quæ perpetuò cum illa iunguntur. Demõſtratio.

Sed conferentia, ac tolerantia ſola perpetuò omnem bonam euacuationem comitantur.

Laudabilis igitur euacuatio à conferentia, & tolerantia, iudicanda.

Maior per ſe clara eſt. Minor verò probatur; quoniã aliquando non ſolùm cruda, ſed praua cum conferentia, & toleratia educuntur, quàmuis raró admodum, vt criſis per urinas nigras: aliquando accidit, & per variegata, & meraca alui excrementa.

Quòd Hippocrates duplicì ratione deſcribit excrementorum expulſionem; altera per excrementi qualitates; altera per conferentiam, ac tolerantiam; nam in Prognoſtico laudabile ſputum aſſignãs, primo modo ait tale eſſe, quod commixtum eſt ex flauo, & rubro, citò, ac promptè expellitur: at ſecundo modo ait, omnia ſputa, quæ dolorem ſedant, bona eſſe: ſicuti quæ non ſedant mala. ſeconda tamen eſt fidelior deſcriptio: quia per praua criſis aliquando fit. ita & de purgatione dicendum, quòd ea bona eſt, quæ ſit humoris peccantis cocti, quantitate, tempore, loco conuenienti; ſed melius per conferentiam, & tolerantiam, ſeu illa fit à natura, ſeu ab arte. Prima animaduerſio.

FINIS LIBRI PRIMI.

RODERICI A FONSECA

In Secundum Aporiſmorum Commentaria.

APHORISMVS PRIMVS.

Quo in morbo ſomnus laborem affert, &c.

Cônexio. *CVM Hippocrates in præcedenti libro de Morborum curatione per dietam, Pharmaciam, & Chyrurgiam pertractaſſet; in hoc ſecundo volumine accedit ad prognoſticum: plurima enim eius pars in cognoſcendo morbi euentu conſiſtit; licet nonnulla interponat, quę ad dignotionem, & curationem magnoperè conducunt. In prima igitur hac ſententia ſomnum aßumit in conſiderationem; quid ex eo in acutis prædicendum ſit, demonſtrans.*

Intentio. *Quo in morbo ſomnus laborem affert, eſt lęthale, ſi verò leuationem, non læthale.*

Rô intentionis. *Vt ſigna, quæ ex ſomno deducuntur magni facienda ſint à Medico, ſi quidem vel ex ipſo ſolo & mors, & ſalus coniectari liceat.*

Diuiſio. *Diuiditur Aphoriſmus in duas partes; in quarum prima mortem ex ſomno prædicendam; in altera vero ſalutem oſtendit.*

Demonſtratio. *Illud, quod ſignificat naturam ſuperari à morbo; eſt læthale.*
Sed labor ex ſomno ſignificat naturam ſuperari à morbo. Ergo
Labor ex ſomno eſt mortalis, & per conſequens vtilitas ex ſomno ſalutaris.

Maior eſt per ſe clara. Minor autem oſtenditur: quia per ſomnum maximè viget calor innatus; quare maior eo tempore pugna contra morbũ. Quòd ſi non ſolùm non leniuntur ſymptomata, ſed augentur ex eo, ſignũ eſt naturam morbo ſuccumbere.

Prima animaduerſio. *Quòd tria quęrit Medicus de morbo; dignotionem ſcilicet, prognoſticũ, atq. curationem: dignotio eſt neceßaria, quandoquidem ex ea dependent reliqua duo. Prognoſticum multis de cauſſis Medico eſt neceſſarium: nam per iſtud non ſolũ unius hominis, ſed & vniuerſæ prouincię morbos pręcauet Medicus; per hoc Gloria Medico, ęgri obedientia, Artis dignitas conſeruatur. Non immeritò igitur Hip. tàm multa de illo ratiocinatur;*

tùm

tùm in his libris, tùm etiam in prognoſticis, porrecticis, prædictionibus, & Coaicis prænotionibus ſcripta reliquit.

Quòd ſomnus, nil aliud eſt, quàm retractio caloris ad ſua principia, vt qui per uigiliam diſſipatus eſt, reficiatur; hic verò aliquandò eſt naturalis, aliquando præter naturam; naturalis coctionem iuuat, hominem alacrem facit, vires reficit, corpus humectat, laſſitudinemque tollit. Præternaturam autem fluxiones mouet, caput grauat, corpus eneruat, & plus, quàm ratio poſtulat refrigerat. Altera animaduerſio.

Quòd labor tria ſignificat exercitium, dolorem, moleſtiam, ſeu læſionem. Hic in tertio ſignificatu ſumitur: intelligit autem ex ſomno læſionẽ, non quamcunque, ſed magnam, atque perſeuerantem, quale eſt delirium, concluſio, difficilis reſpiratio, ſyncopis, coma, atq. eo magis, ſi hæc ſomnus afferat, quo tempore magis iuuare ſolet, in ſtatu, vel declinatione ipſius acceſſionis; poſſunt tamen extremæ ex ſomno fieri læſiones nocte antecedente criſin, ſed non perdurant, nos autem ſupponimus durare læſionem. Tertia animaduerſio.

Quòd æqualem vim habent in genere bona ſigna ad bonum, ſicuti mala, ad malum cæteris paribus; per accidens tamen contingit, ut certiora ſint indicia ad malum, quàm ad bonum; quia ad hoc, vt quis ſanetur; non ſolùm ſufficit hoc bonum ſignum, ſed quòd alius morbus non ſuperueniat, & quòd nullus committatur error. Hac ratione factum eſt, ut Hipp. letalem dixerit ex ſomno læſionem, ſed iuuamentum bonum tãtum, at læthali opponitur valde bonum, nam quòd ſomnus iuuet, id à natura eſt; at quòd noceat, valde rarum. Quarta animaduerſio.

Quòd ad mortem prædicendam aliquandò vnum ſufficit ſignũ, aliquãdo uerò minimè: ideò reliqua conſideranda. Sic igitur Hip. ex facie illa valde diſſimili, ſi in principio appareat in morbo acuto citra cauſſam manifeſtam; mortem prædicit; at ſi vltra quattuor dies conſpiciatur, reliqua ſigna conſideranda, ita in hoc, vel ex hoc vno ſigno mortem prædicit, licèt tamen ad ſecuritatem, & reliqua cõſiderare; nam læthale apud Hippocratem non neceſſariam mortem ſignificat, ſed quæ vt plurimum adueniat. Quinta animaduerſio. 1. Prognoſticorum.

Quòd per ſomnum aliquando ſolent iudicari morbi, ſi fuerit profundus, non turbulentus, laudat verò ſomnum nocturnum, cæterum conſiderandas eſſe per ſomnum palpebras etiam præcepit, ſi quid ex albo appareat, ſi id non eſt alui profluuio, aut medicamenti potione fuerit, aut ægrotus nõ ita dormire conſueuerit, malum, ac valde læthale: nam ex hoc conuulſio muſculorum arguitur, qui palpebram mouent, ex magna ſiccitate: & cerebrum exiccatum nimis; hoc tamen accidens refert Gal. ad virtutis imbecillitatem, quod non probatur. 6. Adnotatio. Hippo. in Coaicis. 1. Progno. Loco citato.

APHORISMVS SECVNDVS.

Vbi ſomnum delirium ſędat, bonum, &c.

cōnexio. *CVM in antecedenti Aphoriſmo de læſione, & iuuamento ex ſomno ſermonem haberet; in præsēti exēplum adducit prædictæ ſententiæ.*

Intentio. *Delirij ſedatio ex ſomno, bonum portendit.*

Rō intentionis. *Vt exemplum adducat, quid per lęſionem intelligat, quam dixit ex sōno fieri ad mortem, magnum ſcilicet ſymptoma, ut delirium, ſimul etiam & iuuamentum ex ſomno, ex quo ualde ſperandum ſit indicet.*

Diuiſio. *Aphoriſmi breuitas non patitur diuiſionem.*

Demonſtratio. *Quod naturæ victoriam indicat, bonum eſt.*
Sedatio delirij à ſomno, naturæ uictoriam indicat. Ergo.
Delirij ſædatio a ſomno, bonum portendit.

Maior clara, & aperta eſt; minor demonſtratur, quia delirij ſedatio arguit materiam, vel concoqui, ut in inflāmatione, vel expelli; ſi ex humore procreetur; aut denique attemperari, ſi ex intemperie fiat.

Prima adnotatio. *Quòd delirium eſt accidens animalis facultatis principis deprauatę, cogitationiſque, aut imaginationis. Eſt autem delirium multiplex. Quoddam enim eſt ſine febre, aliud cum febre. Sine febre, vel eſt iners, vt ſtultitia, quæ quidem quibuſdam naturaliter accidit; aut ex ictu, vel ſanguinis euacuatione; vel eſt ſtudioſum, & melancolicum dicitur; per quod deſipit homo cum metu, & triſtitia; vel furibundè inſanit, ſeù a cerebro, ſeu ab hipochōdrio, cauſſa mali fiat. Delirium cum febre, aut eſt ſoporoſum, quale dicitur letargicum; comaticum, caroticum, ſtupidum; aut vigil; & hoc, uel eſt perpetuum, vt phrænitis; vel ex interuallo adueniens, quale per ardentium febrium acceſſiones oritur.*

Altera animaduerſio. *Quòd, quamuis ſedatio omnis delirij ex ſomno ſit bona; Hippocrates tamen loquitur de ea, quæ fit in febre acuta, & cum vigilia; neq; enim ſomnus ſoporoſum delirium ſedare poteſt, cum illud augeat, ſed magis vigil; atque eò potentius eſt ſignum ad ſalutem, quando delirium continuum ſedat: & ſedatio illa fit ſecundum rationem, & perdurat; tunc enim certam ſalutem denunciat; alioquin non quæuis ſedatio delirij fida, aut ſecura eſt, veluti in Phelini vxore. cui quidem ex ſomno delirium ſedatum eſt, & tamen mortua eſt; neq. enim erat delirium per eſſentiam, ſed per conſenſum; quia per interualla affligebat; fuit nihilominus in ſe bona ſedatio illa, nō tamen fida, aut ſecura, quoniam non durauit.*

1. Epidemiorum.

Tertia adnotatio. *Quòd ex hoc vno accidente poſſumus nos ad reliqua argumentare. Si ſomnus ſoluens delirium bonum eſt ſignum, bonum etiam erit, ſi conuulſionem, vel ſpirandi difficultatem anxietudinem, aut ſyncopem ſedauerit,*

ſicut

ſicut ſi aliquod ex his afferat ſomnus lethale.

Quod quando Hipp. de aliquo ſigno, quod manifeſtè bonum eſt, vel malum; bonum, aut malum pronunciat; non abſolutè ſolum id intelligendum eſt, ſed quòd bonum amplius occultam bonitatem, malum occultam malitiam indicent; quia non ſolet ſcribere ea, quæ omnibus nota ſunt: Cũ itaque ait, bonum eſſe ſedari delirium, ex ſomno, non ſolùm id, ſed ſuperare naturam ipſum morbum oſtendit, ſicut contrarium, ſi delirium excitet. Quartã animaduerſio.

Quòd mentem lædi per delirium exiſtimauit Hippocrates, mentemq; eſſe ſcripſit aliquãdo in cerebro, aliquando in corde, aliquando verò in ſanguine; ſed in corde ponitur, tanquàm in principio; in cerebro autem tamquàm in inſtrumento proprio; in ſanguine verò, tanquàm in inſtrumento communi. Quare cum homo delirat, neceſſe eſt aliquod ex his affici. exemplum cordis habes libro de virginũ morbis; cerebri verò, libro de Morbo ſacro; Sanguinis libro de flatibus; nam homo ſapit, cum ſanguis benè ſe habet, ac temperatus eſt: deſipit verò, cum corrumpitur, & alteratur. Quinta Adnotatio.

Quòd inſomnia in phreneticis euidentia, bonum portẽdere ſcripſit Hip. Contrà in Porrecticis, phrænitidem portendere. Sed ſoluitur, quoniam illic de non turbulentis in ſomnijs loquitur, hic verò de turbulentis: dicuntur autem turbulenta, quia pariter ab adſtantibus, & ipſis ægris vociferantibus, ac terrefactis præſentiuntur. Sed dices, quomodo phrænetici deſipientes, vel dormire, vel narrare inſomnia poſſunt? Dicimus; inclinari aliquando phræniticum ad ſomnum; in quo euidenter adſtantibus ſomniare videtur, & talia inſomnia bona ſunt: quia ſignificant naturam ad ſomnum aliquo pacto inclinari, quod bonum eſt; niſi iam ægro debili exiſtente, id accidat. 6. animaduerſio. In Coacis prælagiis.

Quod ſigna deliria indicant ſunt Hipp. retroceſſus parotidum capitis pulſus, vertigo, vrina tenuis, aut rubicunda, dentium ſtridor, ſpiratio magna & rara, ſputa rotunda, lingua reſiccata, aut tremulans. 7. animaduerſio.

APHORISMVS TERTIVS.

Somnus, & vigilia vtraque ſi &c.

C*VM Hippocrates in antecedentibus Aphoriſmis de ſomno in particulari verba feciſſet, quatenus in acutis morbis, bonum, vel malum portendit; In hoc vniuerſaliter non tantum de ſomno, ſed de vigilia ſermonem inſtituit in eandem intentionem;* cõnexio.

Somnus, & vigilia, vbi modum excedunt, malum. Intentio.

Vt oſtendãt non ſolùm res præter naturam nocere, verùm etiã naturales, quales ſunt ſomnus, & vigilia, ſi extrà modum ſint: deinde, ut ſi hęc in ſanis accidãt, futurum morbum præcaueat Medicus, qui ex illis ſignifica- Rõ intentionis.

 tur,

tur frigidus ex ſomno, calidus ex uigilia. Tertiò ut in morbis ex utroque malum coniectemus.

Diuiſio. *Huius ſententię breuitas diuiſionem haud patitur.*

Demóſtratio. *Id, quod, aut morbum futurum indicat, aut præſentem augeri ſignificat, eſt malum.*

Somnus, & uigilia ultrà modum, aut morbum pronunciant, aut præſentem deteriorem indicant.

Somnus igitur, & uigilia modum excedentia, malum.

3. de Diæta. *Maior per ſe patet. Minor probatur; quia ſomnus præter modum plenitudinis indicium eſt in ſanis; quarè morbi nuncius. In ægris malum, & ut cauſſa, quia naturam debilitat, & ut ſignum, quia excedentem humiditatem, aut fragilitatem ſignificat, eadem ratione uigilia: in ſano calidū indicat morbum: in ægro, & ut cauſſa, uires diſſoluit, & ut ſignum, cerebri ſiccitatem, ac caliditatem denunciat.*

Prima Animaduerſio. *Quòd ſomni modus conſiſtit, ut ſit mediocris, quantitate, qualitate, et tempore. Vbi igitur, aut multus eſt, aut profundus, aut commutatus, modum excedit; nam naturalis ſomnus quantitate, decimam horam non excedit, qualitate, ſuauis, neque admodum profundus; tempore nocturno uti conſuetum eſt. ubi igitur, hæc fuerint tranſmutata, malum protenditur, minus in ſanis, maius in ægris, & magis adhuc in acutis. eſt autem peſſimæ febris, quæ perpetuam inclinationem habet ad ſomnum, ſicuti, quæ perpetuam uigiliam; magis tamen timendus ſomnus in calido morbo; & uigilia; & in frigido, quia malignitas morbi manifeſta eſt ex illis, ſicuti peius eſt in ardenti febri non ſitire, quàm ſitire.*

Secunda Animaduerſio. *Quòd ſomnus ultra modum, dupliciter fieri poteſt, aut præter conſuetudinem; aut præter naturæ neceſſitatem. intelligit Hippocrates de ſomno, ultrà naturæ neceſſitatem; quia fieri poteſt, ut ſomnus duorum, aut trium dierum non ſit malus, immò bonus in iïs, qui diù uigilarunt, uelutì etiam in pueris. hic ergò ſomnus eſt quidem in ultrà conſuetum dormiendi tempus; ſed non ultrà naturæ indigentiam; ideò ſomnus, & uigilia ultrà modum intelligere oportet mala eſſe; non ſolùm præter conſuetudinem; ſed præter naturæ neceſſitatem; augetur enim calor per ſomnum quantitate, per uigiliam qualitate. quare neceſſaria fuit alternatio utriuſque eſt tamen ſomnus propter uigiliam inſtitutus, qui calidum ad uigiliam præparat.*

Tertia adnotatio. *Quòd ſomnus tantæ eſt efficaciæ in nobis, ut non ſolùm ad ſanitatem; ſed & ad uitæ longitudinem ſit potentiſſimus; maximum enim eſt cruditatis remedium, & uirium reſtauratio; docet igitur multùm dormire, atq; potiſſimum in cruditatibus; crapulam enim, & ebrietatem diſcutit ſōnus, quo tempore non ſolùm nocturnus, ſed etiam diurnus confert; quare à Cardano reprehenditur Ficinus, qui ad uitæ longitudinē putat conducere ſur-*

Hip. 2. Aeutorum.

rectionem

rectionem ante diluculum: quippe illo tempore maximè ſomni iuuamenta manifeſtari : ideò potius dormiendum : ſed Ficinus ſupponit capiendum ſomnum prima nocte ad ſatietatem ; vt poſtea cum ſole homo ad actiones ſe accingat expeditiſſimus.

APHORISMVS QVARTVS.

Non ſatietas, nec fames, nec.

CVM in antecedenti Aphoriſmo, de ſomno, atq. vigilia, modū excedentibus verba feciſſet; in hoc de fame, & ſatietate, deque omni alia in nobis actione, vltrà modum producta ſermonem habet, & quemadmodum antecedens primum Aphoriſmum continet; ita hic antecedente, quoniam vniuerſalior eſt. Cōnexio.

Nil, quod modum excedat bonum, ſeu ad famem, & ſatietatem, ſeu ad aliud quippiam pertineat. Intentio.

Vt medicus, vbi videt mutatam conſuetudinem in ſanis accuratè ſe habeat; & præuideat, ne aliquod malum occupet; in ęgris verò magis formidet exceſſum, cùm iam pręter naturam habeat, ideoque cautiùs procedat. Rō intentionis.

Huiuſcemodi ſententia in duas partes ſecari poteſt; in prima concluſionem ponit de fame, & ſatietate; in altera verò ad alia omnia traducit, ſententiam. Diuiſio.

Quidq. naturæ contrarium eſt malum. Demonſtratio.
Sed omnis exceſſus naturæ eſt contrarius. **Ergo**
Omnis exceſſus malus.

Maior eſt clara. Minor autem oſtenditur; quia natura noſtra in mediocritate conſiſtit, & per conſequens ſanitas, & vita. Hip. li. de nat. hom.

Quòd fames ſit inanito & indigenti corpore; ſentitur autem in ventriculo; in reliquis verò membris non ſentitur. Hinc fit, vt famis, & ſatietatis modus quidam ſit determinatus quantitate, qualitate, & tempore; temperata enim natura tantùm appetit, quantum concoquit. At ubi iſte modus corrumpitur, neceſſe eſt male ſe habere corpora; nam fames ultrà modum, uel magnum ſignificat inanitionem, uel intenſam frigiditatem, uel κακοχυμίαν *uel uti ſatietas plenitudinem, uel bilis abundantiam; aut uehementem intemperiem.* Prima adnotatio. Gal. lib. artis Med.

Quòd fames, & ſatietas non ſolùm uentriculi affectiones ſignificant, ſed hæpatis, & uenarum. Memorabilis uerò caſus eſt Vniadis, de quo ſcripſit Hippocrates, *qui cum ieiunus eſſet, ructum uehementem, & dolorem ſentiebat; cumque ualidis medicamentis purgatus eſſet, ſanari non poterat : conualuit tandem ſecta utriuſque brachij uena;* Altera Animaduerſio. 5. Epidē.

donec

donec exanguis fieret. veriſimile igitur eſt, ſanguinem bilioſum, & acrem
1. Artis Medicæ. *illam affectionem procreaſſe. Sed dices; Bilis famem non facit, ſicut neque alia calida intemperies; vnde ſcripſit Galenus, ventriculos calidos minus appetere: nã bilis in ſtomacho magis ſitim, quam famem inducit. Sed dicendum bilem per accidens famem inducere; & magis in venis, quàm in ventriculo, quia membra nolunt ex ea nutriri: Vidi hominem Regio morbo affectum, qui quidem aliquando in tantam incidebat famem, vt ſatiari non poſſet: aliquandò uerò in ſatietatem magnam; trahebant enim uenæ à uentriculo, ſed nutriri non poterat corpus ex bilioſo humore; vnde fames primò oriebatur magna, inde verò inappetentia recurrente ad uentriculum rurſus humore bilioſo, ſed dices, qua ratione in uenis excitat famem bilis, quia corpus ex ea non ita nutritur, eadem deberet famem inducere in ventriculo; non tamen eſt eadem ratio, quia ventriculus non ſolũ appetit appetitu naturali inſenſibili nobis, ſed ſenſibili: quare non eandem parit affectionem bilis in eo. Aut dicendum bilem, licet ſua caliditate inappetentiam excitet, ſua acredine famem inducere; Quando igitur magis mordet, quam calefacit famem: quando magis calefacit, quàm mordet inappetentiam parit.*

3. animad uerſio. *Quòd exceſſus dupliciter conſideratur, vel in temperata natura, vel in ea, quæ temperata non eſt. Rurſus intemperies aut eſt naturalis, aut morboſa. Modus temperatæ naturæ eſt, ut tantum appetat, quantum concoquere poteſt; intemperatę uero, calida magis concoquit, quàm appetat,*
Gal. li. de Artis Medicæ. *frigida ècontra. Vbi igitur mutetur iſte modus proportionalis, malum indicat Hipp. ſed peius in morboſa iam natura.*

4. animad uerſio. *Quòd exceſſus, qui fiunt in nobis, ad tria accidentium genera referuntur, operationem, excrementa, & mutatam qualitatem. In omnibus con-*
1. Artis Medicæ. *ſideratur quantitas, qualitas, & tempus; atque id dupliciter; vel ſecundum paruum exceſſum, & faciunt corpus neutrum; vel magnum, & conſtituũt ægrum. Ad opus mutatum pertinet mutatio tam in ſenſu interno, quàm externo, in pulſu, reſpiratione, appetentia. Ad excrementã, mutatio in vrina, fece, muco, ſudore, hemorroide, menſtruis, item ſternutamẽta, ructus, ſingultus, flatus. Qualitatis mutatio corporis habitum comprehendit gracilem, aut craſſum; itemq; alias qualitates ſecundas in odorib.*
7. Aphor. vlt. *ſaporibus, coloribus, ſonis. Quare ſcripſit Hip. qualiaq. per vrinas, & aluum ſubeunt, atque per carnes abeunt, & ſi qua alia corpus a natura recedat ſpectare oportet: nam ſi parum, paruus morbus, ſi multum, magis, ſi valde multũm, iam tale fuerit pernicioſum, nec ſolum damnandam mutationem in malum, ſed etiam in bonum, ſi ultra modum fuerit exiſtimare oportet.*

5. animad uerſio. *Quòd ſatietas duo ſignificat, inappetentiam, & nimiam repletionem. Primum intendit Hippocrates, ſed vera ſententia eſt etiam de ſecunda,*

valde

valde enim magnam vim habere ad ſanitatem ſcripſit Hippocrates non ſatiari cibis, & eſſe impigrum ad labores. 6. Epidē.

APHORISMVS QVINTVS.

Spontaneæ laſſitudines, &c.

CVM in antecedentibus à rebus naturalibus ſigna ſumeret non modò ad dignotionem, ſed prædictionem. In præſenti aphoriſmo rem præter naturam aſſumit, non tamen in eo exceſſu, quo morbum conſtituat, ſed pronunciet, ſicuti; & exceſſum rerum naturalium in præcedentibus ſumebat, non ut actu ægrum, ſed neutrum conſtituit. cōnexio.

Spontanea laſſitudo morbos prænunciat. Intētio.

Vt Medicus commoda remedia in tempore adhibens, futuros morbos præcaueat. Rō intentionis.

Breuitas aphoriſmi diuiſionem non patitur.

Id, quod, vel plenitudinem, vel κακοχυμίαν, vel utrumq. indicat morbos prænunciat. Diuiſio. Demōſtratio.

Spontanea laſſitudo, aut plenitudinem, uel κακοχυμίαν, aut vtrumque vitium indicat. Ergo

Spontanea Laſſitudo morbos prænunciat.

Maior probatur, quia morbi, qui ex humorem vitio procreantur, ex aliquo iſtorum naſcuntur.

Minor demonſtratur, quoniam in laſſitudine ſpontanea, natura mittit humores ad muſculos, & carnes extrà venas, grauata humoris quantitate, aut qualitate, vel vtroque, vnde timor eſt obſtructionis, putredinis, inflammationis; & febris.

Quòd Laſſitudo eſt diſpoſitio, ſeu accidens, quæ refertur ad motum cum moleſtia, & pigritia. Ideò omnis laſſitudo eſt dolor, quia omnis moleſtia dolor eſt. Penes igitur doloris ſpecies, quas laſſitudo inducit membris: variæ laſſitudinis ſpecies naſcuntur. Si igitur dolor fuerit grauans laſſitudo dicitur tenſiua; ſi pungens ulceroſa, ſi ambo ſentiantur, phlegmonoſa, ſi oſſa, ueluti confundi uideantur, oſſarea, ut in Quartanis, ſed hæc non diſtat à reliquis; niſi, quòd in illis magis mittuntur humores, ad muſculos, & cutim, in hac uerò ad oſſa, & membra interna. Eſt, & laſſitudo quædam, quæ areſactiua dicitur ex nimio exercitio proueniens; per quam membrana exſiccata ſunt nimis; ſed hæc ſpontanea eſſe non poteſt. 1. Adnotatio.

Quòd laſſitudo ratione cauſæ multas habet differentias: quædam enim fit ſine motu, & ſpontanea dicitur, patientibus muſculis, ſimilem diſpoſitionem illi, quæ ex motu tenſis, ac delaſſatis. Alia eſt laſſitudo non ſpontanea, quæ ex nimio motu exoritur, & tripliciter accidere poteſt, aut in Altera animaduerſio.

2. de Diæta. Hipp. *exercitatis, cùm multùm ſe exerceant, aut exercitatis, ſed exercitio non aſſueto; aut exercitatis aſſueto exercitio, ſi excedat. Fit autem laſſitudo ex labore, colliquata carne, & conſumpta humiditatē adipoſa; vnde humor tranſmittitur per carnes, veluti in febribus accidit aliquando.*

Tertia animaduerſio. Hippoc. *Quòd omnis laſſitudo morbum parere poteſt; ſed magis ſpontanea; quia à cauſſa interna naſcitur; ideò magis timenda; qua ratione facilior eſt ſolutu omne uitium à cauſa externa, & manifeſta ortum ducens; dummodò naturam humanam non ſuperet, vt in peſte. Quare in Prognoſtico minus malas eſſe affectiones, ac non multum timendas, ſi à manifeſta cauſſa naſcantur, vt faciem illam horrendam, ſi fame, aut uigilia accidat, non ità extimeſcendam ratus, veluti ſi occulta ratione naſcatur.*

Quarta adnotatio. *Quòd remedia laſſitudinis ſpontaneæ ſunt vacuatio, vel per ſanguinis miſsionem in pletora; uel purgatione, in κακοχυμίᾳ, vel vtraque faciunt quoque crudi humores laſſitudinem, qui coquendi ſunt, & attenuandi, ac expurgandi. Laborioſa verò laſſitudo balneo, frictione, unctione, ambulatione, & purgatione, ſi opus fuerit, tollitur. eſt autem laſſitudo ferè plenitudinis comes: ideò, & uomitu, & diæta illam curat Hip.*

2. & 3. de Dieta. Quinta adnotatio. 4. Aph. 74 *Quòd laſſitudo fit etiã in febribus colliquato humore, & indicat Hipprocrati futurum ad articulos abſceſſum, niſi urinæ multitudo procedat, & liberet. Eſt autem laſſitudo, ſeu delaſsatio malum ſignum in acutis; ut articulorum confractiones, malignitas enim morbi eo demonſtratur, & animalis uirtutis imbecillitas. Quare conuerti facilè, & in attollendo ſe*

In Prognoſtico. *promptum eſſe bonum, pronunciari ſcripſit Hippocrates; ueluti malum corporis grauedinem. potens ſanè hoc ſignum ad robur dignoſcendum, & imbecillitatem.*

APHORISMVS SEXTVS.

Quicunque dolentes, &c.

Cõnexio. *CVM in antecedenti aphoriſmo tractaſset Hipp. de laſſitudine, quæ ſpecies eſt quædam doloris. In hac ſententia præceptum tradit ad ipſum dolorem pertinens celebre, magnæque utilitatis.*

Intentio. *Cauſſa doloris præſente, ſi dolor non ſentitur, mens ægrotat.*

Ratio ĩtẽtionis. *Vt moneat contra uulgi opinionem doloris ablationem, non ſemper bonum eſſe; quinnimò magnum malum ex hoc ſignificari, ſi præſenti cauſſa dolor non ſentitur. Præterea, ut ex hoc Mentis turbationem Medicus prænunciet.*

Diuiſio. *Huius aphoriſmi breuitas, & continuitas diuiſionem non patitur.*

Demõſtratio. *Vbi aliqua neceſsariò concurrunt ad operationem, læſa operatione, neceſſe eſt aliquid ipſorum lædi.*

Sed

Sed mens, & pars, quæ ſentit neceſſario ad ſenſationem concurrunt Ergo

Si pars non ſentit ſ.na exiſtente, mens ęgrotat.

Maior per ſe clara, & aperta eſt. Minor probatur, nam ſenſatio, quę fit in parte, neceſſario communicari debet principio, alioquin ſenſus ſequi non poteſt.

Quòd ad ſenſationem multa ſunt neceſſario: obiectum primò, quod ſentiri debet, deinde verò pars, quę ſentit, tertio inſtrumentum vniuerſale calidum innatum, & ſpiritus, quippe qui tum per neruos, tùm per arterias confluit. Hip. igitur ſupponit hic partis ſanitatem, obiectum pręſens, ſi igitur tollitur ſenſus, neceſſe eſt mentem lędi, & tolli inſtrumentum ipſius ſenſus, ſpiritum ſcilicet, vel à corde, vel à cerebro tranſmiſſum, mens .n. & in corde, & in cerebro ponitur ab Hip. vbi igitur cauſſa doloris pręſente non ſentitur in parte neceſſe eſt mentem ęgrotare, vt patet in phręneticis qui quidem, nec famẽ, nec ſitim ſentiunt. Si verò cerebro illęſo pars non ſentiat, neceſſe eſt partis temperamentum eſſe corruptum, vt in gangrena, & in doloribus à cauſſis malignis, nam in pleuritide maligna, dolor non ſentitur, & tamen eſt ſignum pathognomonicũ, quia partis temperies corrumpitur. Prima ad notatio.

Quòd dolor non eſt ſenſatio aliqua, neque aliquod ſenſus obiectum, ſed moleſtia, quę oritur ex ſenſatione cauſę corrumpentis naturam, & à ſua armonia diſtrahentis. Duplex verò eſt doloris ſignificatio altera communis, qua ratione omnis morbus ulcus dicitur, & dolor, quia moleſtiam affert: altera particularis, qua ſolum dolorem appellamus inſignem moleſtiam. Hic rurſus duplex, vel à cauſa naturali proce dens, vt fames, & ſitis, vel à cauſa pręter naturam, inflammatione nimirum vel ſciſſione, vel ruptura. De hoc ſecundo loquitur Hipp. quia dolor in primo ſignificatu non arguit mentem ęgrotare, nec loquitur in ſanis quia ſi in illis dolor non ſentitur, poteſt contingere, non ſolum, quia mens ægrotet, ſed quia alio ſit intenta, ut in ijs, qui pugnant non ſentientes dolores eo tempore. Intelligit igitur in ęgris pręcipuè, & de magna moleſtia. Altera animaduerſio.

Quòd ſi quis velit ſententiam uniuerſalem reddere, ita dicere oportet. Si pręſenti cauſa doloris non ſentitur à membro neceſſe eſt, vel mentem ęgrotare, uel alio eſſe intentam, uel ſenſum partis eſſe abolitum, uel lęſum inſtrumentum ſenſus particulare ſpiritum animalem, uel uniuerſale, calorem innatum. Mens uero hic ab Hip. accipitur pro ſenſu interno, ſeu ad imaginationem, ſeu cogitationem, ſeu memoriam relatio habeatur. Quòd *vero aſſerit Galenus actionis lęſionem partem lęſam indicare, id verũ eſſe intelligendum eſt, uel immediatè, ut de actione naturali, uel per conſenſum, ut de uitali, & animali, quia lęſio, non ſolum ſupra membrũ arguit, ſed, uel in principio, vel inſtrumento lęſionem indicat.* Tertia ad notatio. 1. de locis affe.

Quòd

Sed aliquando vacuamus vltra id, quod peccat, aliquando autem infrà ſubſiſtimus. Ergo

Vacuatio non eſt æſtimanda penes quantitatem humoris, ſed virtutis tollerantiam.

Antecedens clarum, & apertum eſt. Aſſumptum verò probatur; quoniam aliquando vacuamus ad λειποθυμίαν, quod eſt ſupra vires ob uim morbi, aliquando autem infrà propter debilitatem.

prima Animaduerſio. *Quòd ex hac doctrina educitur euacuandi modus: vbi enim morbus eſt magnus, & tollerantia multa, ſemel, ac repente, multumq; ducere oportet; at ſi deeſt tollerantia, euacuationem partimus: neq; idcirco negat non eſſe conſiderandam humoris quantitatem in euacuatione, ſed habendã quoque rationem eſſe eius, quod magis vrget. Qua ratione fit, vt aliquãdo ad λειποθυμίαν, fiat euacuatio; aliquandò verò infrà morbum.*

Altera Animaduerſio. *Quòd virtutis defectus, quidam eſt abſolutus; alius verò reſpectiuus. Abſolutus dicitur ſyncopis, per quam omnes virtutes concidunt. Reſpectiuus autem, qui dicitur λειποθυμίαν; per quam non in totum vires deyciuntur, ſed conſtat adhuc robur, cùm in pulſu, tùm etiam in motu. Cùm itaq. Hippocrates dicit faciendam eſſe euacuationem vſq. ad defectiones, intelligit non ad ſyncopem, ſed ad Lipothimiam. Primam poſſunt uires ſufferre. Alteram autem tollerant, neq. contrarium huius docet Hippocrates tertio huius, cùm enim negat faciendas eſſe extremas euacuationes, intelligit ad ſincopem.*

Tertia Animaduerſio. *Quòd tres caſus affert Galenus, euacuationem indicantes uſque ad λειποθυμίαν; febrem ſcilicet ardentiſſimam, magnam inflammationẽ, magnumq. dolorem. Sed nulla febris eſſe poteſt, ſeu illa ſit ſinoca, ſeu cauſon, quæ tantam indicet euacuationem, nam ſinoca febris, licet magnã indicet ſanguinis miſſionem, non tamen extremam. Cauſon verò, aut ſanguinis miſſionem non indicat, aut in pauca quantitate. Dolor, etiam ſi maximus, non omnis indicat huiuſcemodi euacuationẽ; vt ſi à cauſſa frigida oriatur, & vires diſſoluat, ut diſtenſio, cholicus. Tertius caſus, ideſt maxima inflãmatio cum acuto dolore hanc euacuationem ad λειποθυμίαν*

4. Acuto. *indicat, & à cauſſa calida; ut ſcripſit Hipp. in pleuritide, ad clauiculam vergenti, atq. ad mammas: ſi acutus fuerit dolor, hanc euacuationem facit; nec vtrunq. ſed ſi ęger fuerit robuſtus, ętas florens: nam niſi hęc adſint, conducit potius magnam, quàm extremam vacuationem moliri, intantum eſt formidabilis, vrget tamen neceſſitas in dicto caſu.*

Quarta adnotatio. *Quòd vacuatio ad Lipothimiã, ſolùm fieri debet per ſanguinis miſſionem, at per purgationem nũquàm, etiamſi morbus ſua natura id poſtularet; quoniã non eſt in poteſtate noſtra ſiſtere medicamentum, ſicut ſanguinem; vnde ſyncopis, aut conuulſio pro Lipothimia ſuccederet cũ ægri pernici; at cùm ſanguinem mittimus, manum pulſui admouemus, & cùm*

iam

iam manifeſtè debilitatur, ſiſtere ſtatim poſſumus.

Quinta adnotatio.

Quòd antiqui latiſſimè ſanguinem mittebant: erat enim ipſis menſura unica libra ad minus, & aliquando ad tres libras mittebant: quod intelligendum eſt, vbi ſanguis peccat, non quum alij abundant humores, quamuis purgatio indicetur, tamen ſanguinem mittimus aliquando ob morbi magnitudinē, quo tempore non ita larga cōuenit ſanguinis miſſio: ſed ſi vtrunq; copuletur, & ſanguis peccans, & morbi magnitudo, minima quantitas eſt.lib.1.mediocris autem lib.duæ, magna verò, tres: ultra hoc iam eſt extrema.

Gal lib. de ſang. miſſ.

APHORISMVS VIGESIMVSQVARTVS.

In morbis acutis raro,& per initia.

Cōnexio.

CVM Hippocrates antea præcepiſſet, non eſſe purgandū in principio, niſi in turgentia; Nunc oſtēdit quomodo purgatio ſe habeat ad morbos acutos, & ad materiæ turgentiam.

Intentio.

Duas habet concluſiones; prima eſt. In morbis acutis raro purgandum.

Rō intentionis.

Altera verò, in principio acutorum; etiam ſi turgeat, raro purgandū.

Ratio primæ concluſionis; vt Medicus educat materiam per locum, ad quem vergit: at raro vergit ad aluum; ideo raro purgandum.

Ratio alterius eſt; vt ſi materia turget, non ſtatim purget; cū m plerunq; ſanguinis miſſio ſit magis opportuna.

Diuiſio.

Diuiditur Aphoriſmus in duas partes; in prima duo præcepta ponit ad purgationem in acutis neceſſaria. In altera uerò cautionem adhibendam ob periculum eſſe monet.

Demonſtratio primæ.

Quò natura vergit, eò ducere oportet.
Sed natura raro vergit in acutis ad aluum, Ergo
Raro in acutis purgare oportet.

Maior eſt Aphoriſmus vigeſimusprimus. Minor probatur; quia morbi acuti non ſolùm per aluum iudicantur, & ad illum vergunt, ſed ad nares, ad cutim, ad veſicam, ad abſceſſum. Quibus in caſibus, per ea loca educere oportet. Quare malè Medici, omnes acutos morbos ſaltem in declinatione purgant, omittentes naturæ motum. ſi verò materia quieſcat, poteſt ad aluum mouere; ſed in acutis raro quieſcit, & ferè turget.

Demonſtratio ſecundæ.

Quo tempore raro adeſt indicans purgationem, raro purgandum.
In acutorum principio raro adeſt, quod purgationem, requirat. Ergo
In acutorum principijs raro purgandum.

Maior per ſe petet. Minor demonſtratur: ſi enim materia non turget, non ſolùm raro; ſed nunquam in principio purgandum. Si turget

rarò etiam, quia ſæpè ſanguinis miſsione utendum: nam ſæpè cum inflammatione coniuncti ſunt, & magnitudine. Cuius ratione conſtante virtute, ſanguinem ducere oportet ex ſententia Hip.

4. Acutorum. Prima animaduerſio. *Quòd in principio acutorum, vt plurimum turget materia; ſed non ſequitur, quòd ideò ſit purganda, cum uenæ ſectione potius, quàm purgatione ſit educenda, ut ſcripſit Hippocrates Septi tranſuerſi inflammationes, & præcordiorũ intentiones, in recta ceruice, ſpiratione ſicca, quibus pus non ſubeſt, & hepatis dolores, & ſplenis grauitates, & ſupra ſeptum tranſuerſum dolores, & morborum collectiones, ſolui non poſſunt, ſi quis medicamento purgare aggrediatur: nam uenæ ſectio in talibus præcipũ eſt. Hæc ille: ſed rarò eſt acutus morbus ſine his; ideò ſæpius venam ſecare, quàm purgare licet virtute cõſtante, utrumq. auxilium moliri poſſimus; conuenit tamen magis purgatio, in conuulſione, colico dolore; aliiſque ex frigidis cauſſis magnis morbis ortis.*

4. Acuto. (margin, beside "nes, & præcordiorũ")

Altera animaduerſio. *Quòd præmeditatio multas hẽt cõditiones. Prima debet fieri circa remedij electionem, an utẽdum ſit phlebotomia, vel potius purgatione. De inde ſi purgandum eſt, medicamenta eligenda quæ minus noceant febri; omne enim medicamentum purgans calidum eſt, atque ſiccũ, uel effectu vtrumque parit; in acutis tamen ſine febre hoc nocumentũ non timemus. Prætereà conſiderandum an inteſtina ſint obſtructa à ſtercore duro; tunc clyſterẽ adhibemus. Nihil utilitatis afferre poteſt, unam diem expectare in turgente materia ad purgandum, ut innuere videtur Galenus; tùm quòd turgens materia præparationem (quòd tenuis ſit, & uelociter moueatur) non admittat; tùm quòd cunctatio illa periculoſa eſt, adeò, ut occaſio remedij tranſeat: quamobrem ſcripſit Hipp. In ualdè acutis mouendum eodẽ ipſo die, ſi ad ſui expulſionẽ materia incitet: differre enim in talibus malum. Sunt & alia multa contraindicantia purgationem, ut morbi natura, ægri ætas, tempus: quippe quæ omnia inuicem ita comparare oportet, vt purgatio, quam molimur, maius afferat iuuamentum, quàm nocumentum.*

4. Aph. (margin, beside "non admittat")

APHORISMVS VIGESIMVSQVINTVS.

Si qualia oportet purgentur, &c.

Cõnexio. CVM *Hipp. ſcopos euacuationis hactenus tractaſſet, an, quid, quantum, quando, quo loco, quomodo euacuandum eſſet; Nunc hæc omnia ſub paucis uerbis ad memoriam reducit.*

Intentio. *Conferentia, ac tolerantia laudabilem faciunt euacuationem.*

Ro intentionis. *Vt duobus conditionibus allatis, unde maximè ſit purgatio laudanda demonſtret; fieri enim poteſt, ut aliqua conditio ex ſuperioribus deſit;*

& ta-

& tamen vacuatio ſit bona.

Aphoriſmi breuitas diuiſionem non admittit. Diuiſio.

Bona euacuatio per ea iudicanda eſt, quæ perpetuò cum illa iunguntur. Demõſtratio.

Sed conferentia, ac tolerantia ſola perpetuò omnem bonam euacuationem comitantur.

Laudabilis igitur euacuatio à conferentia, & tolerantia, iudicanda.

Maior per ſe clara eſt. Minor verò probatur; quoniã aliquando non ſolùm cruda, ſed praua cum conferentia, & toleratia educuntur, quàmuis rarò admodum, vt criſis per urinas nigras: aliquando accidit, & per variegata, & meraca alui excrementa.

Prima animaduerſio.

Quòd Hippocrates duplici ratione deſcribit excrementorum expulſionem; altera per excrementi qualitates; altera per conferentiam, ac tolerantiam; nam in Prognoſtico laudabile ſputum aſſignãs, primo modo ait tale eſſe, quod commixtum eſt ex flauo, & rubro, citò, ac promptè expellitur: at ſecundo modo ait, omnia ſputa, quæ dolorem ſedant, bona eſſe: ſicuti quæ non ſedant mala. ſeconda tamen eſt fidelior deſcriptio: quia per praua criſis aliquando fit. ita & de purgatione dicendum, quòd ea bona eſt, quę ſit humoris peccantis cocti, quantitate, tempore, loco conuenienti; ſed melius per conferentiam, & tolerantiam, ſeu illa fit à natura, ſeu ab arte.

FINIS LIBRI PRIMI.

RODERICI A FONSECA

In Secundum Aporiſmorum Commentaria.

APHORISMVS PRIMVS.

Quo in morbo ſomnus laborem affert, &c.

Cõnexio. *CVM Hippocrates in præcedenti libro de Morborum curatione per dietam, Pharmaciam, & Chyrurgiam pertractaſſet; in hoc ſecundo volumine accedit ad prognoſticum: plurima enim eius pars in cognoſcendo morbi euentu conſiſtit; licet nonnulla interponat, quę ad dignotionem, & curationem magnoperè conducunt. In prima igitur hac ſententia ſomnum aſſumit in conſiderationem; quid ex eo in acutis prædicendum ſit, demonſtrans.*

Intentio. *Quo in morbo ſomnus laborem affert, eſt lęthale, ſi verò leuationem, non læthale.*

Rõ intentionis. *Vt ſigna, quæ ex ſomno deducuntur magni facienda ſint à Medico, ſi quidem vel ex ipſo ſolo & mors, & ſalus coniectari liceat.*

Diuiſio. *Diuiditur Aphoriſmus in duas partes; in quarum prima mortem ex ſomno prædicendam; in altera vero ſalutem oſtendit.*

Demonſtratio. *Illud, quod ſignificat naturam ſuperari à morbo, eſt læthale.*

Sed labor ex ſomno ſignificat naturam ſuperari à morbo. Ergo

Labor ex ſomno eſt mortalis, & per conſequens vtilitas ex ſomno ſalutaris.

Maior eſt per ſe clara. Minor autem oſtenditur: quia per ſomnum maximè viget calor innatus; quare maior eo tempore pugna contra morbũ. Quòd ſi non ſolùm non leuiuntur ſymptomata, ſed augentur ex eo, ſignũ eſt naturam morbo ſuccumbere.

Prima animaduerſio. *Quòd tria quęrit Medicus de morbo; dignotionem ſcilicet, prognoſticũ, atq. curationem: dignotio eſt neceſſaria, quandoquidem ex ea dependent reliqua duo. Prognoſticum multis de cauſſis Medico eſt neceſſarium: nam per iſtud non ſolũ unius hominis, ſed & vniuerſæ prouincię morbos pręcauet Medicus; per hoc Gloria Medico, ęgri obedientia, Artis dignitas conſeruatur. Non immeritò igitur Hip. tàm multa de illo ratiocinatur;*

tùm

tùm in his libris, tùm etiam in prognoſticis, porrecticis, prædictionibus, & Coaicis prænotionibus ſcripta reliquit.

Quòd ſomnus, nil aliud eſt, quàm retractio caloris ad ſua principia, vt qui per uigiliam diſſipatus eſt, reficiatur; hic verò aliquandò eſt naturalis, aliquando præter naturam; naturalis coctionem iuuat, hominem alacrem facit, vires reficit, corpus humectat, laſſitudinemque tollit. Præternaturam autem fluxiones mouet, caput grauat, corpus eneruat, & plus, quàm ratio poſtulat refrigerat. (Altera animaduerſio.)

Quòd labor tria ſignificat exercitium, dolorem, moleſtiam, ſeu læſionem. Hic in tertio ſignificatu ſumitur: intelligit autem ex ſomno læſionẽ, non quamcunque, ſed magnam, atque perſeuerantem, quale eſt delirium, concluſio, difficilis reſpiratio, ſyncopis, coma, atq. eo magis, ſi hæc ſomnus afferat, quo tempore magis iuuare ſolet, in ſtatu, vel declinatione ipſius acceſſionis; poſſunt tamen extremæ ex ſomno fieri læſiones nocte antecedente criſin, ſed non perdurant, nos autem ſupponimus durare læſionem. (Tertia animaduerſio.)

Quòd æqualem vim habent in genere bona ſigna ad bonum, ſicuti mala, ad malum cæteris paribus; per accidens tamen contingit, ut certiora ſint indicia ad malum, quàm ad bonum; quia ad hoc, vt quis ſanetur; non ſolùm ſufficit hoc bonum ſignum, ſed quòd alius morbus non ſuperueniat, & quòd nullus committatur error. Hac ratione factum eſt, vt Hipp. lætalem dixerit ex ſomno læſionem, ſed iuuamentum bonum tãtum, at læthali opponitur valde bonum, nam quòd ſomnus iuuet, id à natura eſt; at quòd noceat, valde rarum. (Quarta animaduerſio.)

Quòd ad mortem prædicendam aliquandò vnum ſufficit ſignũ, aliquãdo uerò minimè: ideò reliqua conſideranda. Sic igitur Hip. ex facie illa valde diſſimili, ſi in principio appareat in morbo acuto citra cauſſam manifeſtam; mortem prædicit; at ſi vltra quattuor dies conſpiciatur, reliqua ſigna conſideranda, ita in hoc, vel ex hoc vno ſigno mortem prædicit, licèt tamen ad ſecuritatem, & reliqua cõſiderare, nam læthale apud Hippocratem non neceſſariam mortem ſignificat, ſed quæ vt plurimum adueniat. (Quinta animaduerſio. 1. Prognoſticorum.)

Quòd per ſomnum aliquando ſolent iudicari morbi, ſi fuerit profundus, non turbulentus, laudat verò ſomnum nocturnum, cæterum conſiderandas eſſe per ſomnum palpebras etiam præcepit, ſi quid ex albo appareat, ſi id non eſt alui profluuio, aut medicamenti potione fuerit, aut ægrotus nõ ita dormire conſueuerit, malum, ac valde læthale: nam ex hoc conuulſio muſculorum arguitur, qui palpebram mouent, ex magna ſiccitate: & cerebrum exiccatum nimis; hoc tamen accidens refert Gal. ad virtutis imbecillitatem, quod non probatur. (6. Adnotatio. Hippo. in Coaicis. 1. Progno. Loco citato.)

APHORISMVS SECVNDVS.

Vbi ſomnum delirium ſędat, bonum, &c.

cōnexio. *CVM in antecedenti Aphoriſmo de læſione, & iuuamento ex ſomno ſermonem haberet; in præſēti exēplum adducit prædictæ ſententiæ.*

Intentio. *Delirij ſedatio ex ſomno, bonum portendit.*

Rō intentionis. *Vt exemplum adducat, quid per læſionem intelligat, quam dixit ex ſōno fieri ad mortem, magnum ſcilicet ſymptoma, ut delirium, ſimul etiam & iuuamentum ex ſomno, ex quo ualde ſperandum ſit indicet.*

Diuiſio. *Aphoriſmi breuitas non patitur diuiſionem.*

Demonſtratio. *Quod naturæ victoriam indicat, bonum eſt.*

Sedatio delirij à ſomno, naturæ uictoriam indicat. *Ergo.*

Delirij ſedatio a ſomno, bonum portendit.

Maior clara, & aperta eſt; minor demonſtratur, quia delirij ſedatio arguit materiam, vel concoqui, ut in inflāmatione, vel expelli; ſi ex humore procreetur; aut denique attemperari, ſi ex intemperie fiat.

Prima adnotatio. *Quòd delirium eſt accidens animalis facultatis principis deprauatę, cogitationiſque, aut imaginationis. Eſt autem delirium multiplex. Quoddam enim eſt ſine febre, aliud cum febre. Sine febre, vel eſt iners, vt ſtultitia, quæ quidem quibuſdam naturaliter accidit; aut ex ictu, vel ſanguinis euacuatione; vel eſt ſtudioſum, & melancolicum dicitur; per quod deſipit homo cum metu, & triſtitia; vel furibundè inſanit, ſeu a cerebro, ſeu ab hipochōdrio, cauſſa mali fiat. Delirium cum febre, aut eſt ſoporoſum, quale dicitur letargicum; comaticum, caroticum, ſtupidum; aut vigil; & hoc, vel eſt perpetuum, vt phrenitis; vel ex interuallo adueniens, quale per ardentium febrium acceſſiones oritur.*

Altera animaduerſio. *Quòd, quamuis ſedatio omnis delirij ex ſomno ſit bona; Hippocrates tamen loquitur de ea, quæ fit in febre acuta, & cum vigilia; neq; enim ſomnus ſoporoſum delirium ſedare poteſt, cum illud augeat, ſed magis vigil; atque eò potentius eſt ſignum ad ſalutem, quando delirium continuum ſedat: & ſedatio illa fit ſecundum rationem, & perdurat; tunc enim certam ſalutem denunciat; alioquin non quæuis ſedatio delirij fida, aut ſecura eſt, veluti in Phelini vxore. cui quidem ex ſomno delirium ſedatum eſt, & tamen mortua eſt; neq. enim erat delirium per eſſentiam, ſed per conſenſum; quia per interualla affligebat; fuit nihilominus in ſe bona ſedatio illa, nō tamen fida, aut ſecura, quoniam non durauit.*

1. Epidemiorum.

Tertia adnotatio. *Quòd ex hoc vno accidente poſſumus nos ad reliqua argumentare. Si ſomnus ſoluens delirium bonum eſt ſignum, bonum etiam erit, ſi conuulſionem, vel ſpirandi difficultatem anxietudinem, aut ſyncopem ſedauerit,*

ſicut

ſicut ſi aliquod ex his afferat ſomnus lathale.

Quod quando Hipp.de aliquo ſigno,quod manifeſtè bonum eſt,vel malum; bonum,aut malum pronunciat;non abſolutè ſolum id intelligendum eſt,ſed quòd bonum amplius occultam bonitatem, malum occultam malitiam indicent;quia non ſolet ſcribere ea,quæ omnibus nota ſunt: Cũ itaque ait,bonum eſſe ſedari delirium,ex ſomno,non ſolùm id,ſed ſuperare naturam ipſum morbum oſtendit,ſicut contrarium,ſi delirium excitet. Quartã animaduerſio.

Quòd mentem lædi per delirium exiſtimauit Hippocrates, mentemq; eſſe ſcripſit aliquãdo in cerebro,aliquando in corde,aliquando verò in ſanguine;ſed in corde ponitur,tanquàm in principio; in cerebro autem tanquàm in inſtrumento proprio;in ſanguine verò, tanquàm in inſtrumento communi.Quare cum homo delirat,neceſſe eſt aliquod ex his affici.exemplum cordis habes libro de virginũ morbis; cerebri verò,libro de Morbo ſacro; Sanguinis libro de flatibus; nam homo ſapit, cum ſanguis benè ſe habet,ac temperatus eſt:deſipit verò,cum ſ corrumpitur,& alteratur. Quinta Adnotatio.

Quòd inſomnia in phræneticis euidentia,bonum portẽdere ſcripſit Hip. Contrà in Porrectîcis,phrænitidem portendere. Sed ſoluitur, quoniam illic de non turbulentis in ſomnijs loquitur,hic verò de turbulentis: dicuntur autem turbulenta,quia pariter ab adſtantibus, & ipſis ægris vociferantibus, ac terrefactis præſentiuntur.Sed dices,quomodo phrænetici deſipientes, vel dormire,vel narrare inſomnia poſſunt? Dicimus, inclinari aliquando phræniticum ad ſomnum,in quo euidenter adſtantibus ſomniare videtur,& talia inſomnia bona ſunt:quia ſignificant naturam ad ſomnum aliquo pacto inclinari,quod bonum eſt;niſi iam ægro debili exiſtente, id accidat. 6.animaduerſio. In Coacis preſagiis.

Quod ſigna deliria indicant ſunt Hipp.retroceſſus parotidum capitis pulſus, vertigo,vrina tenuis,aut rubicunda,dentium ſtridor,ſpiratio magna & rara,ſputa rotunda,lingua reſiccata,aut tremulans. 7.animaduerſio.

APHORISMVS TERTIVS.

Somnus, & vigilia vtraque ſi &c.

CVM *Hippocrates in antecedentibus Aphoriſmis de ſomno in particulari verba feciſſet,quatenus in acutis morbis, bonum, vel malum portendit;In hoc vniuerſaliter non tantum de ſomno, ſed de vigilia ſermonem inſtituit in eandem intentionem;* cõnexio.

Somnus,& vigilia,vbi modum excedunt,malum. Intentio.

Vt oſtendãt non ſolùm res præter naturam nocere,verùm etiã naturales,quales ſunt ſomnus,& vigilia,ſi extrà modum ſint: deinde,ut ſi hęc in ſanis accidãt,futurum morbum præcaueat Medicus, qui ex illis ſignifica- Rõ intentionis.

tur frigidus ex ſomno, calidus ex uigilia. Tertiò ut in morbis ex utroque malum coniectemus.

Diuiſio. *Huius ſententię breuitas diuiſionem haud patitur.*

Demóſtratio. *Id, quod, aut morbum futurum indicat, aut præſentem augeri ſignificat, eſt malum.*

Somnus, & uigilia ultra modum, aut morbum pronunciant, aut præſentem deteriorem indicant.

Somnus igitur, & uigilia modum excedentia, malum.

3. de Diæta. *Maior per ſe patet. Minor probatur; quia ſomnus præter modum plenitudinis indicium eſt in ſanis; quarè morbi nuncius. In ægris malum, & ut cauſſa, quia naturam debilitat, & ut ſignum, quia excedentem humiditatem, aut fragilitatem ſignificat, eadem ratione uigilia: in ſano calidũ indicat morbum: in ægro, & ut cauſſa, uires diſſoluit, & ut ſignum, cerebri ſiccitatem, ac caliditatem denunciat.*

Prima Animaduerſio. *Quòd ſomni modus conſiſtit, ut ſit mediocris, quantitate, qualitate, et tempore. Vbi igitur, aut multus eſt, aut profundus, aut commutatus, modum excedit; nam naturalis ſomnus quantitate, decimam horam non excedit, qualitate, ſuauis, neque admodum profundus; tempore nocturno uti conſuetum eſt. ubi igitur, hæc fuerint tranſmutata, malum protenditur, minus in ſanis, maius in ægris, & magis adhuc in acutis. eſt autem peſſima febris, quæ perpetuam inclinationem habet ad ſomnum, ſicuti, quæ perpetuam uigiliam; magis tamen timendus ſomnus in calido morbo; & uigilia; & in frigido, quia malignitas morbi manifeſta eſt ex illis, ſicuti peius eſt in ardenti febri non ſitire, quàm ſitire.*

Secunda Animaduerſio. *Quòd ſomnus ultra modum, dupliciter fieri poteſt, aut præter conſuetudinem; aut præter naturæ neceſſitatem. intelligit Hippocrates de ſomno, ultrà naturæ neceſſitatem; quia fieri poteſt, ut ſomnus duorum, aut trium dierum non ſit malus, immò bonus in ijs, qui diù uigilarunt, uelut etiam in pueris. hic ergò ſomnus eſt quidem in ultrà conſuetum dormiendi tempus; ſed non ultrà naturæ indigentiam; ideò ſomnus, & uigilia ultrà modum intelligere oportet mala eſſe; non ſolùm præter conſuetudinem; ſed præter naturæ neceſſitatem; augetur enim calor per ſomnum quantitate, per uigiliam qualitate. quare neceſſaria fuit alternatio utriuſque eſt tamen ſomnus propter uigiliam inſtitutus, qui calidum ad uigiliam præparat.*

Tertia adnotatio. *Quòd ſomnus tantæ eſt efficaciæ in nobis, ut non ſolùm ád ſanitatem; ſed & ad uitæ longitudinem ſit potentiſſimus; maximum enim eſt cruditatis remedium, & uirium reſtauratio; docet igitur multùm dormire, atq; potiſſimum in cruditatibus; crapulam enim, & ebrietatem diſcutit sõnus, quo tempore non ſolùm nocturnus, ſed etiam diurnus confert; quare à Cardano reprehenditur Ficinus, qui ad uitæ longitudinẽ putat conducere ſurrectionem* (Hip. 2. Acutorum.)

rectionem ante diluculum: quippe illo tempore maximè ſomni iuuamenta manifeſtari : ideò potius dormiendum : ſed Ficinus ſupponit capiendum ſomnum prima nocte ad ſatietatem ; vt poſtea cum ſole homo ad actiones ſe accingat expeditiſſimus ,

APHORISMVS QVARTVS.

Non ſatietas, nec fames, nec.

Cōnexio.

C*VM in antecedenti Aphoriſmo, de ſomno, atq. vigilia, modū excedentibus verba feciſſet; in hoc de fame, & ſatietate, deque omni alia in nobis actione, vltrà modum producta ſermonem habet, & quemad modum antecedens primum Aphoriſmum continet; ita hic antecedente, quoniam vniuerſalior eſt.*

Intentio.

Nil, quod modum excedat bonum, ſeu ad famem, & ſatietatem, ſeu ad aliud quippiam pertineat.

Rō intentionis.

Vt medicus, vbi videt mutatam conſuetudinem in ſanis accuratè ſe habeat; & præuideat, ne aliquod malum occupet; in ęgris verò magis formidet exceſſum, cùm iam pręter naturam habeat, ideoque cautiùs procedat.

Diuiſio.

Huiuſcemodi ſententia in duas partes ſecari poteſt; in prima concluſionem ponit de fame, & ſatietate; in altera verò ad alia omnia traducit, ſententiam.

Demonſtratio.

Quidq. naturæ contrarium eſt malum.
Sed omnis exceſſus naturæ eſt contrarius. Ergo
Omnis exceſſus malus.

Hip. li. de nat. hom.

Maior eſt clara. Minor autem oſtenditur; quia natura noſtra in mediocritate conſiſtit, & per conſequens ſanitas, & vita.

Prima adnotatio. Gal. lib. ar tis Med.

Quòd fames ſit inanito & indigenti corpore; ſentitur autem in ventriculo; in reliquis verò membris non ſentitur. Hinc fit, vt famis, & ſatietatis modus quidam ſit determinatus quantitate, qualitate, & tempore; temperata enim natura tantùm appetit, quantum concoquit. At ubi iſte modus corrumpitur, neceſſe eſt male ſe habere corpora; nam fames ultrà modum, uel magnum ſignificat inanitionem, uel intenſam frigiditatem, uel κακοχυμίαν uel uti ſatietas plenitudinem, uel bilis abundantiam, aut uehementem intemperiem.

Altera Animaduerſio. 5. Epidē.

Quòd fames, & ſatietas non ſolùm uentriculi affectiones ſignificant, ſed hæpatis, & uenarum. Memorabilis uerò caſus eſt Vniadis, de quo ſcripſit Hippocrates, qui cum ieiunus eſſet, ructum uehementem, & dolorem ſentiebat; cumque ualidis medicamentis purgatus eſſet, ſanari non poterat : conualuit tandem ſecta utriuſque brachij uena; donec

donec exanguis fieret. veriſimile igitur eſt, ſanguinem bilioſum, & acrem
1. Artis Medicæ. illam affectionem procreaſſe. Sed dices; Bilis famem non facit, ſicut neque alia calida intemperies; vnde ſcripſit Galenus, ventriculos calidos minus appetere: nã bilis in ſtomacho magis ſitim, quam famem inducit. Sed dicendum bilem per accidens famem inducere; & magis in venis, quàm in ventriculo, quia membra nolunt ex ea nutriri: Vidi hominem Regio morbo affectum, qui quidem aliquando in tantam incidebat famem, vt ſatiari non poſſet: aliquandò uerò in ſatietatem magnam; trahebant enim uenæ à ventriculo, ſed nutriri non poterat corpus ex bilioſo humore; vnde fames primò oriebatur magna, inde verò inappetentia recurrente ad uentriculum rurſus humore bilioſo, ſed dices, qua ratione in uenis excitat famem bilis, quia corpus ex ea non ita nutritur, eadem deberet famem inducere in ventriculo, non tamen eſt eadem ratio, quia ventriculus non ſolũ appetit appetitu naturali inſenſibili nobis, ſed ſenſibili: quare non eandem parit affectionem bilis in eo. Aut dicendum bilem, licet ſua caliditate inappetentiam excitet, ſua acredine famem inducere; Quando igitur magis mordet, quam calefacit famem: quando magis calefacit, quàm mordet inappetentiam parit.

3 anim ad uerſio. Quòd exceſſus dupliciter conſideratur, vel in temperata natura, vel in ea, quæ temperata non eſt. Rurſus intemperies aut eſt naturalis, aut morboſa. Modus temperatæ naturæ eſt, ut tantum appetat, quantum concoquere poteſt; intemperatæ uero, calida magis concoquit, quàm appetat, Gal. li. de Artis Medicæ. frigida econtra. Vbi igitur mutetur iſte modus proportionalis, malum indicat Hipp. ſed peius in morboſa iam natura.

4. animad uerſio. Quòd exceſſus, qui fiunt in nobis, ad tria accidentium genera referuntur, operationem, excrementa, & mutatam qualitatem. In omnibus con
1. Artis Medicæ. ſideratur quantitas, qualitas, & tempus; atque id dupliciter; vel ſecundum paruum exceſſum, & faciunt corpus neutrum; vel magnum, & conſtituũt ægrum. Ad opus mutatum pertinet mutatio tam in ſenſu interno, quàm externo, in pulſu, reſpiratione, appetentia. Ad excrementã, mutatio in vrina, fece, muco, ſudore, hemorroide, menſtruis, item ſternutamẽta, ructus, ſingultus, flatus. Qualitatis mutatio corporis habitum comprehendit gracilem, aut craſſum; itemq; alias qualitates ſecundas in odorib.
7. Aphor. vlt. ſaporibus, coloribus, ſonis. Quare ſcripſit Hip. qualiaq. per vrinas, & aluum ſubeunt, atque per carnes abeunt, & ſi qua alia corpus a natura recedat ſpectare oportet: nam ſi parùm, paruus morbus, ſi multum, magis, ſi valde multùm, iam tale fuerit pernicioſum, nec ſolum damnandam mutationem in malum, ſed etiam in bonum, ſi ultra modum fuerit exiſtimare oportet.

5. animad uerſio. Quòd ſatietas duo ſignificat, inappetentiam, & nimiam repletionem. Primum intendit Hippocrates, ſed vera ſententia eſt etiam de ſecunda,

valde

valde enim magnam vim habere ad ſanitatem ſcripſit Hippocrates non ſatiari cibis, & eſſe impigrum ad labores. 6. Epidē.

APHORISMVS QVINTVS.

Spontaneæ laſſitudines, &c.

C*VM in antecedentibus à rebus naturalibus ſigna ſumeret non modò ad dignotionem, ſed prædictionem. In præſenti aphoriſmo rem præter naturam aſſumit, non tamen in eo exceſſu, quo morbum conſtituat, ſed pronunciet, ſicuti; & exceſſum rerum naturalium in præcedentibus ſumebat, non ut actu ægrum, ſed neutrum conſtituit.* cōnexio.

Spontanea laſſitudo morbos prænunciat. Intētio.

Vt Medicus commoda remedia in tempore adhibens, futuros morbos præcaueat. Rō intentionis.

Breuitas aphoriſmi diuiſionem non patitur.

Id, quod, vel plenitudinem, vel κακοχυμίαν, vel utrumq. indicat morbos prænunciat.

Spontanea laſſitudo, aut plenitudinem, uel κακοχυμίαν, aut vtrumque vitium indicat. Ergo Diuiſio: Demōſtratio.

Spontanea Laſſitudo morbos prænunciat.

Maior probatur, quia morbi, qui ex humorem vitio procreantur, ex aliquo iſtorum naſcuntur.

Minor demonſtratur, quoniam in laſſitudine ſpontanea, natura mittit humores ad muſculos, & carnes extrà venas, grauata humoris quantitate, aut qualitate, vel vtroque, vnde timor eſt obſtructionis, putredinis, inflammationis; & febris.

Quòd Laſſitudo eſt diſpoſitio, ſeu accidens, quæ refertur ad motum cum moleſtia, & pigritia. Ideò omnis laſſitudo eſt dolor, quia omnis moleſtia dolor eſt. Penes igitur doloris ſpecies, quas laſſitudo inducit membris: variæ laſſitudinis ſpecies naſcuntur. Si igitur dolor fuerit grauans laſſitudo dicitur tenſiua; ſi pungens ulceroſa, ſi ambo ſentiantur, phlegmonoſa, ſi oſſa, ueluti contundi uideantur, oſſarea, ut in Quartanis, ſed hæc non diſtat a reliquis; niſi, quòd in illis magis mittuntur humores ad muſculos, & cutim, in hac uerò ad oſſa, & membra interna. Eſt, & laſſitudo quædam, quæ arefactiua dicitur ex nimio exercitio proueniens; per quam membrana exſiccata ſunt nimis; ſed hæc ſpontanea eſſe non poteſt. 1. Adnotatio.

Quòd laſſitudo ratione cauſſæ multas habet differentias: quædam enim fit ſine motu, & ſpontanea dicitur, patientibus muſculis, ſimilem diſpoſitionem illi, quæ ex motu tenſis, ac delaſſatis. Alia eſt laſſitudo non ſpontanea, quæ ex nimio motu exoritur, & tripliciter accidere poteſt, aut in Altera animaduerſio.

exercitatis,

Sed mens, & pars, quæ ſentit neceſſario ad ſenſationem concurrunt. Ergo

Si pars non ſentit ſana exiſtente, mens ęgrotat.

Maior per ſe clara, & aperta eſt. Minor probatur, nam ſenſatio, quę fit in parte, neceſſario communicari debet principio, alioquin ſenſus ſequi non poteſt.

Quòd ad ſenſationem multa ſunt neceſſario: obiectum primò, quod ſentiri debet, deinde verò pars, quę ſentit, tertio inſtrumentum vniuerſale calidum innatum, & ſpiritus, quippe qui tum per neruos, tùm per arterias confluit. Hip. igitur ſupponit hic partis ſanitatem, obiectum pręſens, ſi igitur tollitur ſenſus, neceſſe eſt mentem lędi, & tolli inſtrumentum ipſius ſenſus, ſpiritum ſcilicet, vel à corde, vel à cerebro tranſmiſſum, mens .n. & in corde, & in cerebro ponitur ab Hip. vbi igitur cauſſa doloris pręſente non ſentitur in parte neceſſe eſt mentem ęgrotare, vt patet in phręneticis qui quidem, nec famē, nec ſitim ſentiunt. Si verò cerebro illęſo pars non ſentiat, neceſſe eſt partis temperamentum eſſe corruptum, vt in gangrena, & in doloribus à cauſſis malignis, nam in pleuritide maligna, dolor non ſentitur, & tamen eſt ſignum pathognomonicū, quia partis temperies corrumpitur. Prima adnotatio.

Quòd dolor non eſt ſenſatio aliqua, neque aliquod ſenſus obiectum, ſed moleſtia, quę oritur ex ſenſatione cauſę corrumpentis naturam, & à ſua armonia diſtrahentis. Duplex verò eſt doloris ſignificatio altera communis, qua ratione omnis morbus ulcus dicitur, & dolor, quia moleſtiam affert: altera particularis, qua ſolum dolorem appellamus inſignem moleſtiam. Hic rurſus duplex, vel à cauſſa naturali procedens, vt fames, & ſitis, vel à cauſſa pręter naturam, inflammatione nimirum vel ſciſſione, vel ruptura. De hoc ſecundo loquitur Hipp. quia dolor in primo ſignificatu non arguit mentem ęgrotare, nec loquitur in ſanis quia ſi in illis dolor non ſentitur, poteſt contingere, non ſolum, quia mens ægrotet, ſed quia alio ſit intenta, ut in ijs, qui pugnant non ſentientes dolores eo tempore. Intelligit igitur in ęgris pręcipuè, & de magna moleſtia. Altera animaduerſio.

Quòd ſi quis velit ſententiam uniuerſalem reddere, ita dicere oportet. Si pręſenti cauſſa doloris non ſentitur à membro neceſſe eſt, vel mentem ęgrotare, uel alio eſſe intentam, uel ſenſum partis eſſe abolitum, uel lęſum inſtrumentum ſenſus particulare ſpiritum animalem, uel uniuerſale, calorem innatum. Mens uero hic ab Hip. accipitur pro ſenſu interno, ſeu ad imaginationem, ſeu cogitationem, ſeu memoriam relatio habeatur. Quòd vero aſſerit Galenus actionis lęſionem partem lęſam indicare, id verū eſſe intelligendum eſt, uel immediatè, ut de actione naturali, uel per conſenſum, ut de uitali, & animali, quia lęſio, non ſolum ſupra membrū arguit, ſed, uel in principio, vel inſtrumento lęſionem indicat. Tertia adnotatio. 1. de locis affe.

Quòd

Quarta Animaduerſio. *Quòd doloris ſedatio ſine cauſſa manifeſta eſt, de qua potiſsimum loquitur Hip. ideò ſcripſit perniciofas anginas, quæ non manifeſtum dolorem faciunt; tunc enim indiiium eſt, vel mentem ægrotare, uel partis ſenſum ablatum, occultatur verò dolor preter rationem cum non præceſsit uacuatio aliqua, nec in die indicatoria facta eſt ſedatio; futurum enim, vel delirium, aut aliquod horrendum ſignificat.*

APHORISMVS SEPTIMVS.

Quæ longo tempore extenuata ſunt, &c.

Cõnexio *CVM in ſuperioribus egiſſet Hip. de præcautione, quæ fit in neutris decidentiæ, nunc de reſtauratione neutrorum conualeſcentiæ agit, & præceptum tradit ad refectionem extenuatorum perquàm vtile.*

Intentio. *Quæ longo tempore extenuata ſunt, ſenſim reficere oportet; quæ verò breui, repentè.*

Rō intentionis. *Vt modum doceat reficiendi, non penes maiorem, aut minorem, conſumptionem, vt putarunt nonnulli, ſed penes motus celeritatem, ſcilicet, & tarditatem extenuationis.*

Diuiſio. *Poteſt hæc ſententia in duas partes ſecari: quarum prima, ad eos pertinet, qui ex longo tempore extenuati ſunt: altera uerò ad illos, qui breui, & repentè.*

Demonſtratio. *Reditus ad ſtatum naturalem debet eſſe ſimilis receſſui.*

Longo igitur tempore extenuata, ſenſim, breui, repente ſunt reficienda.

Antecedens oſtenditur ratione à conſuetudine ducta; nã quæ lõgo tempore conſumpta ſunt paulatim; quę verò breui, repentè aſſueta sũt extenuari. Quare ſi quis extenuationis motũ mutet; ita, ut illa breui, hæc ſenſim repleat, lędet non mediocriter. Conſequens manifeſtè deducitur.

Prima animaduerſio. 6. Epidē. *Quòd extenuatio duplex eſt, altera q̄ fit ex euacuatione ſenſibili, aut inſenſibili, ubi modum excedit; altera; quæ oritur ex* κακοχυμία. *Prima repletione curatur: Altera uerò euacuatione. Exemplũ habes apue Gal. qui accerſitus ad curationem Mulieris extenuatæ, præter omnium Medicorum ſententiã, illi pluries ſanguinem miſit, & ſanata eſt; defecerant enim illi menſes; uenæ pręterea tumidæ, & ſanguine nigro repletæ: quare verisſimile erat uitioſum ſanguinem cauſſam extenuationis eſſe quẽ membra reſpuunt, non ſecus, ac ventriculus prauum alimentũ deteſtatur. Sũpſit tamen Gal. curationis modũ ex Hipp. 5. Epid. uiri illius in Oeniade.*

Altera adnotatio. *Quòd extenuatio à vacuatione; quędam eſt parua, quædam mediocris, & quædam magna. In prima ſanguis ſolũ, aut ſpiritus exhalauit: in altera uerò etiam pinguedo, & adeps: in tertia autẽ partes ſolidæ, ut carnes, venæ, arteriæ. Primę, & ſecundæ extenuationis ſignum eſt cutis laxatio,*

xatio; tertiæ verò contentio cum flauedine. Quod ſcripſit Hipp. in extenuatione primum laxari cutim, deinde circumtendi. Contra in repletione. Ait Galenus in longis morbis, non ſolum humores, ſed partes ſolidas extenuari; ideò ſenſim reficiendas: Contra in breuibus ſolum humores; & ſpiritus; ideò repente nutriendum eſſe. Sed cum in colliquanti febre, quæ acuta eſt, etiam pars ſolida conſumatur, ratio uniuerſalis aphoriſmi, non eſſet vera, quia aliquando oportet in longo morbo breuiter, in breui ſenſim reficere. Melius ergo eſt refectionem non penes maiorem, aut minorẽ extenuationem deſcribere, ſed receſſus modum à naturali ſtatu; nã, quæ breui extenuantur, breui reficienda ſunt; ſeu, contra quę ſenſim ex longo tempore, vt cumque facta ſit extenuatio. 6. Epidé.

Quòd refectio fit non ſolum per cibum, & potum, uerum etiam per reliquas res non naturales, ſomnum ſcilicet, exercitium, uacuationem, aerem, animi paſsiones, ad mediocritatem redacta: & quamuis corpora recenter extenuata ſint, & uehementer, tamen repente ſunt reficienda, quia cibos habemus, qui multum nutriunt, & facilè coquuntur, ut iura, ſtillata, conſumpta, expreſſa, piſta, oua ſorbilia, uina; reficiunt quoque odores, epithemata cordi admota. Tertia animaduerſio.

Quòd cautio adhibenda eſt in refectione, quæ repentè fieri debet; nam Hippocrates non reficit egros, niſi per duos, aut tres dies poſt iudicationem; & in ipſa refectione, ita celeriter reficere oportet, ut celeriter fiat refectio; ſed ſenſum, tum ob debilitatem caloris; tũ quoniam conualeſcentes magis appetunt, quam concoquunt, ob membrorum inanitionem. Refectio igitur ab odoribus incipienda eſt; hinc ad potus, inde ad ſorbitiones; poſtea ad cibos humidiores, indè ſicciores, ita, ut tempus refectionis ſit ęquale tempori extenuationis. 6. Aiaduerſio.

APHORISMVS OCTAVVS.

Si à morbo cibum aſſumens, quiſpiam.

CVM de conualeſcentium refectione uerba faceret in ſuperiori; atque eo modo illos reficiendos eſſe tradiderit, quo conſumpti fuerunt. Nunc pręceptum aliud utile circa refectionem adducit. Cõnexio.

Conualeſcens, qui nõ reficitur à cibo, aut plus aſſumit, quàm decet, aut purgatione indiget. Intentio.

Vt oſtendat non ſufficere ad refectionem allatam ſupra obſeruationẽ; ſed ſumendum alimentum ad virium proportionem, & corpus mundum eſſe debere. Quare ubi non ſuccedit, vel de cibo detrahendum, uel purgandum. Rò intentionis.

Diuiditur hęc ſententia in duas partes, in quarũ prima, docet, quãdo Diuiſio.

exceſſu

exceſſu alimenti non reficitur corpus:in altera autem quando κακοχυμία *id prohibet.*

Demõſtratio. *Cibi cruditas detractionem requirit,corruptio verò purgationem.*

Sed corpus conualeſcens, ſi non reficitur, aut non coquitur cibus, aut corrumpitur. Ergo

Conualeſcentis corpus,niſi reficiatur,vel cibi detractionem,uel purgationem requirit.

Maior certa quidem eſt. Minor probatur, quia nulla alia eſt ratio, cur à cibo non reficiatur corpus; quàm,vel quia crudus manet ab exceſſu,qđ ex appetentia cognoſcitur; vel,quia corrumpitur à morbi reliquis adhuc in corpore exiſtentibus indicia ſunt in appetentia,ſitis, oris amaritudo, vigilia,aut quidquam aliud modum excedens naturę.

Prima adnotatio. *Quòd dupliciter poteſt cibum appetere conualeſcens,uel naturaliter, exinanitione,tunc niſi reficiatur, plus aſſumit,quàm decet,vel præter naturam ob intemperie frigidam,aut mordentem humorem.tunc non ſolum indiget detractione, ſed purgatione.In primo caſu calorem innatum fouemus,cibum detrahemus.In altero autem paullatim purgamus, & reficimus; qui quidem modus epicraſis dicitur.*

Altera animaduerſio. *Quòd ſtatus corporum triplex eſt,ſecundum naturam ſanorum, præter naturam ægrorum,& medius neutrorum.In omni ſtatu alimentum ad proportionem eius,quod conſumitur,& virtutis dari debet. ſi quis verò ſani alimẽtum neutro,neutri verò ęgro exhibeat; magnopere lędet; magis enim offendere in ęgris ſanorum alimentum, ſcripſit Hip. quàm iumẽtorum ſanis,veluti etiam,ſi quis ſano ęgri nutrimentum adhibeat ſano morbus fit; In unaquaq; enim natura tantum dare oportet,quantum vires conficere poſſunt ſine detrimento.*

7.Aph.75 De veteri medicina.

Tertia animaduerſio. Infra Aphor. 32. *Quòd Hip.in conualeſcenti magis laudat inappetentiam,quàm immoderatam appetentiam; quia prima temporis tractu melius appetit,altera verò in faſtidium incidet. Quòd verò dicitur [corpus,quia non appetit purgatione indigere] non intelligit,ut ſemper ſit facienda purgatio; quia natura poterit ſuperare humoris reliquias;ad maiorem tamen ſecuritatem ponitur, purgatio.*

APHORISMVS NONVS.

Corpora,cum quis purgare volet.

Cõnexio *CVM in antecedenti Aphoriſmo docuiſſet Hippocrates purgandos eſſe eos,qui à cibo non reficiuntur modicè ſumentes, nunc quid faciendum ſit ante purgationem docet,pręceptum tradens vtile,& neceſſarium.*

Corpora

Corpora purganda, ante purgationem fluxilia facere oportet. Intẽtio.

Vt Medicus remoueat impedimenta, quæ difficilem purgationem red- Rõ inten
dunt, ita enim cum tolerantia fiet, alioquin tormina, & dolores exci- tionis.
tabit.

Breuitas huius ſententiæ diuiſionem non fert. Diuiſio.

Medicus cum purgat, intendit conferentiam, & tolerantiam. Demonſtratio
Sed ſine præparatione corporis iſta non fiunt. Ergo
Ante purgationem corpora præparare oportet.

Maior per ſe patet, debet enim Medicus ita curare, vt iuuet, & non no- Li. Acut.
ceat, quod ſcripſit Hippocrates, vt agat quæ citò, citò; quę purè, purè; primo.
quæ citrà dolorem, vt quàm minimus dolor ſentiatur. Minor oſtenditur,
quia ſi humor non ſit fluxilis, viæ impeditæ, purgatio cum tormine, dolore,
anxietate, & nauſea fiet, & labore.

Quòd præparatio, vel pertinet ad humorem, vel ad partes corporis, 1. adnota
per quas educitur humor, præparatur attenuatione, incraſſatione; & co- tio.
ctione. Corpus verò viarum apertione, humectatione, aſſuefactione, &
motu; Cæterum attenuatio, & incraßatio ad coctionem pręparant, ma-
ximè enim cedit coctus humor; ideò ſcripſit Concocta Medicari. At- 1. huius.
tenuatur igitur humor craßus duplici auxilio, & à calidis, & à tempera- 22.
tis, & frigidis; quia humor craſſus fieri poteſt, & à calore parte tenui
exhalante, & à frigiditate congelante. In frigidis ergo mediocriter atte-
nuant, mulſa, oximel ſimplex, inde compoſitum; amplius ſyrupus de ſte-
cade, de quinq. radicibus, de calamento, epitimo. in craſſo humore à
cauſſa calida, ptiſana, ſyrupus de pomis, iura, ſerum. Humor verò te-
nuis ad purgationem non eget incraſſatione, niſi ſit imbibitus, at ſi quando
incraſſatur, eſt, propter coctionem; nam coctio non ſolum fit à calore inna-
to: ſed à Medicamentis reducentibus ad temperiem.

Quòd viarum apertio comprehendit canales, per quos excrementa, ut Altera a-
humores educi ſolent, ſeu ad inteſtina ſeu ad menſes, vrinas; os, nares, nimaduer
aures. Fit verò iſta apertio in inteſtinis, abſterſione, & mollificatione, ſio.
maximè per clyſteres, in venis aperientibus, incidentibus, laxantibus.
Illud verò ex Hippocrate notandum, qui per ſuperiora purgans aluum ſi- 7. Aphor.
ſtit, per inferiora verò laxat. Humectatio quoq. corpora præparat ad pur- 70.
gationem, & fluxilia facit; ea verò fit balneo, fomento, cibo, atque potu:
ideò obſeruant Medici Auſtrinum tempus ad purgationẽ. Aſſuefactione
corpus præparatur ad vomitum, leuioribus primum; ſicuti ad deiectionẽ
per cliſteres. Motus quoq. corpus præparat aſſumpto medicamento, ideò
ſcripſit Hippocrates. Poto Helleboro corpus mouendum potius, quàm ſom- 4 Aphor.
nò tradendum: nam, vel nauigatio indicat motione turbari corpora. Vi- 14.
gilia quoque omnem promouet excretionem pręter ſudorem, qui per ſom-
num magis excernitur.

3. adnotatio. *Quòd vox iſta [purgari,] non ſolũ de deiectione ſit intelligenda, ſed de omni alia expulſione ſeu per vomitum, vrinas, menſes, hemorroides, ſudores illa fiat; nec ſolùm fluxilia facere corpora oportet, cum hæc medicamentis mouemus, ſed & cum ſanguinẽ mittimus, vbi craſſus fuerit. quod obſeruat Hipp. in apoplecticis, aut ijs, quibus intercepta ſunt venæ obmuteſcentibus: ſanguis enim præparari debet prius ad expulſionem frictionibus, fomentis ex oleo calido, vt fluat ad ſectionem.*

4. Acutorum.

APHORISMVS DECIMVS.

Impura corpora, &c.

cõnexio. ITA *connectitur hęc ſententia cum octaua ſuperiori; vt cauſa cum ſuo effectu; docet enim, cur corpora purgatione indigent, quę a cibo modico non roborantur ex morbo.*

Intẽtio. *Impura corpora quanto magis nutries, magis lædes.*

Rõ intentionis. *Vt impura corpora non nutriamus, ſed prius vacuemus.*

Diuiſio. *Breuitas huius ſententiæ diuiſionem non admittit.*

Demonſtratio. *Id, quod auget prauorum humorum quantitatem, & malitiam, quantò magis dabitur magis lædet.*

At alimentum in corpore impuro auget, & quantitatem, & malitiam praui humoris.

Corpus igitur impurum, quantò magis nutries, magis lædes.

Maior per ſe clara eſt. Minor probatur, quoniam ex adiectione alimenti in corpore impuro augetur quantitas, & ſeruatur qualitas.

1. animaduerſio. *Quod tres ſunt ſtatus corporum, impurorum, ægrorum, neutrorum cum decidentia, & conualeſcẽtia: de quibus omnibus vera eſt huiuſcemodi ſententia; quòd quantò magis nutriuntur, magis læduntur.*

Altera adnotatio. *Quòd nutritio, quæ corpori adhibetur, vel eſt ad robur, & refectionem, vel ad conſeruationem, & neceſſitatem vitæ. Primo modo non debent nutriri corpora impura; ſed ſecundo modo nutriri debent.*

Tertia animaduerſio. *Quod impura corpora dicuntur, vel propriè, ut in* κακοχυμία, *& putredine, vel impropriè, ut in* πληθώρα. πληθώρα *autem, &* κακοχυμία *ſ euacuationem poſtulant, inde refectionem. Putredo vbi ea eſt inſignis alimentum requirit. Nec de his loquitur Hipp. quoniam in hoc caſu ob neceſſitatem nutrimur propter vires, & quia humores omninò ſunt inepti ad nutritionem; ideò maior eſt vtilitas, quæ ſequitur ad nutritionem quàm impuritas ex corruptione. Adde nutrimentum quòd in putredine exhibemus attemperans eſſe debere, quare attemperatur, & corrigitur putredo; vt in cacochymia, cum adſunt humores non ita confecti, nec vires ita debiles, minus indicatur de cibo. Sunt autem cibi attemperantes iura pullo-*

rum,

rum, ptiſſanacum bolo armeno, ſucco limonis, alijſq; eiuſdem rationis.

Quòd impura corpora, quę ægrotāt manifeſta habent ſigna. Neutra verò decidentiæ dignoſcūtur tùm in operationibus, tùm excrementis, et qualitate mutata; de quibus multa Hip. Neutra verò conualeſcentiæ, de quibus potiſſimùm loquitur hic Hip. ſua quoque habent indicia manifeſta; adeſt enim inappetentia, ſitis, ſomnus, aut vigilia præter modum. 4. animaduerſio. 3. de Dieta.

Quòd corpus dicitur impurum dupliciter, vel extrà ſolùm; vel intus ſolùm, vel intus & extra. In primo caſu licet nutrire corpus tuto: in alteris verò nequaquàm, ſed purgare prius oportet. Cognoſcitur autem impuritas intra ex impuritate excrementorum, vrinæ potiſſimum. Vbi verò, pura ſunt excrementa, tunc corpus mundum eſt ad intra, vt ſcribit Hippocrates infrà. 5. adnotatio. Aph. 15.

Quod in omni impuro corpore debili, tutum eſt vti epicraſi. Eſt autem epicraſis paulatim uacuare, & paulatim replere, quæ maximè conuenit in neutris conualeſcentiæ ob debilitatem, & inopiam caloris; nam neutri decidentiæ, non paulatim, ſed ſemel euacuandi ſunt; quia adeſt virium robur. In plithora, verò ſanguinis miſſione. In κακοχυμία, vomitu, ſeu deiectione. 6. adnotatio.

APHORISMVS VNDECIMVS.

Facilius eſt potu refici quàm cibo.

CVM ante à ſepcimo Aphoriſmo ſtatuiſset Hippocrates reficiēdos eſſe conualeſcentes pro ratione extenuationis, ſenſim. ſ. illos, qui longo tempore, breuiter autem illos, qui breui erant extenuati. Modo ſententiam affert ad ipſam refectionem vtilem. cōnexio.

Facilius eſt humido reficere quàm ſicco. Intentio.

Vt qualitatem ciborū indicet ad reficiendum aptiſſimum, atque eo magis, quo citius nutrire intendit. Rō intentionis.

Breuitas ſententiæ diuiſionem haud patitur. Diuiſio.

Quòd facilius transmutatur; diſtribuitur, atque unitur facilius reficit. Demōſtratio.

Humidū facilius tranſmutatur in ventre, diſtribuitur, & unitur. Ergo.

Humidum alimentum facilius reficit, quàm ſiccum.

Maior probatur, quia nutritio fit per tranſmutationem alimenti primò in ventriculo in chylum; inde per diſtributionem ad membra: denique per aſſimilationem, & vnionem.

Minor oſtenditur ex natura humidi, quòd facillimè tranſmutatur, & permeat.

Quòd duę ſunt qualitates ad refectionem aptiſſimę; altera quidē agēs, altera verò patiens. Inter agentes calidum efficacius agit: inter patientes 1. animaduerſio.

 autem,

autem, magis patitur humidum. Quare fit, vt humidum, & calidum ad coctionem probentur, & ea ratione Pueri maximè coquunt.

Altera adnotatio. Quòd tria ſunt in corpore, quæ refectionem requirunt, membra, humores, & ſpiritus. Spiritus odoribus, & aere reficiuntur: humores, humida ſubſtantia: ſolida membra ſolidiori. In iſta triplici refectione, id, quod eſt magis humidum citius, & facilius reficit. Sed dices, ſcripſit Hipp. ſiccum alimentum aliquando tranſmutari facilius, quàm humidum. Ratio eſt, quia ſicca membra ob ſimilitudinem facilius à ſiccis nutriuntur, facilior enim eſt tranſitus in ſimbolis. Dicendum, quòd licèt in ſicco membro facilius tranſmutetur ſiccum alimentum, quandò iam eſt appoſitum illi, immediatè; tamen quia nutritio fit per mutationes multas, cibi in chylum, huius autem in ſanguinem; ideò fit, vt citius, & facilius per iſtas mutationes tranſeat humidum: Quare mediatè ſemper facilius tranſmutatus humidũ.

Lib de alimento.

3. animaduerſio. Quod potus nomine intelligere poſſumus; tum alimẽtum humidiorem, tum etiam vini potionem; & queadmodum inter alimenta, facilius reficit humidum, ita vini generoſi potus facilius, & citius reficit, quàm alimentum humidum. hoc magis reficit odor, tum vini, tum alimentorum, ut carnis; reficiuntur enim facillimè odore ſpiritus. Quod verò ſcribit Ariſt. Odorem non facere ad alimentum ſed ad ſanitatem, non ita intelligendum eſt, ut neget abſolute, odorem nutrire, (nam ſi ex aere nutriuntur ſpiritus, quanto magis ex euaporatione alimenti? Sed quòd magis faciant ad ſanationem, quàm alimentum. Primum igitur locum celeris nutritionis habet odor; inde vina generoſa, poſtea verò alimenta humida, vt iura, ſtillata, expreſſa, conſumpta, oua, pullorum carnes, piſciculorum, inde carnes auium, & denique quadrupedum.

Lib. de ſẽſu.

4. adnotatio. Quòd calidum in ratione humidi magis coquit, quàm in ratione ſicci; nam Pueri calidum maximè coquit, quia humidum, at febrile, alimentum corrumpit, & ianidiorem uertit. Ideò febrienti humida damus alimenta, vt calorem reducant ad temperiem, & facilius mutentur. Sed dices calidus ventriculus deſpicit alimenta facilis coctionis, quoniam illa adurit; ergò, & febrilis aduret humida, magis ergo ſicco in febre nutriendũ. Non tamen valet comparatio ab intemperie equali uentriculi, ad intemperiẽ febris inequalem.

1. Aphor. 16.

Quinta adnotatio. Quòd vbi corpus debile eſt, magis conuenieus eſt alimentum humidũ, at abſolutè ſiccum præſtat, tum quia partes ſolidæ ſiccæ ſunt, tum quia etiã putredini magis reſiſtit, & quia tale alimentum lõgiorem vitam præſtat. quare ſiccum alimentum ſanis preferendum. Ideò ſcripſit Hip. Iuuenibus dandum alimentum impermutatum, ſenibus valde mutatum iunioribus, uerò medio modo ſe habens quia primi validi ſunt, ſecundi debiles, tertij in medio ſunt poſiti: per mutationem verò intelligit macerationem, & præparationem, quæ fit coctura, aſſatione, uel elixatione.

Lib. de alimento.

APHO-

APHORISMVS DVODECIMVS.

Quæ relinquuntur in morbis, &c.

CVM in octauo Aphoriſmo ſcripſiſſet Hippocrates, corpora, quę nō afficiuntur à morbis, indigere purgatione. In hoc cauſſam aſſignat, quòd morborum reliquię morbos facere ſolent. Cōnexio.

Quę poſt criſim in morbis relinquuntur, recidiuas facere ſolent. Intentio.

Vt Medicus diligenti cura attendat, ſi quid à morbo relinquitur, idque remoueat & accuratè tractet corpora, ne recidiua contingat: nam cum morbus alteri ſuccedit plerumque occidit. Rō intentionis. Hip de affectionibus.

Breuitas aphoriſmi non eſt capax diuiſionis. Diuiſio.

Poſita diſpoſitione morbifica cum uirium languore, facilè morbus ſequitur. Demōſtratio.

Sed in conualeſcente non perfectè iudicato, adeſt diſpoſitio morbifica cum languore uirium.

Quæ igitur relinquentur à iudicatione facilè morbum renouant.

Maior probatur, quia poſita diſpoſitione ad putredinem, uel in humore, uel in membro cum imbecillitate, facilè accenditur. Minor, clara eſt; ſi enim non perfectè iudicatur morbus; neceſſe eſt relinqui in humore, uel in membro diſpoſitionem ad morbum; nam in criſi perfecta, nil relinquitur agendum.

Quòd perfectè criſis; in qua nihil relinquitur, ſigna ſunt, alleuatio coctionis ſignis apparentibus, & in die iudicatoria, per aliquam effatu dignam euacuationē, uel abſceſſum. Signa imperfectè criſis, & recidiuæ, contraria; ſi morbus alleuiet, non ſecundum rationem, hoc eſt ſine coctionis notis, uel extrà diem criticum, uel ſine euidenti euacuatione, aut abſceſſu. Relinquitur præterea oris amaritudo, aut inſuauitas, inappetentia, vigilia, aut ſomnus pręter modum, triſtitia, corpus à cibo non roboratur. 1. animaduerſio.

Quòd recidiua, quædam eſt uera, quædam non uera. Vera accidit in imperfecta criſi, quoties natura non potuit in totum cauſſam morbi eradicare; ſed remanet diſpoſitio in materia antecedenti, vel in membro, quaſi nidor, unde rurſus morbus renouatur, neq. enim natura, cum indicauit irritata eſt ab illa materia, quæ facit recidiuam, quia latebat, neq. ita erat diſpoſita. Recidiua non uera eſt illa, quæ accidit in criſi perfecta ob aliquam cauſſam externam, ut malum ſcilicet uictus rationē, aut temporis conſtitutionem. Vbi igitur uerè recidiuæ timor eſt, purganda materia, quæ ut plurimum ſolet eſſe bilis aduſta nec ſolùm purgatione; ſed aliquando, & miſſione ſanguinis, ubi cinis in ſanguine fuit relictus. Partis uerò diſpoſitio ad naturalem ſtatum reducenda, ijs, quæ roborant, & attemperant. Altera adnotatio.

quia ſi pluries criſes fiunt in nocte. Ergo etiam ad malum plures; tum quia magis mouentur humores praui ad uiſcera; tum etiam, quia deſtituitur calore Solis corpus uiuificantis; tùm, quoniam morbi malitiam adiuuat incitans criſim ante coctionem.

Quarta adnotatio. *Quòd nox ſequens criſim, aliquando grauior eſſe ſolet; ſed rarò contingit; quod probari poteſt; quia cùm pluries in uita ægrotemus, ſemel mori cõtingit; nam mala criſis rarò accidit, præterquàm in peſtilenti conſtitutione. Sed & in bona criſi, accidit aliquando, ſubſequentem noctem non eſſe leuiorem, quia criſis illa poteſt extendi ad duos dies uel ob Medici errorẽ, vel ob morbum ſuccedentem, uel ob inſidã conſtitutionem.*

5. animaduerſio. *Quòd criſis non fit, niſi in acceſſione; propterea dixit Hipp. grauem noctem acceſſionem præcedentem, nõ quod præcedens non ſit grauior tempore acceſſionis, ſed comparatione facta ad ſubſequentem noctem; nam acceſſionis hora grauior eſt, quã nox præcedens, niſi ea numeretur, & includatur in tempore acceſſionis.*

6. adnotatio. *Quòd turbatio in morbis maximè incipit à meridie, & ueſperi, ad quã horam uoluit Hip. omnes morbos exacerbari: comprǽhenditur autem cum nocte hoc tempus: accidentia uerò, quę perturbationem faciunt, quędam ſunt communia, alia uerò propria. Communia ſunt, anxietudo, iactatio; propria pro ratione loci, ad quem confluit materia; de quibus iam dictum eſt; excretio enim, quæ fit per uomitum, ueluti unaquęque alia ſua propria habet accidentia; ueluti etiam, quæ fit per abſceſſum partis dolorem, & calorem.*

7. animaduerſio. *Quòd cum Medicus uidet hæc ſigna non debet turbari; ſed conſiderare antecedentem in excrementis coctionem, & diem, in quo fit criſis, ſi enim præceſſit coctio, & iſta perturbatio fit ſeptima die, uel nocte antecedenti, ſalutem prędicet. At ſi præceſſerunt cruditatis ſigna, & dies perturbationis critica non fuerit, aut ἀκρισίας aut dolores, aut recidiuas, aut morbi longitudines, aut mortes: & ſolet fieri bona criſis plerumque in die impari; quia per hos dies natura mouet. Ideò morbi, qui imparibus exacerbantur, facilis ſunt iudicationis; contra, qui paribus ad iudicandum difficiles.*

APHORISMVS DECIMVS QVARTVS.

In fluxionibus alui, &c.

Cõnexio. CVM *in prǽcedenti mentionem feciſſet de criſi; quæquidem fit, uel per euacuationem, uel per abſceſſum. In præſenti ſententia, ſignum ſumit criſis, quæ fit per euacuationem, eamque communiſſimam alui deiectionem.*

In

In fluxu ventris excrementorum mutatio iuuat, niſi ad praua ſit. Intentio.

Vt Medicus non modò in critica fluxione alui, ſed in ſymptomatica, ſignum habet ad bonum, vel malū ex mutatione excrementi, mutationem que laudandam eſſe, non ſolùm ſi fiat ad bonum, ſed ſi ad non malum, & æquale, quòd maius eſt. Rō intentionis.

Non eſt diuiſionis capax Aphoriſmi breuitas. Diuiſio.

Id, quòd, vel naturæ dominium, vel eius validam actionem oſtendit, eſt bonum. Demonſtratio.

At excrementi mutatio non ad praua, vel naturæ dominium oſtendit, vel eius validam actionem oſtendit. Ergo

Excrementi mutatio, ſi non ſit ad praua, bonum eſt ſignum.

Maior certa quidem eſt. Minor oſtenditur, quoniam vbi excremēta perſeuerant in vno ſtatu, cauſſæ pertinacia demonſtratur. At vbi mutatio ſit ad bonum; ſuperans natura oſtenditur, & valida illius actio in humores. Quare ſcripſit Hippocrates. *Acidum ructum in diuturno alui profluuio bonum ſignificare. Coctionem enim perfici quodammodo ex illo ſigno oſtenditur.* 6. Aph. 1.

Quòd alui fluxus, quidam eſt ſpontaneus, quidam verò fit Medici ope. Spontaneus, vel eſt criticus, uel ſymptomaticus. Symptomaticus triplex eſt, Lienteria, Diarræa, & Diſenteria. Si igitur medicamenti ope fiat purgatio, iuuat mutatio etiam, ſed ſi fiat ad praua, ſaltem ratione cauſæ; quamuis non ratione ſigni: bonum eſt prauum humorem eſſe extra corpus. At ſi mutatio fiat ad praua, critice; iuuat etiam; nam ſi per nigras vrinas, & æruginoſum vomitum aliquando morbum expelli notamus, ſed rarò. At in ſymptomatico fluxu iuuat mutatio, non ſolum ſi ſit ad bonum, ſed ſi ſit ad æquale, quia mutatio arguit robur naturæ. Prima ad notatio. 4. Aphor. 21.

Quòd excrementum, veluti omne aliud ex doctrina Hippocratis *in Prognoſtico, quoddam eſt bonum, quoddam verò malum, quoddam prauum. Optima igitur eſt ægeſtio mollis cohærens, non admodū graue olens, ſubruſſa, iuxta copiam ciborum ingeſtorum. Mala autem eſt liquida, alba, pallida, vehementer ruffa, ſubuiridis, ac leuis. Praua eſt nigra, liuida, pinguis, æruginoſa, putrida, ramentoſa, ſeu ſimul, ſeu per ſe eyciatur. Ex his pingue excrementum, liuidum, ramentoſum, putridum, æruginoſum, nunquàm cum progreſſu educitur. Nigrum rarò admodum. Ceterū, quod de fecibus dicimus, de vrina, ſputo, ſudore, muco, vomitu, & alijs excretionibus dictum puta. Verum tabulam ex* Hippocrate *in Prognoſtico alui excrementi, ad facile exemplum deſcripſi.* Altera animaduerſio. 1. Prognoſticorum.

Inſece

2. de Diæta. Hipp. *exercitatis, cùm multùm ſe exerceant, aut exercitatis, ſed exercitio non aſſueto; aut exercitatis aſſueto exercitio, ſi excedat. Fit autem laſſitudo ex labore, colliquata carne, & conſumpta humiditate adipoſa; vnde humor tranſmittitur per carnes, veluti in febribus accidit aliquando.*

Tertia animaduerſio. Hippoc. *Quòd omnis laſſitudo morbum parere poteſt; ſed magis ſpontanea; quia à cauſa interna naſcitur; ideò magis timenda; qua ratione facilior eſt ſolutu omne uitium à cauſa externa, & manifeſta ortum ducens; dummodò naturam humanam non ſuperet, ut in peſte. Quare in Prognoſtico minus malas eſſe affectiones, ac non multum timendas, ſi à manifeſta cauſſa naſcantur, ut faciem illam horrendam, ſi fame, aut uigilia accidat, non ità extimeſcendam ratus, veluti ſi occulta ratione naſcatur.*

Quarta adnotatio *Quòd remedia laſſitudinis ſpontaneæ ſunt vacuatio, vel per ſanguinis miſsionem in pletora; uel purgatione, in κακοχυμία, vel vtraque faciunt quoque crudi humores laſſitudinem, qui coquendi ſunt, & attenuandi, ac expurgandi. Laborioſa uerò laſſitudo balneo, frictione, unctione, ambulatione, & purgatione, ſi opus fuerit, tollitur. eſt autem laſſitudo ferè plenitudinis comes: ideò, & uomitu, & diæta illam curat Hip.*

2. & 3. de Dieta.

Quinta adnotatiō. 4. Aph. 74 *Quòd laſſitudo fit etiā in febribus colliquato humore, & indicat Hipprocrati futurum ad articulos abſceſſum, niſi urinæ multitudo procedat, & liberet. Eſt autem laſſitudo, ſeu delaſsatio malum ſignum in acutis; ut articulorum confractiones, malignitas enim morbi eo demonſtratur, & animalis uirtutis imbecillitas. Quare conuerti facilè, & in attollendo ſe promptum eſſe bonum, pronunciari ſcripſit Hippocrates; ueluti malum corporis grauedinem. potens ſanè hoc ſignum ad robur dignoſcendum, & imbecillitatem.*

In Prognoſtico.

APHORISMVS SEXTVS.

Quicunque dolentes, &c.

Cōnexio. *CVM in antecedenti aphoriſmo tractaſſet Hipp. de laſſitudine, quæ ſpecies eſt quædam doloris. In hac ſententia præceptum tradit ad ipſum dolorem pertinens celebre, magnaque utilitatis.*

Intentio. *Cauſa doloris præſente, ſi dolor non ſentitur, mens ægrotat.*

Ratio ītētionis. *Vt moneat contra uulgi opinionem doloris ablationem, non ſemper bonum eſſe; quinnimò magnum malum ex hoc ſignificari, ſi præſenti cauſſa dolor non ſentitur. Præterea, ut ex hoc Mentis turbationem Medicus prænunciet.*

Diuiſio. *Huius aphoriſmi breuitas, & continuitas diuiſionem non patitur.*

Demōſtratio. *Vbi aliqua neceſſariò concurrunt ad operationem, læſa operatione, neceſſe eſt aliquid ipſorum lædi.*

Sed

Sed mens, & pars, quæ ſentit neceſſario ad ſenſationem concurrunt. Ergo

Si pars non ſentit ſana exiſtente, mens ęgrotat.

Maior per ſe clara, & aperta eſt. Minor probatur, nam ſenſatio, quę fit in parte, neceſſario communicari debet principio, alioquin ſenſus ſequi non poteſt.

Quòd ad ſenſationem multa ſunt neceſſario: obiectum primò, quod ſentiri debet, deinde verò pars, quę ſentit, tertio inſtrumentum vniuerſale calidum innatum, & ſpiritus, quippe qui tum per neruos, tùm per arterias confluit. Hip. igitur ſupponit hic partis ſanitatem, obiectum pręſens, ſi igitur tollitur ſenſus, neceſſe eſt mentem lędi, & tolli inſtrumentum ipſius ſenſus, ſpiritum ſcilicet, vel à corde, vel à cerebro tranſmiſſum, mens .n. & in corde, & in cerebro ponitur ab Hip. vbi igitur cauſſa doloris pręſente non ſentitur in parte neceſſe eſt mentem ęgrotare, vt patet in phręneticis qui quidem, nec famē, nec ſitim ſentiunt. Si verò cerebro illęſo pars non ſentiat, neceſſe eſt partis temperamentum eſſe corruptum, vt in gangrena, & in doloribus à cauſſis malignis, nam in pleuritide maligna, dolor non ſentitur, & tamen eſt ſignum pathognomonicū, quia partis temperies corrumpitur. Prima ad notatio.

Quòd dolor non eſt ſenſatio aliqua, neque aliquod ſenſus obiectum, ſed moleſtia, quę oritur ex ſenſatione cauſę corrumpentis naturam, & à ſua armonia diſtrahentis. Duplex verò eſt doloris ſignificatio altera communis, qua ratione omnis morbus ulcus dicitur, & dolor, quia moleſtiam affert: altera particularis, qua ſolum dolorem appellamus inſignem moleſtiam. Hic rurſus duplex, vel à cauſa naturali procedens, vt fames, & ſitis, vel à cauſa pręter naturam, inflammatione nimirum vel ſciſſione, vel ruptura. De hoc ſecundo loquitur Hipp. quia dolor in primo ſignificatu non arguit mentem ęgrotare, nec loquitur in ſanis quia ſi in illis dolor non ſentitur, poteſt contingere, non ſolum, quia mens ægrotet, ſed quia alio ſit intenta, ut in ijs, qui pugnant non ſentientes dolores eo tempore. Intelligit igitur in ęgris pręcipuè, & de magna moleſtia. Altera animaduerſio.

Quòd ſi quis velit ſententiam uniuerſalem reddere, ita dicere oportet. Si pręſenti cauſa doloris non ſentitur à membro neceſſe eſt, vel mentem ęgrotare, uel alio eſſe intentam, uel ſenſum partis eſſe abolitum, uel lęſum inſtrumentum ſenſus particulare ſpiritum animalem, uel uniuerſale, calorem innatum. Mens uero hic ab Hip. accipitur pro ſenſu interno, ſeu ad imaginationem, ſeu cogitationem, ſeu memoriam relatio habeatur. Quòd vero aſſerit Galenus actionis lęſionem partem lęſam indicare, id verū eſſe intelligendum eſt, uel immediatè, ut de actione naturali, uel per conſenſum, ut de uitali, & animali, quia lęſio, non ſolum ſupra membrū arguit, ſed, uel in principio, vel inſtrumento lęſionem indicat. Tertia ad notatio. 1. de locis affe.

Quòd

Quarta Animaduerſio. *Quòd doloris ſedatio ſine cauſſa manifeſta eſt, de qua potiſsimum loquitur Hip. ideò ſcripſit perniciosas anginas, quæ non manifeſtum dolorem faciunt; tunc enim indiiium eſt, vel mentem ægrotare, uel partis ſenſum ablatum, occultatur verò dolor preter rationem cum non præceſsit uacuatio aliqua, nec in die iudicatoria facta eſt ſedatio; futurum enim, vel delirium, aut aliquod horrendum ſignificat.*

APHORISMVS SEPTIMVS.

Quæ longo tempore extenuata ſunt, &c.

Cōnexio *CVM in ſuperioribus egiſſet Hip. de præcautione, quæ fit in neutris decidentiæ, nunc de reſtauratione neutrorum conualeſcentiæ agit, & præceptum tradit ad refectionem extenuatorum perquàm vtile.*

Intentio. *Quæ longo tempore extenuata ſunt, ſenſim reficere oportet; quæ verò breui, repentè.*

Rō intentionis. *Vt modum doceat reficiendi, non penes maiorem, aut minorem, conſumptionem, vt putarunt nonnulli, ſed penes motus celeritatem, ſcilicet, & tarditatem extenuationis.*

Diuiſio. *Poteſt hæc ſententia in duas partes ſecari: quarum prima, ad eos pertinet, qui ex longo tempore extenuati ſunt: altera uerò ad illos, qui breui, & repentè.*

Demonſtratio. *Reditus ad ſtatum naturalem debet eſſe ſimilis receſſui.*

Longo igitur tempore extenuata, ſenſim, breui, repente ſunt reficienda.

Antecedens oſtenditur ratione à conſuetudine ducta; nā quæ lōgo tempore conſumpta ſunt paulatim; quę verò breui, repentè aſſueta sūt extenuari. Quare ſi quis extenuationis motū mutet; ita, ut illa breui, hæc ſenſim repleat, lędet non mediocriter. Conſequens manifeſtè deducitur.

Prima animaduerſio. 6. Epidē. *Quòd extenuatio duplex eſt, altera, q̄ fit ex euacuatione ſenſibili, aut inſenſibili, ubi modum excedit; altera; quæ oritur ex* κακοχυμία. *Prima repletione curatur: Altera uerò euacuatione. Exemplū habes apue Gal. qui accerſitus ad curationem Mulieris extenuatæ, præter omnium Medicorum ſententiā, illi pluries ſanguinem miſit, & ſanata eſt; defecerant enim illi menſes; uenæ pretereà tuuidæ, & ſanguine nigro repletæ: quare veriſmile erat uitioſum ſanguinem cauſſam extenuationis eſſe quē membra reſpuunt, non ſecus, ac ventriculus prauum alimentū deteſtatur. Sūpſit tamen Gal. curationis modū ex Hipp. 5. Epid. uiri illius in Oeniade.*

Altera adnotatio. *Quòd extenuatio à vacuatione; quędam eſt parua, quædam mediocris, & quædam magna. In prima ſanguis ſolū, aut ſpiritus exhalauit: in altera uerò etiam pinguedo, & adeps: in tertia autē partes ſolidæ, ut carnes, venæ, arteriæ. Primę, & ſecundæ extenuationis ſignum eſt cutis laxatio,*

ratio; tertiæ verò contentio cum flauedine. Quod ſcripſit Hipp. in extenuatione primum laxari cutim, deinde circumtendi. Contra in repletione. Ait Galenus in longis morbis, non ſolum humores, ſed partes ſolidas extenuari; ideò ſenſim reficiendas: Contra in breuibus ſolum humores; & ſpiritus; ideò repente nutriendum eſſe. Sed cum in colliquanti febre, quæ acuta eſt, etiam pars ſolida conſumatur, ratio uniuerſalis aphoriſmi, non eſſet vera, quia aliquando oportet in longo morbo breuiter, in breui ſenſim reficere. Melius ergo eſt refectionem non penes maiorem, aut minorẽ extenuationem deſcribere, ſed receſſus modum à naturali ſtatu; nã, quæ breui extenuantur, breui reficienda ſunt; ſeu, contra quę ſenſim ex longo tempore, vt cumque facta ſit extenuatio. 6. Epidé.

Quòd refectio fit non ſolum per cibum, & potum, uerum etiam per reliquas res non naturales, ſomnum ſcilicet, exercitium, uacuationem, aerem, animi paſsiones, ad mediocritatem redacta: & quamuis corpora recenter extenuata ſint, & uehementer, tamen repente ſunt reficienda, quia cibos habemus, qui multum nutriunt, & facilè coquuntur, ut iura, ſtillata, conſumpta, expreſſa, piſta, oua ſorbilia, uina; reficiunt quoque odores, epithemata cordi admota. Tertia animaduerſio.

Quòd cautio adhibenda eſt in refectione, quæ repentè fieri debet; nam Hippocrates non reficit egros, niſi per duos, aut tres dies poſt iudicationem; & in ipſa refectione, ita celeriter reficere oportet, ut celeriter fiat refectio; ſed ſenſum, tum ob debilitatem caloris; tũ quoniam conualeſcentes magis appetunt, quam concoquunt, ob membrorum inanitionem. Refectio igitur ab odoribus incipienda eſt; hinc ad potus, inde ad ſorbitiones; poſtea ad cibos humidiores, indè ſicciores, ita, ut tempus refectionis ſit ęquale tempori extenuationis. 6. Aiaduerſio.

APHORISMVS OCTAVVS.

Si à morbo cibum aſſumens, quiſpiam.

CVM de conualeſcentium refectione uerba faceret in ſuperiori; atque eo modo illos reficiendos eſſe tradiderit, quo conſumpti fuerunt. Nunc preceptum aliud utile circa refectionem adducit. Cõnexio.

Conualeſcens, qui nõ reficitur à cibo, aut plus aſsumit, quàm decet, aut purgatione indiget. Intentio.

Vt oſtendat non ſufficere ad refectionem allatam ſupra obſeruationẽ; ſed ſumendum alimentum ad virium proportionem, & corpus mundum eſſe debere. Quare ubi non ſuccedit, vel de cibo detrahendum, uel purgandum. Rõ intentionis.

Diuiditur hęc ſententia in duas partes, in quarũ prima, docet, quãdo Diuiſio.

exceſſu

exceſſu alimenti non reficitur corpus: in altera autem quando κακοχυμία *id prohibet.*

Demõſtratio. *Cibi cruditas detractionem requirit, corruptio verò purgationem.*

Sed corpus conualeſcens, ſi non reficitur, aut non coquitur cibus, aut corrumpitur. *Ergo*

Conualeſcentis corpus, niſi reficiatur, vel cibi detractionem, uel purgationem requirit.

Maior certa quidem eſt. Minor probatur, quia nulla alia eſt ratio, cur à cibo non reficiatur corpus; quàm, vel quia crudus manet ab exceſſu, quod ex appetentia cognoſcitur; vel, quia corrumpitur à morbi reliquis adhuc in corpore exiſtentibus indicia ſunt in appetentia, ſitis, oris amaritudo, vigilia, aut quidquam aliud modum excedens naturę.

Prima adnotatio. *Quòd dupliciter poteſt cibum appetere conualeſcens, uel naturaliter, exinanitione, tunc niſi reficiatur, plus aſſumit, quàm decet, vel præter naturam ob intemperie frigidam, aut mordentem humorem. tunc non ſolum indiget detractione, ſed purgatione. In primo caſu calorem innatum fouemus, cibum detrahemus. In altero autem paullatim purgamus, & reficimus; qui quidem modus epicraſis dicitur.*

Altera animaduerſio. *Quòd ſtatus corporum triplex eſt, ſecundum naturam ſanorum, præter naturam ægrorum, & medius neutrorum. In omni ſtatu alimentum ad proportionem eius, quod conſumitur, & virtutis dari debet. ſi quis verò ſani alimētum neutro, neutri verò egro exhibeat; magnopere lędet; magis enim offendere in ęgris ſanorum alimentum, ſcripſit Hip. quàm iumētorum ſanis, veluti etiam, ſi quis ſano ęgri nutrimentum adhibeat ſano morbus fit; In unaquaq; enim natura tantum dare oportet, quantum vires conficere poſſunt ſine detrimento.*

7. Aph. 75 De veteri medicina.

Tertia animaduerſio. Infra Aphor. 32. *Quòd Hip. in conualeſcenti magis laudat in appetentiam, quàm immoderatam appetentiam; quia prima temporis tractu melius appetit, altera verò in faſtidium incidet. Quòd verò dicitur [corpus, quia non appetit purgatione indigere] non intelligit, ut ſemper ſit facienda purgatio; quia natura poterit ſuperare humoris reliquias; ad maiorem tamen ſecuritatem ponitur, purgatio.*

APHORISMVS NONVS.

Corpora, cum quis purgare volet.

Cõnexio *CVM in antecedenti Aphoriſmo docuiſſet Hippocrates purgandos eſſe eos, qui à cibo non reficiuntur modicè ſumentes, nunc quid faciendum ſit ante purgationem docet, pręceptum tradens vtile, & neceſſarium.*

Corpora

Corpora purganda, ante purgationem fluxilia facere oportet. Intētio.

Vt Medicus remoueat impedimenta, quæ difficilem purgationem reddunt, ita enim cum tolerantia fiet, alioquin tormina, & dolores excitabit. Rō intentionis.

Breuitas huius ſententiæ diuiſionem non fert. Diuiſio.

Medicus cum purgat, intendit conferentiam, & tolerantiam. Demonſtratio

Sed ſine præparatione corporis iſta non fiunt. Ergo

Ante purgationem corpora præparare oportet.

Maior per ſe patet, debet enim Medicus ita curare, vt iuuet, & non noceat, quod ſcripſit Hippocrates, vt agat quæ citò, citò; quę purè, purè; quæ citrã dolorem, vt quàm minimus dolor ſentiatur. Minor oſtenditur, quia ſi humor non ſit fluxilis, via impeditæ, purgatio cum tormine, dolore, anxietate, & nauſea fiet, & labore. Li. Acut. primo.

Quòd præparatio, vel pertinet ad humorem, vel ad partes corporis, per quas educitur humor, præparatur attenuatione, incraſſatione; & coctione. Corpus verò viarum apertione, humectatione, aſſuefactione, & motu; Cæterum attenuatio, & incraſſatio ad coctionem pręparant, maximè enim cedit coctus humor; ideò ſcripſit Concocta Medicari. Attenuatur igitur humor craſſus duplici auxilio, & à calidis, & à temperatis, & frigidis; quia humor craſſus fieri poteſt, & à calore parte tenui exhalante, & à frigiditate congelante. In frigidis ergo mediocriter attenuant, mulſa, oximel ſimplex, inde compoſitum; amplius ſyrupus de ſtecade, de quinq. radicibus, de calamento, epitimo in craſſo humore à cauſſa calida, ptiſana, ſyrupus de pomis, iura, ſerum. Humor verò tenuis ad purgationem non eget incraſſatione, niſi ſit imbibitus, at ſi quando incraſſatur, eſt, propter coctionem; nam coctio non ſolum fit à calore innato: ſed à Medicamentis educentibus ad temperiem. 1. adnotatio. 1. huius. 22.

Quòd viarum apertio comprehendit canales, per quos excrementa, ut humores educi ſolent, ſeu ad inteſtina, ſeu ad menſes, vrinas, os, nares, aures. Fit verò iſta apertio in inteſtinis, abſterſione, & mollificatione, maximè per clyſteres, in uenis aperientibus, incidentibus, laxantibus. Illud verò ex Hippocrate notandum, qui per ſuperiora purgans aluum ſiſtit, per inferiora verò laxat. Humectatio quoq. corpora præparat ad purgationem, & fluxilia facit; ea verò fit balneo, fomento, cibo, atque potu: ideò obſeruant Medici Auſtrinum tempus ad purgationẽ. Aſſuefactione corpus præparatur ad vomitum, leuioribus primum; ſicuti ad deiectionẽ per cliſteres. Motus quoq. corpus præparat aſſumpto medicamento, ideò ſcripſit Hippocrates. Poto Helleboro corpus mouendum potius, quàm ſomnò tradendum: nam, vel nauigatio indicat motione turbari corpora. Vigilia quoque omnem promouet excretionem pręter ſudorem, qui per ſomnum magis excernitur. Altera animaduerſio. 7. Aphor. 70. 4 Aphor. 14.

3. adnotatio. *Quòd vox iſta [purgari,] non ſolū de deiectione ſit intelligenda, ſed de omni alia expulſione ſeu per vomitum, vrinas, menſes, hemorroides, ſudores illa fiat; nec ſolùm fluxilia facere corpora oportet, cum hæc medicamentis mouemus, ſed & cum ſanguinē mittimus, vbi craſſus fuerit. quod obſeruat Hipp. in apoplecticis; aut ijs, quibus interceptæ ſunt venæ obmuteſcentibus: ſanguis enim præparari debet prius ad expulſionem frictionibus, fomentis ex oleo calido, vt fluat ad ſectionem.*

4. Acutorum.

APHORISMVS DECIMVS.

Impura corpora, &c.

Cōnexio. ITA connectitur hęc ſententia cum octaua ſuperiori; vt cauſa cum ſuo effectu; docet enim, cur corpora purgatione indigent, quę a cibo modico non roborantur ex morbo.

Intētio. *Impura corpora quanto magis nutries, magis lædes.*

Rō intentionis. *Vt impura corpora non nutriamus, ſed prius vacuemus.*

Diuiſio. *Breuitas huius ſententiæ diuiſionem non admittit.*

Demonſtratio. *Id, quod auget prauorum humorum quantitatem, & malitiam, quantò magis dabitur magis lædet.*

At alimentum in corpore impuro auget, & quantitatem, & malitiam praui humoris.

Corpus igitur impurum, quantò magis nutries, magis lædes.

Maior per ſe clara eſt. Minor probatur, quoniam ex adiectione alimenti in corpore impuro augetur quantitas, & ſeruatur qualitas.

1. animaduerſio. *Quod tres ſunt ſtatus corporum, impurorum, ægrorum, neutrorum cum decidentia, & conualeſcētia: de quibus omnibus vera eſt huiuſcemodi ſententia; quòd quantò magis nutriuntur, magis læduntur.*

Altera adnotatio. *Quòd nutritio, quæ corpori adhibetur, vel eſt ad robur, & refectionem, vel ad conſeruationem, & neceſſitatem vitæ. Primo modo non debent nutriri corpora impura; ſed ſecundo modo nutriri debent.*

Tertia animaduerſio. *Quod impura corpora dicuntur, vel propriè, ut in κακοχυμίᾳ, & putredine, vel impropriè, ut in πληθώρᾳ. πληθώρα autem, & κακοχυμία ſeuacuationem poſtulant, inde refectionem. Putredo vbi ea eſt inſignis alimentum requirit. Nec de his loquitur Hipp. quoniam in hoc caſu ob neceſſitatem nutrimur propter vires, & quia humores omninò ſunt inepti ad nutritionem; ideò maior eſt vtilitas, quæ ſequitur ad nutritionem quàm impuritas ex corruptione. Adde nutrimentum quòd in putredine exhibemus attemperans eſſe debere, quare attemperatur, & corrigitur putredo; vt in cacochymia, cum adſunt humores non ita confecti, nec vires ita debiles, minus indicatur de cibo. Sunt autem cibi attemperantes iura pullorum,*

rum, ptiſſanacum bolo armeno, ſucco limonis, alijsq; eiuſdem rationis.

Quòd impura corpora, quę ægrotãt manifeſta habent ſigna. Neutra verò decidentiæ dignoſcũtur tùm in operationibus, tùm excrementis, et qualitate mutata; de quibus multa Hip. Neutra verò conualeſcentiæ, de quibus potiſſimum loquitur hic Hip. ſua quoque habent indicia manifeſta; adeſt enim inappetentia, ſitis, ſomnus, aut vigilia præter modum. 4. animaduerſio. 3. de Dięta.

Quòd corpus dicitur impurum dupliciter, vel extrà ſolùm; vel intus, ſolum, vel intus & extra. In primo caſu licet nutrire corpus tuto: in alteris verò nequaquàm, ſed purgare prius oportet. Cognoſcitur autem impuritas intra ex impuritate excrementorum, vrinæ potiſſimum. Vbi verò, pura ſunt excrementa, tunc corpus mundum eſt ad intra, vt ſcribit Hippocrates infrà. 5. adnotatio. Aph. 15.

Quod in omni impuro corpore debili, tutum eſt vti epicraſi. Eſt autem epicraſis paulatim uacuare, & paulatim replere, quæ maximè conuenit in neutris conualeſcentiæ ob debilitatem, & inopiam caloris; nam neutri decidentiæ, non paulatim, ſed ſemel euacuandi ſunt; quia adeſt virium robur. In plithora, verò ſanguinis miſſione. In κακοχυμία, vomitu, ſeu deiectione. 6. adnotatio.

APHORISMVS VNDECIMVS.

Facilius eſt potu refici quàm cibo.

CVM ante à ſepcimo Aphoriſmo ſtatuiſſet Hippocrates reficiẽdos eſſe conualeſcentes pro ratione extenuationis, ſenſim. ſ. illos, qui longo tempore, breuiter autem illos, qui breui erant extenuati. Modo ſententiam affert ad ipſam refectionem vtilem. cõnexio.

Facilius eſt humido reficere quàm ſicco. Intentio.

Vt qualitatem ciborũ indicet ad reficiendum aptiſſimum, atque eo magis, quo citius nutrire intendit. Rõ intentionis.

Breuitas ſententiæ diuiſionem haud patitur. Diuiſio.

Quòd facilius tranſmutatur, diſtribuitur, atque unitur facilius reficit. Humidũ facilius tranſmutatur in ventre, diſtribuitur, & unitur. Ergo. Humidum alimentum facilius reficit, quàm ſiccum. Demõſtratio.

Maior probatur, quia nutritio fit per tranſmutationem alimenti primò in ventriculo in chylum; inde per diſtributionem ad membra: denique per aſſimilationem, & vnionem.

Minor oſtenditur ex natura humidi, quòd facillimè tranſmutatur, & permeat.

Quòd duę ſunt qualitates ad refectionem aptiſſimę; altera quidẽ agẽs, altera verò patiens. Inter agentes calidum efficacius agit: inter patientes 1. animaduerſio.

autem, magis patitur humidum. Quare fit, vt humidum, & calidum ad coctionem probentur, & ea ratione Pueri maximè coquunt.

Altera adnotatio. *Quòd tria ſunt in corpore, quæ refectionem requirunt, membra, humores, & ſpiritus. Spiritus odoribus, & aere reficiuntur: humores, humida ſubſtantia: ſolida membra ſolidiori. In iſta triplici refectione, id, quod eſt magis humidum citius, & facilius reficit. Sed dices, ſcripſit Hipp. ſiccum alimentum aliquando tranſmutari facilius, quàm humidum. Ratio eſt, quia ſicca membra ob ſimilitudinem facilius à ſiccis nutriuntur; facilior enim eſt tranſitus in ſimbolis. Dicendum, quòd licèt in ſicco membro facilius tranſmutetur ſiccum alimentum, quandò iam eſt appoſitum illi immediatè; tamen quia nutritio fit per mutationes multas, cibi in chylum, huius autem in ſanguinem; ideò fit, vt citius, & facilius per iſtas mutationes tranſeat humidum: Quare mediatè ſemper facilius tranſmutatur humidũ.*

Lib de alimento.

3. annotatio. *Quod potus nomine intelligere poſſumus; tum alimẽtum humidiorem, tum etiam vini potionem; & queadmodum inter alimenta, facilius reficit humidum, ita vini generoſi potus facilius, & citius reficit, quàm alimentum humidum: hoc magis reficit odor, tum vini, tum alimentorum, ut carnis; reficiuntur enim facillimè odore ſpiritus. Quod verò ſcribit Ariſt. Odorem non facere ad alimentum ſed ad ſanitatem, non ita intelligendum eſt, ut neget abſolute, odorem nutrire, (nam ſi ex aere nutriuntur ſpiritus, quanto magis ex euaporatione alimenti? Sed quòd magis faciant ad ſanationem, quàm alimentum. Primum igitur locum celeris nutritionis habet odor; inde vina generoſa, poſtea verò alimenta humida, vt iura, ſtillata, expreſſa, conſumpta, oua, pullorum carnes, piſciculorum, inde carnes auium, & denique quadrupedum.*

Lib. de ſenſu.

4. adnotatio. *Quòd calidum in ratione humidi magis coquit, quàm in ratione ſicci; nam Pueri calidum maximè coquit, quia humidum, at febrile, alimentum corrumpit, & ianidiorem uertit. Ideò febrienti humida damus alimenta, vt calorem reducant ad temperiem, & facilius mutentur. Sed dices calidus ventriculus deſpicit alimenta facilis coctionis, quoniam illa adurit, ergò, & febrilis aduret humida, magis ergo ſicco in febre nutriendũ. Non tamen valet comparatio ab intemperie æquali uentriculi, ad intemperiẽ febris inæqualem.*

1. Aphor. 16.

Quinta adnotatio. *Quòd vbi corpus debile eſt, magis conueniens eſt alimentum humidũ, at abſolutè ſiccum præſtat, tùm quia partes ſolidæ ſiccæ ſunt, tum quia etiã putredini magis reſiſtit, & quia tale alimentum lõgiorem vitam præſtat. quare ſiccum alimentum ſanis præferendum. Ideò ſcripſit Hip. Iuuenibus dandum alimentum impermutatum, ſenibus valde mutatum iunioribus, uerò medio modo ſe habens quia primi validi ſunt, ſecundi debiles, tertij in medio ſunt poſiti. per mutationem verò intelligit macerationem, & præparationem, quæ fit coctura, aſſatione, uel elixatione.*

Lib. de alimento.

APHO-

APHORISMVS DVODECIMVS.

Quæ relinquuntur in morbis, &c.

CVM in octauo Aphoriſmo ſcripſiſſet Hippocrates,corpora,quę nō afficiuntur à morbis,indigere purgatione. In hoc cauſſam aſſignat, quòd morborum reliquię morbos facere ſolent. Cōnexio.

Quæ poſt criſim in morbis relinquuntur,recidiuas facere ſolent. Intentio.

Vt Medicus diligenti cura attendat,ſi quid à morbo relinquitur, idque remoueat.& accuratè tractet corpora, ne recidiua contingat: nam cum morbus alteri ſuccedit plerumque occidit. Rō intentionis. Hip de aſſectionibus.

Breuitas aphoriſmi non eſt capax diuiſionis. Diuiſio.

Poſita diſpoſitione morbifica cum uirium languore, facilè morbus ſequitur. Demōſtratio.

Sed in conualeſcente non perfectè iudicato, adeſt diſpoſitio morbifica cum languore uirium.

Quæ igitur relinquentur a iudicatione facilè morbum renouant.

Maior probatur,quia poſita diſpoſitione ad putredinem, uel in humore,uel in membro cum imbecillitate,facilè accenditur. Minor,clara eſt; ſi enim non perfectè iudicatur morbus; neceſſe eſt relinqui in humore, uel in membro diſpoſitionem ad morbum;nam in criſi perfecta, nil relinquitur agendum.

Quòd perfectè criſis;in qua nihil relinquitur, ſigna ſunt; alleuatio coctionis ſignis apparentibus, & in die indicatoria, per aliquam effatu dignam euacuationem,uel abſceſſum. Signa imperfectè criſis, & recidiuæ, contraria;ſi morbus alleuiet,non ſecundum rationem, hoc eſt ſine coctionis notis,uel extrà diem criticum,uel ſine euidenti euacuatione, aut abſceſſu. Relinquitur præterea oris amaritudo,aut inſuauitas, inappetentia, vigilia,aut ſomnus pręter modum,triſtitia,corpus à cibo non roboratur. 1. animaduerſio.

Quòd recidiua,quædam eſt uera,quædam non uera.Vera accidit in imperfecta criſi, quoties natura non potuit in totum cauſſam morbi eradicare;ſed remanet diſpoſitio in materia antecedenti, vel in membro,quaſi nidor,unde rurſus morbus renouatur,neq. enim natura, cum iudicauit irritata eſt ab illa materia, quæ facit recidiuam,quia latebat,neq. ita erat diſpoſita.Recidiua non uera eſt illa,quæ accidit in criſi perfecta ob aliquam cauſſam externam, ut malum ſcilicet uictus rationē, aut temporis conſtitutionem. Vbi igitur uerè recidiuæ timor eſt, purganda materia,quæ ut plurimum ſolet eſſe bilis aduſta.nec ſolùm purgatione;ſed aliquando, & miſſione ſanguinis,ubi cinis in ſanguine fuit relictus. Partis uerò diſpoſitio ad naturalem ſtatum reducenda,ijs, quæ roborant, & attemperant. Altera adnotatio.

Interim victus ratio habenda, ne ob errorem recidiua contingat.

3. animad uerſio. Quòd recidiuæ uel fiunt in augmento, vel in declinatione; quę in augumēto fiunt parùm temporis interponunt, quę uerò in declinatione diutius. Sed dices, quomodo poteſt fieri recidiua in declinatione? Si enim natura in morbo ſuperauit multum, quomodo in conualeſcenti non poterit ſuperare parum, & prohibere ne fiat morbus? Reſpondeo, eſſe materiam difformem, cuius pars à natura ſuperata declinationem fecit, & alleuiationem, remanet altera, cum qua natura non pugnauit, vel quòd non fuerit ab illa irritata, uel quod alia gignitur de nouo. Sunt autem recidiuę aliquando longè peiores radice in illis quę præter rationem leuant nulla facta iudicatione, pręcipuè quando recurrit tumor, uel abſceſſus ad partem internam: aliquando leuiores, vt quando à cauſſa externa, & manifeſta fiunt, vel poſt morbum iudicatum per euacuationem, aut coctionem.

4. animad uerſio. Quòd recidiua quemadmodum, & criſes fiunt ſecundum dies iudicatorios, proinde illi maximè contemplandi ſunt, & numerandi nō ſolùm à die recidiuę, ſed à die radicis. Illud verò animaduerſione dignum eſt, quod ſcripſit Hip. Morbum, qui ad ſuppurationem tendit recidiuam nō facere, (quidquid ſuppuratur nō reuertitur,) Quarè parotides, niſi ſuppurentur recidiuas facere dixit. Sed contraria ſcribere uidetur in Prognoſtico: ubi in

3. Progn. 7. auriū ſuppurationibus ex inflammatione, ait, recidiuas plerumque ſeniores occidere. Non tamen contraria dicit; quoniam in Epidemijs ſupponit morbum in ſuppurationem tendere; quam uiam, ubi aſſumpſit, aliam ſumere non poteſt. In prognoſtico uerò ſcribit poſſe recrudeſcere morbum noua supernè ruenti materia.

5. animad uerſio. Quòd morbus, qui ſuccedit morbo, vel eſt eiuſdē rationis, quod plerūq; fit in recidiua, vel diuerſę rationis. Sed in hoc caſu potius morbum in alium transmutari dicimus, quàm veram recidiuam: id autem fit, uel errore Medici remediorum intentione, inducentis contrarium morbum, vel morbo ipſo alterum gignente, vt ſanguinis ſputum, tabem, peripneumonia, phrenitim.

APHOHISMVS DECIMVSTERTIVS.

Quibus criſis fit &c.

cōnexio. CVM Hip. in antecedenti aphoriſmo de criſi mentionem faceret, docens, reliquias imperfecti iudicij morbos renouare. Modo in hac ſententia occaſionem nactus modum oſtendit cognoſcendi ipſam criſim, & prędicendi illam.

Intētio. Nox pręcedens criſim grauior, ſubſequens plerumque leuior.

Rō intentionis. Vt Medicus ex ſignis antecedentibus criſim cognoſcat, neque turbetur, eſt quid

quid grauius accidat, criſim propè futuram denuncias, immo confirmetur, & confidat.

Diuitur aphoriſmus in duas partes, in prima abſolutè profert noctem criſim antecedentem grauiorem, in altera uero ſubſequentem plerumque leuiorem. Diuiſio.

Quo natura magis irritatur, grauiora contingunt. Demõſtratio primæ concluſionis.

Sed in nocte ante criſim magis, quàm alio tempore irritatur natura.

Ergo

In nocte criſim antecedenti grauiora contingunt.

Maior per ſe patet. Minor uerò probatur, quoniam ea nocte non ſolùm magis, quàm alio tempore fit coctio, ſed ſeparatur bonum à malo: unde uapores eleuantur, qui diuerſas partes petentes, diuerſa pariunt accidentia, ad Caput delirium, dolorem, ſuffuſionem, ſurditatem; ad cor, palpitationem, anxietudinem; ad membra, rigorem, aliaq. eius generis, à quibus magna, & repentina fit turbatio.

Naturæ conatus, vt plurimum ſunt ad bonum. Demonſtratio alterius concluſionis.

Sed in criſi fit naturæ conatus. Ergo

Criſis, ut plurimum eſt ad bonum, & per conſequens nox leuior, quæ ſequitur.

Maior probatur, quia motus naturæ ſemper ſunt in conſeruatione eius, in quo eſt; quoniam natura in vniuerſali ſua intentione numquam errat, quamuis in particulari erret, vt aqua, quæ ſua natura deorſum tendit, & ſit conſeruatur: At ſi fortè deorſum ſit ignis, accidit corrumpi, Minor demonſtratur; quoniam criſis eſt ſpontanea mutatio, & ſubita, quæ fit inſurgente natura contra morbum. Ob id nox ſequens criſim, leuior vt plurimum eſſe ſolet.

Quòd criſis habet tres partes, perturbationem, dum ſeparatur bonum à malo, excretionem, & ſolutionem: & quamuis vnaquæq. iſtarũ criſis dici poſſit, magis tamen ſecundam intelligit Hippo. quoniam in ſeparatione magis perturbatur æger, quæ excretionem præcedit. 1. animaduerſio.

Quòd prima pars criſis, quæ perturbatio dicitur, magis fit ĩ nocte, quàm in die, tùm quia Luna, quæ humores ad motum concitat, magis eo tempore dominatur. vnde terræmotus, inundationes, & Partus eo tempore fiunt: tum etiam, quia vis naturalis fortior, & vnita magis eo tempore; tum quòd humoris irritatio magis ſentitur ĩ nocte ſomno interrupto, & natura non occupata in actionibus diurnis: motus verò humoris, ſiue excretio magis fit in die adiuuante Solis calore, promouente, & effundente, meatusq. adaperiente, Tertia pars criſis, quæ eſt leuatio, ad ſequentem noctem ſequitur. Altera adnotatio.

Quòd criſis aliquãdo fit ſimul ſecundum omnes partes in nocte, aliquando in die, ſed pluries in nocte, non ſolum ad bonum ſed etiam ad malum; 3. animaduerſio.

donec exanguis fieret. veriſimile igitur eſt, ſanguinem bilioſum, & acrem
1. Artis Medicæ. illam affectionem procreaſſe. Sed dices; Bilis famem non facit, ſicut neque alia calida intemperies; vnde ſcripſit Galenus, ventriculos calidos minus appetere: nã bilis in ſtomacho magis ſitim, quam famem inducit. Sed dicendum bilem per accidens famem inducere; & magis in venis, quàm in ventriculo, quia membra nolunt ex ea nutriri: Vidi hominem Regio morbo affectum, qui quidem aliquando in tantam incidebat famem, vt ſatiari non poſſet: aliquandò verò in ſatietatem magnam; trahebant enim venæ à ventriculo, ſed nutriri non poterat corpus ex bilioſo humore; vnde fames primò oriebatur magna, inde verò inappetentia recurrente ad ventriculum rurſus humore bilioſo, ſed dices, qua ratione in venis excitat famem bilis, quia corpus ex ea non ita nutritur, eadem deberet famem inducere in ventriculo; non tamen eſt eadem ratio, quia ventriculus non ſolũ appetit appetitu naturali inſenſibili nobis, ſed ſenſibili: quare non eandem parit affectionem bilis in eo. Aut dicendum bilem, licet ſua caliditate inappetentiam excitet, ſua acredine famem inducere; Quando igitur magis mordet, quam calefacit famem: quando magis calefacit, quàm mordet inappetentiam parit.

3 animad uerſio. Quòd exceſſus dupliciter conſideratur, vel in temperata natura, vel in ea, quæ temperata non eſt. Rurſus intemperies aut eſt naturalis, aut morboſa. Modus temperatæ naturæ eſt, ut tantum appetat, quantum concoquere poteſt; intemperatę uero, calida magis concoquit, quàm appetat, frigida ècontra. Vbi igitur mutetur iſte modus proportionalis, malum indicat Hipp. ſed peius in morboſa iam natura.

Gal. li. de Artis Medicæ.

4. animad uerſio. Quòd exceſſus, qui fiunt in nobis, ad tria accidentium genera referuntur, operationem, excrementa, & mutatam qualitatem. In omnibus conſideratur quantitas, qualitas, & tempus; atque id dupliciter; vel ſecundum paruum exceſſum, & faciunt corpus neutrum; vel magnum, & conſtituũt ægrum. Ad opus mutatum pertinet mutatio tam in ſenſu interno, quàm externo, in pulſu, reſpiratione, appetentia. Ad excrementã, mutatio in vrina, fece, muco, ſudore, hemorroide, menſtruis, item ſternutamẽta, ructus, ſingultus, flatus. Qualitatis mutatio corporis habitum comprehendit gracilem, aut craſſum; itemq; alias qualitates ſecundas in odorib. ſaporibus, coloribus, ſonis. Quare ſcripſit Hip. qualiaq. per vrinas, & aluum ſubeunt, atque per carnes abeunt, & ſi qua alia corpus a natura recedat ſpectare oportet: nam ſi parùm, paruus morbus, ſi multum, magis, ſi valde multũm, iam tale fuerit pernicioſum, nec ſolum damnandam mutationem in malum, ſed etiam in bonum, ſi ultra modum fuerit exiſtimare oportet.

1. Artis Medicæ.

7. Aphor. vlt.

5. animad uerſio. Quòd ſatietas duo ſignificat, inappetentiam, & nimiam repletionem. Primum intendit Hippocrates, ſed vera ſententia eſt etiam de ſecunda,

valde

valde enim magnam vim habere ad ſanitatem ſcripſit Hippocrates non ſatiari cibis, & eſſe impigrum ad labores. 6. Epidē.

APHORISMVS QVINTVS.

Spontaneæ laſſitudines, &c.

CVM in antecedentibus à rebus naturalibus ſigna ſumeret non modò ad dignotionem, ſed prædictionem. *In præſenti aphoriſmo rem præter naturam aſſumit, non tamen in eo exceſſu, quo morbum conſtituat, ſed pronunciet, ſicuti; & exceſſum rerum naturalium in præcedentibus ſumebat, non ut actu ægrum, ſed neutrum conſtituit.* cõnexio.

Spontanea laſſitudo morbos prænunciat. Intētio.

Vt Medicus commoda remedia in tempore adhibens, futuros morbos præcaueat. Rō intentionis.

Breuitas aphoriſmi diuiſionem non patitur.

Id, quod, vel plenitudinem, vel κακοχυμίαν, vel utrumq. indicat morbos prænunciat. Diuiſio.

Spontanea laſſitudo, aut plenitudinem, uel κακοχυμίαν, aut vtrumque vitium indicat. Ergo Demōſtratio.

Spontanea Laſſitudo morbos prænunciat.

Maior probatur, quia morbi, qui ex humorem vitio procreantur, ex aliquo iſtorum naſcuntur.

Minor demonſtratur, quoniam in laſſitudine ſpontanea, natura mittit humores ad muſculos, & carnes extra venas, grauata humoris quantitate, aut qualitate, vel vtroque, vnde timor eſt obſtructionis, putredinis, inflammationis; & febris.

Quòd Laſſitudo eſt diſpoſitio, ſeu accidens, quæ refertur ad motum cum moleſtia, & pigritia. Ideò omnis laſſitudo eſt dolor, quia omnis moleſtia dolor eſt. Penes igitur doloris ſpecies, quas laſſitudo inducit membris: variæ laſſitudinis ſpecies naſcuntur. Si igitur dolor fuerit grauans laſſitudo dicitur tenſiua; ſi pungens ulceroſa, ſi ambo ſentiantur, phlegmonoſa, ſi oſſa, ueluti contundi uideantur, oſſarea, ut in Quartanis, ſed hæc non diſtat à reliquis; niſi, quòd in illis magis mittuntur humores (ad muſculos, & cutim, in hac uerò ad oſſa, & membra interna. Eſt, & laſſitudo quædam, quæ areſactiua dicitur ex nimio exercitio proueniens; per quam membrana exſiccata ſunt nimis; ſed hæc ſpontanea eſſe non poteſt. 1. Adnotatio.

Quòd laſſitudo ratione cauſſæ multas habet differentias: quædam enim fit ſine motu, & ſpontanea dicitur, patientibus muſculis, ſimilem diſpoſitionem illi, quæ ex motu tenſis, ac delaſſatis. Alia eſt laſſitudo non ſpontanea, quæ ex nimio motu exoritur, & tripliciter accidere poteſt, aut in Altera animaduerſio.

exercitatis,

Sed mens, & pars, quæ ſentit neceſſario ad ſenſationem concurrunt. Ergo

Si pars non ſentit ſana exiſtente, mens ęgrotat.

Maior per ſe clara, & aperta eſt. Minor probatur, nam ſenſatio, quę fit in parte, neceſſario communicari debet principio, alioquin ſenſus ſequi non poteſt.

Quòd ad ſenſationem multa ſunt neceſſario: obiectum primò, quod ſentiri debet, deinde verò pars, quę ſentit, tertio inſtrumentum vniuerſale calidum innatum, & ſpiritus, quippe qui tum per neruos, tùm per arterias confluit. Hip. igitur ſupponit hic partis ſanitatem, obiectum pręſens, ſi igitur tollitur ſenſus, neceſſe eſt mentem lędi, & tolli inſtrumentum ipſius ſenſus, ſpiritum ſcilicet, vel à corde, vel à cerebro tranſmiſſum, mens .n. & in corde, & in cerebro ponitur ab Hip. vbi igitur cauſſa doloris pręſente non ſentitur in parte neceſſe eſt mentem ęgrotare, vt patet in phręneticis qui quidem, nec famē, nec ſitim ſentiuut. Si verò cerebro illęſo pars non ſentiat, neceſſe eſt partis temperamentum eſſe corruptum, vt in gangręna, & in doloribus à cauſſis malignis, nam in pleuritide maligna, dolor non ſentitur, & tamen eſt ſignum pathognomonicū, quia partis temperies corrumpitur. Prima adnotatio.

Quòd dolor non eſt ſenſatio aliqua, neque aliquod ſenſus obiectum, ſed moleſtia, quę oritur ex ſenſatione cauſę corrumpentis naturam, & à ſua armonia diſtrahentis. Duplex verò eſt doloris ſignificatio altera communis, qua ratione omnis morbus ulcus dicitur, & dolor, quia moleſtiam affert: altera particularis, qua ſolum dolorem appellamus inſignem moleſtiam. Hic rurſus duplex, vel à cauſa naturali procedens, vt fames, & ſitis, vel à cauſa pręter naturam, inflammatione nimirum vel ſciſſione, vel ruptura. De hoc ſecundo loquitur Hipp. quia dolor in primo ſignificatu non arguit mentem ęgrotare, nec loquitur in ſanis quia ſi in illis dolor non ſentitur, poteſt contingere, non ſolum, quia mens ægrotet, ſed quia alio ſit intenta, ut in ijs, qui pugnant non ſentientes dolores eo tempore. Intelligit igitur in ęgris pręcipuè, & de magna moleſtia. Altera animaduerſio.

Quòd ſi quis velit ſententiam uniuerſalem reddere, ita dicere oportet. Si pręſenti cauſa doloris non ſentitur à membro neceſſe eſt, vel mentem ęgrotare, uel alio eſſe intentam, uel ſenſum partis eſſe abolitum, uel lęſum inſtrumentum ſenſus particulare ſpiritum animalem, uel uniuerſale, calorem innatum. Mens uero hic ab Hip. accipitur pro ſenſu interno, ſeu ad imaginationem, ſeu cogitationem, ſeu memoriam relatio habeatur. Quòd vero aſſerit Galenus actionis lęſionem partem lęſam indicare, id verū eſſe intelligendum eſt, uel immediatè, ut de actione naturali, uel per conſenſum, ut de uitali, & animali, quia lęſio, non ſolum ſupra membrū arguit, ſed, uel in principio, vel inſtrumento lęſionem indicat. Tertia adnotatio. 1. de locis affe.

Quòd

Quarta Animaduerſio. *Quòd doloris ſedatio ſine cauſſa manifeſta eſt, de qua potiſsimum loquitur Hip. ideò ſcripſit pernicioſas anginas, quæ non manifeſtum dolorem faciunt; tunc enim indiiium eſt, vel mentem ægrotare, uel partis ſenſum ablatum, occultatur verò dolor preter rationem cum non præceſsit uacuatio aliqua, nec in die iudicatoria facta eſt ſedatio; futurum enim, vel delirium, aut aliquod horrendum ſignificat.*

APHORISMVS SEPTIMVS.

Quæ longo tempore extenuata ſunt, &c.

Cõnexio *CVM in ſuperioribus egiſſet Hip. de præcautione, quæ fit in neutris decidentiæ, nunc de reſtauratione neutrorum conualeſcentiæ agit, & præceptum tradit ad refectionem extenuatorum perquàm vtile.*

Intentio. *Quæ longo tempore extenuata ſunt, ſenſim reficere oportet; quæ verò breui, repentè.*

Rō intentionis. *Vt modum doceat reficiendi, non penes maiorem, aut minorem, conſumptionem, vt putarunt nonnulli, ſed penes motus celeritatem, ſcilicet, & tarditatem extenuationis.*

Diuiſio. *Poteſt hæc ſententia in duas partes ſecari: quarum prima, ad eos pertinet, qui ex longo tempore extenuati ſunt: altera uerò ad illos, qui breui, & repentè.*

Demonſtratio. *Reditus ad ſtatum naturalem debet eſſe ſimilis receſſui.*

Longo igitur tempore extenuata, ſenſim, breui, repente ſunt reficienda.

Antecedens oſtenditur ratione à conſuetudine ducta; nã quæ lõgo tempore conſumpta ſunt paulatim; quę verò breui, repentè aſſueta sũt extenuari. Quare ſi quis extenuationis motũ mutet; ita, ut illa breui, hæc ſenſim repleat, lędet non mediocriter. Conſequens manifeſtè deducitur.

Prima animaduerſio. 6. Epidē. *Quòd extenuatio duplex eſt, altera q̃ fit ex euacuatione ſenſibili, aut inſenſibili, ubi modum excedit; altera; quæ oritur ex κακοχυμία. Prima repletione curatur: Altera uerò euacuatione. Exemplũ habes apue Gal. qui accerſitus ad curationem Mulieris extenuatæ, præter omnium Medicorum ſententiã, illi pluries ſanguinem miſit, & ſanata eſt; defecerant enim illi menſes; uenæ pręterea tumidæ, & ſanguine nigro repletæ: quare veriſmile erat uitioſum ſanguinem cauſſam extenuationis eſſe quę membra reſpuunt, non ſecus, ac ventriculus prauum alimentũ deteſtatur. Sũpſit tamen Gal. curationis modũ ex Hipp. 5. Epid. uiri illius in Oeniade.*

Altera adnotatio. *Quòd extenuatio à vacuatione; quędam eſt parua, quædam mediocris, & quædam magna. In prima ſanguis ſolũ, aut ſpiritus exhalauit: in altera uerò etiam pinguedo, & adeps: in tertia autẽ partes ſolidæ, ut carnes, venæ, arteriæ. Primę, & ſecundæ extenuationis ſignum eſt cutis laxatio,*

xatio; tertiæ verò contentio cum flauedine. Quod ſcripſit Hipp. in extenuatione primum laxari cutim, deinde circumtendi. Contra in repletione. Ait Galenus in longis morbis, non ſolum humores, ſed partes ſolidas extenuari; ideò ſenſim reficiendas: Contra in breuibus ſolum humores; & ſpiritus; ideò repente nutriendum eſſe. Sed cum in colliquanti febre, quæ acuta eſt, etiam pars ſolida conſumatur, ratio uniuerſalis aphoriſmi, non eſſet vera, quia aliquando oportet in longo morbo breuiter, in breui ſenſim reficere. Melius ergo eſt refectionem non penes maiorem, aut minorẽ extenuationem deſcribere, ſed receſſus modum à naturali ſtatu; uã, quæ breui extenuantur, breui reficienda ſunt; ſeu, contra quę ſenſim ex longo tempore, vt cumque facta ſit extenuatio. 6. Epidė.

Quòd refectio fit non ſolum per cibum, & potum, uerum etiam per reliquas res non naturales, ſomnum ſcilicet, exercitium, uacuationem, aerem, animi paſſiones, ad mediocritatem redacta: & quamuis corpora recenter extenuata ſint, & uehementer, tamen repente ſunt reficienda, quia cibos habemus, qui multum nutriunt, & facilè coquuntur, ut iura, ſtillata, conſumpta, expreſſa, piſta, oua ſorbilia, uina; reficiunt quoque odores, epithemata cordi admota. Tertia animaduerſio.

Quòd cautio adhibenda eſt in refectione, quæ repentè fieri debet; nam Hippocrates non reficit egros, niſi per duos, aut tres dies poſt iudicationem; & in ipſa refectione, ita celeriter reficere oportet, ut celeriter fiat refectio; ſed ſenſum, tum ob debilitatem caloris; tũ quoniam conualeſcentes magis appetunt, quam concoquunt, ob membrorum inanitionem. Refectio igitur ab odoribus incipienda eſt; hinc ad potus, inde ad ſorbitiones; poſtea ad cibos humidiores, indè ſicciores, ita, ut tempus refectionis ſit ęquale tempori extenuationis. 6. Aiaduerſio.

APHORISMVS OCTAVVS.

Si à morbo cibum aſſumens, quiſpiam.

CVM de conualeſcentium refectione uerba faceret in ſuperiori; atque eo modo illos reficiendos eſſe tradiderit, quo conſumpti fuerunt. Nunc pręceptum aliud utile circa refectionem adducit. Cõnexio.

Conualeſcens, qui nõ reficitur à cibo, aut plus aſſumit, quàm decet, aut purgatione indiget. Intentio.

Vt oſtendat non ſufficere ad refectionem allatam ſupra obſeruationẽ; ſed ſumendum alimentum ad virium proportionem, & corpus mundum eſſe debere. Quare ubi non ſuccedit, vel de cibo detrahendum, uel purgandum. Rõ intentionis.

Diuiditur hęc ſententia in duas partes, in quarũ prima, docet, quãdo exceſſu Diuiſio.

exceſſu alimenti non reficitur corpus:in altera autem quando κακοχυμία *id prohibet.*

Demõſtratio. *Cibi cruditas detractionem requirit,corruptio verò purgationem.*

Sed corpus conualeſcens, ſi non reficitur, aut non coquitur cibus, aut corrumpitur. *Ergo*

Conualeſcentis corpus,niſi reficiatur,vel cibi detractionem,uel purgationem requirit.

Maior certa quidem eſt. Minor probatur, quia nulla alia eſt ratio, cur à cibo non reficiatur corpus; quàm,vel quia crudus manet ab exceſſu,q̃d ex appetentia cognoſcitur; vel,quia corrumpitur à morbi reliquis adhuc in corpore exiſtentibus indicia ſunt in appetentia,ſitis, oris amaritudo, vigilia,aut quidquam aliud modum excedens naturę.

Prima adnotatio. *Quòd dupliciter poteſt cibum appetere conualeſcens,uel naturaliter, exinanitione,tunc niſi reficiatur, plus aſſumit,quàm decet,vel præter naturam ob intemperie frigidam,aut mordentem humorem.tunc non ſolum indiget detractione, ſed purgatione.In primo caſu calorem innatum fouemus,cibum detrahemus.In altero autem paullatim purgamus, & reficimus; qui quidem modus epicraſis dicitur.*

Altera animaduerſio. *Quòd ſtatus corporum triplex eſt,ſecundum naturam ſanorum, præter naturam ægrorum,& medius neutrorum.In omni ſtatu alimentum ad proportionem eius,quod conſumitur,& virtutis dari debet. ſi quis verò ſani alimẽtum neutro,neutri verò egro exhibeat; magnopere lędet; magis enim offendere in ęgris ſanorum alimentum,ſcripſit Hip.quàm iumẽtorum ſanis,veluti etiam,ſi quis ſano ęgri nutrimentum adhibeat ſano morbus fit; In unaquaq; enim natura tantum dare oportet,quantum vires conficere poſſunt ſine detrimento.*

7.Aph.75 De veteri medicina.

Tertia animaduerſio. *Quòd Hip.in conualeſcenti magis laudat inappetentiam,quàm immoderatam appetentiam; quia prima temporis tractu melius appetit,altera verò in faſtidium incidet. Quòd verò dicitur [corpus,quia non appetit purgatione indigere] non intelligit,ut ſemper ſit facienda purgatio; quia natura poterit ſuperare humoris reliquias;ad maiorem tamen ſecuritatem ponitur, purgatio.*

Infra Aphor. 32.

APHORISMVS NONVS.

Corpora,cum quis purgare volet.

Cõnexio *CVM in antecedenti Aphoriſmo docuiſſet Hippocrates purgandos eſſe eos,qui à cibo non reficiuntur modicè ſumentes, nunc quid faciendum ſit ante purgationem docet,pręceptum tradens vtile,& neceſſarium.*

Corpora

Corpora purganda, ante purgationem fluxilia facere oportet. Intẽtio.

Vt Medicus remoueat impedimenta, quæ difficilem purgationem red- Rō inten
dunt, ita enim cum tolerantia fiet, alioquin tormina, & dolores exci- tionis.
tabit.

Breuitas huius ſententiæ diuiſionem non fert. Diuiſio.

Medicus cum purgat, intendit conferentiam, & tolerantiam. Demonſtratio
Sed ſine præparatione corporis iſta non fiunt. Ergo
Ante purgationem corpora præparare oportet.

Maior per ſe patet; debet enim Medicus ita curare, vt iuuet, & non no- Li. Acut.
ceat, quod ſcripſit Hippocrates, vt agat quæ citò, citò; quę purè, purè; primo.
quæ citrà dolorem, vt quàm minimus dolor ſentiatur. Minor oſtenditur,
quia ſi humor non ſit fluxilis, viæ impeditæ, purgatio cum tormine, dolore,
anxietate, & nauſea fiet, & labore.

Quòd præparatio, vel pertinet ad humorem, vel ad partes corporis, 1. adnota
per quas educitur humor, præparatur attenuatione, incraſſatione; & co- tio.
ctione. Corpus verò viarum apertione, humectatione, aſſuefactione, &
motu; Cæterum attenuatio, & incraſsatio ad coctionem pręparant, ma-
ximè enim cedit coctus humor; ideò ſcripſit Concocta Medicari. At- 1. huius.
tenuatur igitur humor craſsus duplici auxilio, & à calidis, & à tempera- 22.
tis, & frigidis; quia humor craſſus fieri poteſt, & à calore parte tenui
exhalante, & à frigiditate congelante. In frigidis ergo mediocriter atte-
nuant, mulſa, oximel ſimplex, inde compoſitum; amplius ſyrupus de ſte-
cade, de quinq. radicibus, de calamento, epitimo. in craſſo humore à
cauſſa calida, ptiſsana, ſyrupus de pomis, iura, ſerum. Humor verò te-
nuis ad purgationem non eget incraſſatione, niſi ſit imbibitus, at ſi quando
incraſſatur; eſt, propter coctionem; nam coctio non ſolum fit à calore inna-
to: ſed à Medicamentis educentibus ad temperiem.

Quòd viarum apertio comprehendit canales, per quos excrementa, ut Altera animaduer
humores educi ſolent, ſeu ad inteſtina, ſeu ad menſes, vrinas, os, nares, ſio.
aures. Fit verò iſta apertio in inteſtinis, abſterſione, & mollificatione,
maximè per clyſteres, in renis aperientibus, incidentibus, laxantibus.
Illud verò ex Hippocrate notandum, qui per ſuperiora purgans aluum ſi- 7. Aphor.
ſtit, per inferiora verò laxat. Humectatio quoq. corpora præparat ad pur- 70.
gationem, & fluxilia facit; ea verò fit balneo, fomento, cibo, atque potu:
ideò obſeruant Medici Auſtrinum tempus ad purgationẽ. Aſſuefactione
corpus præparatur ad vomitum, leuioribus primum; ſicuti ad deiectionẽ
per cliſteres. Motus quoq. corpus præparat aſſumpto medicamento, ideò
ſcripſit Hippocrates. Poto Helleboro corpus mouendum potius, quàm ſom- 4 Aphor.
no tradendum: nam, vel nauigatio indicat motione turbari corpora. Vi- 14.
gilia quoque omnem promouet excretionem prèter ſudorem, qui per ſom-
num magis excernitur.

3. adnotatio. *Quòd vox iſta [purgari,] non ſolū de deiectione ſit intelligenda, ſed de omni alia expulſione ſeu per vomitum, vrinas, menſes, hemorroides, ſudores illa fiat; nec ſolùm fluxilia facere corpora oportet, cum hæc medicamentis mouemus, ſed & cum ſanguinē mittimus, vbi craſſus fuerit. quod obſeruat Hipp. in apoplecticis, aut ijs, quibus interceptæ ſunt venæ obmuteſcentibus : ſanguis enim præparari debet prius ad expulſionem frictionibus, fomentis ex oleo calido, vt fluat ad ſectionem.*

4. Acutorum.

APHORISMVS DECIMVS.

Impura corpora, &c.

cōnexio. ITA connectitur hęc ſententia eum octaua ſuperiori; vt cauſa cum ſuo effectu; docet enim, cur corpora purgatione indigent, quę a cibo modico non roborantur ex morbo.

Intētio. *Impura corpora quanto magis nutries, magis lædes.*

Rō intentionis. *Vt impura corpora non nutriamus, ſed prius vacuemus.*

Diuiſio. *Breuitas huius ſententiæ diuiſionem non admittit.*

Demonſtratio. *Id, quod auget prauorum humorum quantitatem, & malitiam, quantò magis dabitur magis lædet.*

At alimentum in corpore impuro auget, & quantitatem, & malitiam praui humoris.

Corpus igitur impurum, quantò magis nutries, magis lædes.

Maior per ſe clara eſt. Minor probatur, quoniam ex adiectione alimenti in corpore impuro augetur quantitas, & ſeruatur qualitas.

1. animaduerſio. *Quod tres ſunt ſtatus corporum, impurorum, ægrorum, neutrorum cum decidentia, & conualeſcētia: de quibus omnibus vera eſt huiuſcemodi ſententia; quòd quantò magis nutriuntur, magis læduntur.*

Altera adnotatio. *Quòd nutritio, quæ corpori adhibetur, vel eſt ad robur, & refectionem, vel ad conſeruationem, & neceſſitatem vitæ. Primo modo non debent nutriri corpora impura; ſed ſecundo modo nutriri debent.*

Tertia animaduerſio. *Quod impura corpora dicuntur, vel propriè, ut in κακοχυμία, & putredine, vel impropriè, ut in πληθορα. πληθώρα autem, & κακοχυμία ſeuacuationem poſtulant, inde refectionem. Putredo vbi ea eſt inſignis alimentum requirit. Nec de his loquitur Hipp. quoniam in hoc caſu ob neceſſitatem nutrimur propter vires, & quia humores omninò ſunt inepti ad nutritionem; ideò maior eſt vtilitas, quæ ſequitur ad nutritionem quàm impuritas ex corruptione. Adde nutrimentum quòd in putredine exhibemus attemperans eſſe debere, quare attemperatur, & corrigitur putredo; vt in cacochymia, cum adſunt humores non ita confecti, nec vires ita debiles, minus indicatur de cibo. Sunt autem cibi attemperantes iura pullorum,*

rum, ptiſſanacum bolo armeno, ſucco limonis, alijsq; eiuſdem rationis.

Quòd impura corpora, quę ægrotāt manifeſta habent ſigna. Neutra verò decidentiæ dignoſcūtur tùm in operationibus, tùm excrementis, et qualitate mutata; de quibus multa Hip. Neutra verò conualeſcentiæ, de quibus potiſſimùm loquitur hic Hip. ſua quoque habent indicia manifeſta; adeſt enim inappetentia, ſitis, ſomnus, aut vigilia præter modum. 4. animaduerſio. 3. de Dieta.

Quòd corpus dicitur impurum dupliciter, vel extrà ſolùm; vel intus, ſolùm, vel intus & extra. In primo caſu licet nutrire corpus tuto: in alteris verò nequaquàm, ſed purgare prius oportet. Cognoſcitur autem impuritas intra ex impuritate excrementorum, vrinæ potiſſimum. Vbi verò, pura ſunt excrementa, tunc corpus mundum eſt ad intra, vt ſcribit Hippocrates infrà. 5. adnotatio. Aph. 15.

Quod in omni impuro corpore debili, tutum eſt vti epicraſi. Eſt autem epicraſis paulatim uacuare, & paulatim replere, quæ maximè conuenit in neutris conualeſcentiæ ob debilitatem, & inopiam caloris; nam neutri decīdentiæ, non paulatim, ſed ſemel euacuandi ſunt; quia adeſt virium robur. In plithora, verò ſanguinis miſſione. In κακοχυμία, vomitu, ſeu deiectione. 6. adnotatio.

APHORISMVS VNDECIMVS.

Facilius eſt potu refici quàm cibo.

CVM ante à ſepcimo Aphoriſmo ſtatuiſſet Hippocrates reficiēdos eſſe conualeſcentes pro ratione extenuationis, ſenſim. ſillos, qui longo tempore, breuiter autem illos, qui breui erant extenuati. Modo ſententiam affert ad ipſam refectionem vtilem. cōnexio.

Facilius eſt humido reficere quàm ſicco. Intentio.

Vt qualitatem ciborū indicet ad reficiendum aptiſſimum, atque eo magis, quo citius nutrire intendit. Rō intentionis.

Breuitas ſententiæ diuiſionem haud patitur. Diuiſio.

Quòd facilius tranſmutatur, diſtribuitur, atque unitur facilius reficit. Humidū facilius tranſmutatur in ventre, diſtribuitur, & unitur. Ergo. Humidum alimentum facilius reficit, quàm ſiccum. Demōſtratio.

Maior probatur, quia nutritio fit per tranſmutationem alimenti primò in ventriculo in chylum; inde per diſtributionem ad membra: denique per aſſimilationem, & vnionem.

Minor oſtenditur ex natura humidi, quòd facillimè tranſmutatur, & permeat.

Quòd duę ſunt qualitates ad refectionem aptiſſimę; altera quidē agēs, altera verò patiens. Inter agentes calidum efficacius agit: inter patientes 1. animaduerſio.

autem, magis patitur humidum. Quare fit, vt humidum, & calidum ad coctionem probentur, & ea ratione Pueri maximè coquunt.

Altera adnotatio. *Quòd tria ſunt in corpore, quæ refectionem requirunt, membra, humores, & ſpiritus. Spiritus odoribus, & aere reficiuntur: humores, humida ſubſtantia: ſolida membra ſolidiori. In iſta triplici refectione, id, quod eſt* Lib. de alimento. *magis humidum citius, & facilius reficit. Sed dices, ſcripſit Hipp. ſiccum alimentum aliquando tranſmutari facilius, quàm humidum. Ratio eſt, quia ſicca membra ob ſimilitudinem facilius à ſiccis nutriuntur; facilior enim eſt tranſitus in ſimbolis, Dicendum, quòd licèt in ſicco membro facilius tranſmutetur ſiccum alimentum, quandò iam eſt appoſitum illi, immediatè; tamen quia nutritio fit per mutationes multas, cibi in chylum, huius autem in ſanguinem; ideò fit, vt citius, & facilius per iſtas mutationes tranſeat humidum: Quare mediatè ſemper facilius tranſmutatus humidū.*

3. animad-uerſio. *Quòd potus nomine intelligere poſſumus; tum alimētum humidiorem, tum etiam vini potionem; & queadmodum inter alimenta, facilius reficit humidum, ita vini generoſi potus facilius, & citius reficit, quàm alimentum humidum. hoc magis reficit odor, tum vini, tum alimentorum, ut* Lib. de ſenſu. *carnis; reficiuntur enim facillimè odore ſpiritus. Quod verò ſcribit Ariſt. Odorem non facere ad alimentum ſed ad ſanitatem, non ita intelligendum eſt, ut neget abſolute, odorem nutrire, (nam ſi ex aere nutriuntur ſpiritus, quanto magis ex euaporatione alimenti? Sed quòd magis faciant ad ſanationem, quàm alimentum. Primum igitur locum celeris nutritionis habet odor; inde vina generoſa, poſtea verò alimenta humida, vt iura, ſtillata, expreſſa, conſumpta, oua, pullorum carnes, piſciculorum, inde carnes auium, & denique quadrupedum.*

4. adnotatio. *Quòd calidum in ratione humidi magis coquit, quàm in ratione ſicci;* 1. Aphor. 16. *nam Pueri calidum maximè coquit, quia humidum, at febrile, alimentum corrumpit, & ianidiorem uertit. Ideò febrienti humida damus alimenta, vt calorem reducant ad temperiem, & facilius mutentur. Sed dices calidus ventriculus deſpicit alimenta facilis coctionis, quoniam illa adurit, ergò, & febrilis aduret humida, magis ergo ſicco in febre nutriendū. Non tamen valet comparatio ab intemperie equali uentriculi, ad intemperiē febris inæqualem.*

Quinta adnotatio. *Quòd vbi corpus debile eſt, magis conueniens eſt alimentum humidū, at abſolutè ſiccum præſtat, tum quia partes ſolidæ ſiccæ ſunt, tum quia etiā putredini magis reſiſtit, & quia tale alimentum lōgiorem vitam præſtat.* Lib. de alimento. *quare ſiccum alimentum ſanis preferendum. Ideò ſcripſit Hip. Iuuenibus dandum alimentum impermutatum, ſenibus valde mutatum iunioribus, uerò medio modo ſe habens quia primi validi ſunt, ſecundi debiles, tertij in medio ſunt poſiti. per mutationem verò intelligit macerationem, & præparationem, quæ fit coctura, aſſatione, uel elixatione.*

APHO-

APHORISMVS DVODECIMVS.

Quæ relinquuntur in morbis, &c.

CVM in octauo Aphoriſmo ſcripſiſſet Hippocrates, corpora, quę nō afficiuntur à morbis, indigere purgatione. In hoc cauſsam aſſignat, quòd morborum reliquię morbos facere ſolent. Cōnexio.

Quę poſt criſim in morbis relinquuntur, recidiuas facere ſolent. Intentio.

Vt Medicus diligenti cura attendat, ſi quid a morbo relinquitur, idque remoueat, & accuratè tractet corpora, ne recidiua contingat: nam cum morbus alteri ſuccedit plerumque occidit. Nō intentionis. Hip de aſſectionibus.

Breuitas aphoriſmi non eſt capax diuiſionis. Diuiſio.

Poſita diſpoſitione morbifica cum uirium languore, facilè morbus ſequitur. Demōſtratio.

Sed in conualeſcente non perfectè iudicato, adeſt diſpoſitio morbifica cum languore uirium.

Quæ igitur relinquentur a indicatione facilè morbum renouant.

Maior probatur, quia poſita diſpoſitione ad putredinem, uel in humore, uel in membro cum imbecillitate, facilè accenditur. Minor, clara eſt; ſi enim non perfectè iudicatur morbus; neceſſe eſt relinqui in humore, uel in membro diſpoſitionem ad morbum; nam in criſi perfecta, nil relinquitur agendum.

Quòd perfectè criſis; in qua nihil relinquitur, ſigna ſunt, alleuatio coctionis ſignis apparentibus, & in die indicatoria, per aliquam effatu dignam euacuationēm, uel abſceſſum. Signa imperfectè criſis, & recidiuæ, contraria; ſi morbus alleuiet, non ſecundum rationem, hoc eſt ſine coctionis notis, uel extrà diem criticum, uel ſine euidenti euacuatione, aut abſceſſu. Relinquitur præterea oris amaritudo, aut inſuauitas, inappetentia, vigilia, aut ſomnus prgter modum, triſtitia, corpus à cibo non roboratur. 1. animaduerſio.

Quòd recidiua, quædam eſt uera, quædam non uera. Vera accidit in imperfecta criſi, quoties natura non potuit in totum cauſsam morbi eradicare; ſed remanet diſpoſitio in materia antecedenti, vel in membro, quaſi nidor, unde rurſus morbus renouatur, neq. enim natura, cum indicauit irritata eſt ab illa materia, quæ facit recidiuam, quia latebat, neq. ita erat diſpoſita. Recidiua non nera eſt illa, quæ accidit in criſi perfecta ob aliquam cauſſam externam, ut malum ſcilicet uictus rationē, aut temporis conſtitutionem. Vbi igitur uerè recidiuæ timor eſt, purganda materia, quæ ut plurimum ſolet eſſe bilis aduſta nec ſolùm purgatione; ſed aliquando, & miſſione ſanguinis, ubi cinis in ſanguine fuit relictus. Partis uerò diſpoſitio ad naturalem ſtatum reducenda, ijs, quæ roborant, & attemperant. Altera adnotatio.

Interim victus ratio habenda, ne ob errorem recidiua contingat.

3. animad uerſio. *Quòd recidiuæ uel ſiunt in augumento, vel in declinatione; quę in augu mēto fiunt parùm temporis interponunt, quę uerò in declinatione diutius. Sed dices, quomodo poteſt fieri recidiua in declinatione? Si enim natura in morbo ſuperauit multum, quomodo in conualeſcenti non poterit ſuperare parum, & prohibere ne fiat morbus? Reſpondeo, eſſe materiam difformem, cuius pars à natura ſuperata declinationem fecit, & alleuiationem remanet altera, cum qua natura non pugnauit, vel quòd non fuerit ab illa irritata, uel quod alia gignitur de nouo. Sunt autem recidiuę aliquando longè peiores radice in illis quę præter rationem leuant nulla facta iudicatione, præcipuè quando recurrit tumor, uel abſceſſus ad partem internam: aliquando leuiores, vt quando à cauſſa externa, & manifeſta ſiunt, vel poſt morbum iudicatum per euacuationem, aut coctionem.*

4. animad uerſio. *Quòd recidiua quemadmodum, & criſes ſiunt ſecundum dies iudicatorios, proinde illi maximè contemplandi ſunt, & numerandi nō ſolùm à die recidiuę, ſed à die radicis. Illud verò animaduerſione dignum eſt; quod ſcripſit Hip. Morbum, qui ad ſuppurationem tendit recidiuam nō facere, (quidquid ſuppuratur nō reuertitur,) Quarè parotides, niſi ſuppurentur recidiuas facere dixit. Sed contraria ſcribere uidetur in Prognoſtico: ubi in auriū ſuppurationibus ex inflammatione, ait, recidiuas plerumque ſeniores occidere. Non tamen contraria dicit; quoniam in Epidemijs ſupponit morbum in ſuppurationem tendere; quam uiam, ubi aſſumpſit, aliam ſumere non poteſt. In prognoſtico uerò ſcribit poſſe recrudeſcere morbum noua supernè ruenti materia.*

3. Progn. 7.

5. animad uerſio. *Quòd morbus, qui ſuccedit morbo, vel eſt eiuſdē rationis, quod plerūq; fit in recidiua, vel diuerſę rationis. Sed in hoc caſu potius morbum in alium transmutari dicimus, quàm veram recidiuam: id autem fit, uel errore Medici remediorum intentione, inducentis contrarium morbum, vel morbo ipſo alterum gignente, vt ſanguinis ſputum, tabem, peripneumonia, phrenitim.*

APHOHISMVS DECIMVSTERTIVS.

Quibus criſis fit &c.

cōnexio. *CVM Hip. in antecedenti aphoriſmo de criſi mentionem faceret, docens, reliquias imperfecti iudicij morbos renouare. Modo in hac ſententia occaſionem nactus modum oſtendit cognoſcendi ipſam criſim, & prędicendi illam.*

Intētio. *Nox precedens criſim grauior, ſubſequens pleruṁque leuior.*

Rō intentionis. *Vt Medicus ex ſignis antecedentibus criſim cognoſcat, neque turbetur, eſt quid*

quid grauius accidat, criſim propè futuram denuncias, immo confirmetur, & confidat.

Diuitur aphoriſmus in duas partes, in prima abſolutè profert noctem criſim antecedentem grauiorem, in altera uero ſubſequentem plerumque leuiorem. Diuiſio.

Quo natura magis irritatur, grauiora contingunt. Demõſtratio primę concluſionis.

Sed in nocte ante criſim magis, quàm alio tempore irritatur natura.

Ergo

In nocte criſim antecedenti grauiora contingunt.

Maior per ſe patet. Minor uerò probatur, quoniam ea nocte non ſolùm magis, quàm alio tempore fit coctio, ſed ſeparatur bonum à malo: unde uapores eleuantur, qui diuerſas partes petentes, diuerſa pariunt accidentia, ad Caput delirium, dolorem, ſuffuſionem, ſurditatem; ad cor, palpitationem, anxietudinem; ad membra, rigorem, aliaq. eius generis, à quibus magna, & repentina fit turbatio.

Naturę conatus, vt plurimum ſunt ad bonum. Demonſtratio alterius cõcluſionis.

Sed in criſi fit naturę conatus. Ergo

Criſis, ut plurimum eſt ad bonum, & per conſequens nox leuior, quę ſequitur.

Maior probatur, quia motus naturę ſemper ſunt in conſeruatione eius, in quo eſt; quoniam natura in vniuerſali ſua intentione numquam errat; quamuis in particulari erret, vt aqua, quę ſua natura deorſum tendit, & ſit conſeruatur: At ſi fortè deorſum ſit ignis, accidit corrumpi, Minor demonſtratur; quoniam criſis eſt ſpontanea mutatio, & ſubita, quę fit inſurgente natura contra morbum. Ob id nox ſequens criſim, leuior vt plurimum eſſe ſolet.

Quòd criſis habet tres partes, perturbationem, dum ſeparatur bonum à malo, excretionem, & ſolutionem: & quamuis vnaquęq. iſtarũ criſis dici poſſit, magis tamen ſecundam intelligit Hippo. quoniam in ſeparatione magis perturbatur ęger, què excretionem pręcedit. 1. animaduerſio.

Quòd prima pars criſis, quæ perturbatio dicitur, magis fit ĩ nocte, quàm in die, tùm quia Luna, quę humores ad motum concitat, magis eo tempore dominatur. vnde terręmotus, inundationes, & Partus eo tempore fiunt: tum etiam, quia vis naturalis fortior, & vnita magis eo tempore; tum quòd humoris irritatio magis ſentitur ĩ nocte ſomno interrupto, & natura non occupata in actionibus diurnis: motus verò humoris, ſiue excretio magis fit in die adiuuante Solis calore, promouente, & effundente, meatusq. adaperiente, Tertia pars criſis, quę eſt leuatio, ad ſequentem noctem ſequitur. Altera adnotatio.

Quòd criſis aliquãdo fit ſimul ſecundum omnes partes in nocte, aliquando in die, ſed pluries in nocte, non ſolum ad bonum ſed etiam ad malum; 3. animaduerſio.

quia ſi pluries criſes fiunt in nocte. Ergo etiam ad malum plures; tum quia magis mouentur humores praui ad uiſcera; tum etiam, quia deſtituitur calore Solis corpus uiuificantis; tùm, quoniam morbi malitiam adiuuat incitans criſim ante coctionem.

Quarta adnotatio. *Quòd nox ſequens criſim, aliquando grauior eſſe ſolet; ſed rarò contingit, quod probari poteſt; quia cùm pluries in uita ægrotemus, ſemel mori cõtingit; nam mala criſis rarò accidit, præterquàm in peſtilenti conſtitutione. Sed & in bona criſi, accidit aliquando, ſubſequentem noctem non eſſe leuiorem, quia criſis illa poteſt extendi ad duos dies uel ob Medici errorē, vel ob morbum ſuccedentem, uel ob inſidam conſtitutionem.*

5. animaduerſio. *Quòd criſis non fit, niſi in acceſſione; propterea dixit Hipp. grauem noctem acceſſionem præcedentem, nõ quod præcedens non ſit grauior tempore acceſſionis, ſed comparatione facta ad ſubſequentem noctem; nam acceſſionis hora grauior eſt, quã nox præcedens, niſi ea numeretur, & includatur in tempore acceſſionis.*

6. adnotatio. *Quòd turbatio in morbis maximè incipit à meridie, & ueſperi, ad quã horam uoluit Hip. omnes morbos exacerbari: compræhenditur autem cum nocte hoc tempus: accidentia uerò, quę perturbationem faciunt, quędam ſunt communia, alia uerò propria. Communia ſunt, anxietudo, iactatio; propria pro ratione loci, ad quem confluit materia; de quibus iam dictum eſt; excretio enim, quæ fit per uomitum, ueluti unaquęque alia ſua propria habet accidentia; ueluti etiam, quæ fit per abſceſſum partis dolorem, & calorem.*

7. animaduerſio. *Quòd cum Medicus uidet hæc ſigna non debet turbari; ſed conſiderare antecedentem in excrementis coctionem, & diem, in quo fit criſis, ſi enim præceſſit coctio, & iſta perturbatio fit ſeptima die, uel nocte antecedenti, ſalutem prędicet. At ſi præceſſerunt cruditatis ſigna, & dies perturbationis critica non fuerit, aut* ἀκρισίας *aut dolores, aut recidiuas, aut morbi longitudines, aut mortes: & ſolet fieri bona criſis plerumque in die impari; quia per hos dies natura mouet. Ideò morbi, qui imparibus exacerbantur, facilis ſunt indicationis; contra, qui paribus ad iudicandum difficiles.*

APHORISMVS DECIMVS QVARTVS.

In fluxionibus alui, &c.

Cõnexio. *CVM in pręcedenti mentionem feciſſet de criſi; quæquidem fit, uel per euacuationem, uel per abſceſſum. In præſenti ſententia, ſignum ſumit criſis, quæ fit per euacuationem, eamque communiſſimam alui deiectionem.*

In

In fluxu ventris excrementorum mutatio iuuat, niſi ad praua ſit. Intentio. Rō intentionis.

Vt Medicus non modò in critica fluxione alui, ſed in ſymptomatica, ſignum habet ad bonum, vel malū ex mutatione excrementi, mutationem que laudandam eſſe, non ſolùm ſi fiat ad bonum, ſed ſi ad non malum, & æquale, quòd maius eſt.

Non eſt diuiſionis capax Aphoriſmi breuitas. Diuiſio.

Id, quòd, vel naturæ dominium, vel eius validam actionem oſtendit, eſt bonum. Demonſtratio.

At excrementi mutatio non ad praua, vel naturæ dominium oſtendit, vel eius validam actionem oſtendit. Ergo

Excrementi mutatio, ſi non ſit ad praua, bonum eſt ſignum.

Maior certa quidem eſt. Minor oſtenditur, quoniam vbi excremēta perſeuerant in vno ſtatu, cauſſæ pertinacia demonſtratur. At vbi mutatio fit ad bonum; ſuperans natura oſtenditur, & valida illius actio in humores. Quare ſcripſit Hippocrates. Acidum ructum in diuturno alui profluuio bonum ſignificare. Coctionem enim perfici quodammodo ex illo ſigno oſtenditur. 6. Aph. 1.

Quòd alui fluxus, quidam eſt ſpontaneus, quidam verò fit Medici ope. Spontaneus, vel eſt criticus, uel ſymptomaticus. Symptomaticus triplex eſt, Lienteria, Diarræa, & Diſenteria. Si igitur medicamenti ope fiat purgatio, iuuat mutatio etiam, ſed ſi fiat ad praua, ſaltem ratione cauſæ; quamuis non ratione ſigni: bonum eſt prauum humorem eſſe extra corpus. At ſi mutatio fiat ad praua, critice; iuuat etiam; nam ſi per nigras vrinas, & æruginoſum vomitum aliquando morbum expelli notamus, ſed rarò. At in ſymptomatico fluxu iuuat mutatio, non ſolum ſi ſit ad bonum, ſed ſi ſit ad æquale, quia mutatio arguit robur naturæ. Prima adnotatio. 4. Aphor. 21.

Quòd excrementum, veluti omne aliud ex doctrina Hippocratis in Prognoſtico, quoddam eſt bonum, quoddam verò malum, quoddam prauum. Optima igitur eſt ægeſtio mollis coherens, non admodū graue olens, ſubruffa, iuxta copiam ciborum ingeſtorum. Mala autem eſt liquida, alba, pallida, vehementer ruffa, ſubuiridis, ac leuis. Praua eſt nigra, liuida, pinguis, æruginoſa, putrida, ramentoſa, ſeu ſimul, ſeu per ſe eijciatur. Ex his pingue excrementum, liuidum, ramentoſum, putridum, æruginoſum, nunquàm cum progreſſu educitur. Nigrum rarò admodum. Cæterū, quod de fecibus dicimus, de vrina, ſputo, ſudore, muco, vomitu, & alijs excretionibus dictum puta. Verum tabulam ex Hippocrate in Prognoſtico alui excrementi, ad facile exemplum deſcripſi. Altera animaduerſio. 1. Prognoſticorum.

In fece conſideratur
- Subſtantia
  - Secundum naturam
    - mollis
    - coherẽs
    - æqualis } bonum
  - Præter naturam
    - Mala
      - aquoſa
      - liquida
      - inæqualis
    - Praua
      - ramentoſa
      - carunculoſa
      - pinguis.
- Quantitas
  - bona
    - pro ratione ciborum ingeſtorum
    - bis in die, ſemel in nocte
    - pro conſuetudine.
  - Præter naturam
    - exigua
    - multum, aceruatim
    - parum, & ſæpè.
- Qualitas
  - Naturalis
    - Subfulua
    - non admodum graue olens
  - Præter naturam
    - mala
      - alba
      - pallida
      - uehementer ruffa.
    - Praua
      - nigra
      - liuida
      - æruginoſa
      - praſſina
      - putrida. cruenta, ex ijs
      - varia.

APHORISMVS DECIMVSQVINTVS.

Vbi fauces dolent, aut puſtularum, &c.

cõnexio. *CVM antea ſtatuiſſet Hip. impura corpora nõ eſſe nutriẽda ſed prius expurganda. In hac ſententia docet cognoſcere corpus impurum; & per conſequens quando à criſi aliquid relinquitur.*

Intentio. *Vbi natura totum humorem ad aliquam partem deponit, tuto corpus alere poſſumus; vbi verò aliquid intus manet, non tuto.*

Rõ intentionis. *Vt Medicus cognoſcat in omni criſi, quando corpus intus purum eſt: & videat quando nutrire conuenit, aut purgare.*

Diuiſio. *Diuiditur in duas partes Aphoriſmus: in prima docet, quomodo impurum corpus cognoſcatur. In altera verò, quomodò purum.*

Demonſtratio. *Vbi corpus eſt impurum, nutriri tutò non poteſt.*

Sed

Sed quibus materia abſcedit ad fauces, vel cutim cum excrementis biliofis, corpus eſt impurum.

Tales igitur abſceſſus nutriri tutò non poſſunt.

Maior eſt aphoriſmus decimus ſupraſcriptus. Minor probatur; quia bilioſum excrementum, indicat prauos humores non totos ad abſceſſum miſſos; ſed intus adhuc manere. Demonſtratio ſecundæ.

Corpora, quę intus ſana ſunt, tutò ali poſſunt.

Sed quibus per abſceſſum pura ſunt excrementa ſanũ eſt intus corpus.

Ergo

Tutò ali poßunt.

Maior patet, quia humor, qui eſt in abſceſſu non inficit alimentum, quinimò roborat naturam, & intus ſana, facilè reſoluet, quod in abſceſſu eſt.

Minor de ſe manifeſta eſt; ſi quidẽ ſi aliquid humoris intus eſſet in excrementis id oſtenderetur.

Quòd criſis fit, vel per euacuationem, vel per abſceſſum; cum enim natura non poteſt extrà corpus educere noxiam materiam, ſaltem ad ignobiles partes tranſmittit aures, fauces, axillas, inguina, articulos, cutim, Hip. igitur hic loquitur de criſi quę per abſceſſum fit, aſſignans glandulas, fauces, vel cutim, ad quę loca, tubercula fieri ſolent, & conſideranda eſſe docet excrementa ad cognoſcendum, nam intus aliquid maneat, quod nõ modo in criſi per abſceſſum; ſed in ea, quę per euacuationem fit conſiderandum eſt, & etiam per ſanitatem, vt in ſcabioſis, alijsq. cutis vitijs, quo ad enim impura fuerint excrementa; impurum corpus eſt; quando verò pura ſanum. 1. adnotatio.

Quòd excrementa omnia ſunt conſideranda, ſed magis propria partiũ, in quibus eſt morbus; urina in febribus, & cutis vitijs, feces in uentris morbis; Biliofa uerò excrementa ſumit hic Hip. vt omne aliud vitium ſignificat, quod per illa uerba patet [ſi uerò ſanorum excrementis ſimilia;] nõ enim bilioſum ſolũ opponitur ſano; ſed pituitoſum, melancolicum, & alio quouis modo infectum; uerùm quia frequentius bilioſum apparet; ideo de bilioſo loquutus eſt in textu. Altera animaduerſio.

Quòd impurum corpus nõ ſolum dignoſcitur per excretorum impuritatem, ſed per alia ſigna, ut ſitis, oris amaritudo, inappetentia non roborari, vbi enim cum impuris excrementis hęc aderunt, certius de corporis impuritate argumentum fit; quia fieri poteſt, ut poſt criſim natura partem materię per urinas, vel aluum depellat, & tunc nullum ex prędictis ſignis appareat: quo tempore exſpectãdum eſt, quoad totum euacuetur, & inde corpus nutriendum. 3. adnotatio.

Quòd contingit aliquando pura eſſe excrementa, & ęger peſſimè habere, ut in peſtilenti febre, urina apparuit naturalis, morbus tamen hominẽ occidit, id uerò contingit, uel quia natura non audet materiam aggredi, 4 animaduerſio.

vel,

vel,quoniam morbus non ſit in venis, ſed lateat veluti anguis in aliqua
De cauſſ. pulſ. *parte: inde quaſi ex abſceſſu erumpens partes principes opprimit. Animaduertit tamen Galenus in febre maligna vrinas, ſi aliquando apparent naturali ſimiles, non tales reuera eſſe. At nos non vno ſigno contenti eſſe debemus, licet ſecuriſſimo, ſed alia adducere ad maiorem cautelam, in maligna enim febre ſi talis apparet vrina, Thorax cõſiderandus, an caleat magis, quàm cęterę partes, num magna adſit reſpiratio, & feteat, ſi adeſt*
De locis affect. *anxietudo, hæc enim oſtendunt malignam humoris qualitatem. Cæterum Galenus in uitiata ventriculi coctione hoc utitur ſigno, exhibens cibos difficilis corruptionis, vt conſideret quo humore inficiantur, & quomodo à calore tractata ſint.*

APHORISMVS DECIMVSSEXTVS.

Fame dominante.

cõnexio. *CVM ſupra Hip. aphoriſmo octauo ex nimia fame recidiuam fieri ſtatuiſſet: de ipſa nunc ſermonem habet, docens quid vitare debeant fameſcentes; nam infrà magis laudat inappetentiam in conualeſcenti.*

Aph. 32. *In fame laborandum non eſt.*

Intentio. Rō inten tionis. *Vt corpora fameſcentia plus nimio, in quiete contineantur; &, vt tempus terminandi exercitium definiatur, &, vt euacuationes vitemus, in quibus futura eſt inedia.*

Diuiſio. *Aphoriſmi breuitas diuiſionem non patitur.*

Demonſtratio. *Id, quod moleſtiam auget fugiendum.*

Labor famis moleſtiam auget. *Ergo*

In fame labor fugiendus.

Maior certa quidem eſt: Minor declaratur, quia labor euacuat; & conſumit; ergo fames augetur, cauſſa enim famis eſt corporis conſumptio.

1. Adnot. *Quòd fames eſt triſtis ſenſus in ore ventriculi ob alimenti indigentiã: vbi igitur homo abſtinet à cibo, aut uoluntariè, aut quia deficiat, & fameſcit, quieſcendum: neque ſolùm motus vitandus; ſed quicquid corpus inanire ualet. nec ſolum vbi adeſt fames id faciendum, ſed ubi futura eſt inedia, nec ſanguinem mittere, nec purgare, uel ſudorem mouere, aut corpus quouis alio modo ſenſibiliter vacuare licet, fallit tamen hęc regula in acutis, in quibus ſit imperanda inedia; purgamus tamen, quia morbi breuitas, & magnitudo ita requirit.*

Altera animaduerſio. *Quòd labor duplex, alter animi, alter uerò corporis. In fame quieſcendum non ſolùm labore corporis ſed etiam animi, quoniam omnis labor cõſumit: eſt tamen accomodatus labor ante famem, quòd adiuuet alimenti coctionem, diſtributionem, & excrementorum expulſionem. Quare tamdiu laborandum,*

laborandum, & exercendum corpus, quoad fames ſuccedat, & ſuccedente, quieſcendum.

Quòd ſani homines facilè fameſcunt, & eò magis bilioſi uẽtre ſuperiori, quibus niſi cibus preſtò adſit, multa mala patiũtur, ſtatim enim, ut ſcripſit Hippocrates adeſt corporis impotentia, triſtitia, oris amaritudo, & denique ſincopis. At corpora ægra, quoniam non habent adeò ualidum calorem, non ita offenduntur a fame: ideò in his non ſumus ita ſolliciti. 3. adnotatio. 4. Acutorum.

Quòd fames, & labor corpori inimica ſunt; quia, & ipſa conſumunt: propterea etiam ſcripſit Hip. illa eſſe inimica febri, Prodicum reprehendẽs exercitio, & fame febrientes nècantem. Nunquam igitur labor febri utilis; inedia conuenit, ubi febris oritur ex plenitudine, uel inflammatione, uel obſtructione, magis ratione cauſſæ, quàm ratione febris. 4 animaduerſio. 6. Epidẽ.

Quòd fames aliquãdo præcipitur ab Hip. corporibus plus nimio humectatis, iuxta illud quod ſcripſit Hip. atq; in eo caſu nõ ſolum fameſcendum, ſed laborandum quia maius eſt iuuamentum, quòd ab exſiccatione prouenit, quàm moleſtia ipſius famis; nam corpora humida nõ facilè à fame offenduntur, ſicuti corpora ſicca. propterea exercitium extenuatis corporibus, gracilibusque, & rari habitus non probatur, niſi ualde mediocre, & quo corpus fuerit calidus, eo magis quies, & aquæ potus commodior. Id verò, quòd ſcripſit [labores cibos precedere,] non eſt intelligendum de his naturis picrocolis; immò poſt cibum magis in his conuenire labores (dicit Hip.) quàm ieiunis. 5. adnotatio. 7 Aph. 5. & 9. 6. Epidemiorum. 1. de Diæta in fine.

APHORISMVS DECIMVSSEPTIMVS.

Vbi præter naturam, &c.

CVM in antecedenti Aphoriſmo fugiendum eſſe ſtatuiſſet laborem in fame; cumque ipſius famis remedium ſit alimentum; nunc innuit, cibum quidem aſſumendum eſſe ſed non ultrà uires. cõnexio.

Cibus præter naturam aſſumptus morbum creat. Intentio.

Vt uitemus ſatietates, quoniam ex illis morbi ex plenitudine fiunt, difficile enim eſt, appetitum noſtrum terminare: quare ad ſanitatẽ primas obtinet partes nõ exſatiari cibis; plures enim occidit gula, quàm gladius. Rõ intentionis.

In duas partes hanc ſententiam partimur. In prima ſuam intentionem exponit. In altero uerò cauſſam ſuæ intentionis adducit. Diuiſio.

Vacuatio morbos ſanat. Ergo. Demonſtratio.
Plenitudo gignit.

Antecedens probatur manifeſtè experimẽto eorum, qui ab anxietate, dolore, morſu, uomitu, ſtatim cõquieſcũt. Conſequens clarè deducitur; quia ſi ſanatio facta eſt uacuatione, Plenitudo igitur in cauſſa erat moleſtiæ.

Quòd

Demonſtratio. *Quod facultatem vincit, morbum creat.*

Altera. *Cibus præter naturam facultatem vincit.*

Cibus præter naturam creat morbum.

1. animaduerſio. *Quòd uerbum illud [vbi] duo ſignificare poteſt, locum ſcilicet, & tempus; vt ſit ſenſus duplex; in quemcunque locum cibus præter naturam ingreditur morbũ creat, vel ſic, quando cibus copioſior eſt, quàm a facultate ſuperari poſſit, morbum gignit. Locus autem plenitudinis triplex, alter ab ore ad venã portam; alter à vena porta, vſq; ad omnes venas ſingularũ partium; alter ad membra, & membrorũ cauitates. Primus continet ventriculũ, inteſtina, venas meſaraicas, caua Iecoris, lienẽ, & ijs interiectum pancreas. Alter verò iecoris connexa, omnemq. venam cauam; atq; illi comitem arteriam maiorem, & quicquid earum incidit inter axillas, & inguina. Tertius moſculos complectitur, membranas, oſſa, omnemq. corporis molem, quæ ab ipſo ingreſſu arteriarum, venarumq. minorũ in partes ſingulas, & in ſummam, extimamque cutim profertur.*

Altera adnotatio. Lib. de affectionibus. *Quòd cibus præter naturam talis eſt, quantitate, vel qualitate. Quantitate dupliciter excedit, continua, & diſcreta. De quantitate molis ſcripſit Hip. cibos etiam temperatos, & humanæ naturæ familiares, ſi quis illis; vel intempeſtiuis vtatur, aut pluribus, quàm tempeſtiuum eſt, morbos gignere, & ex morbis, mortes. De quantitate diſcreta ſcripſit quoq. obſonia variis intritis præparata, quia diuerſas inter ſe vires habẽt, æſtuoſa eſſe, & noxia. De qualitate quoq. præter naturam in cibo, qualis eſt ſalſus, acris, amarus, monuit idẽ auctor fieri in corpore turbationes; quòd alimentum, & augumentum non fit niſi per id, quòd probè temperatũ eſt, atque edomitum. Dicitur etiam præter naturam cibus, qui licet ſpeciei humanæ ſit familiaris; alicui tamen particulari adeò eſt inuiſus, vt fugiat illum, veluti venenum, qualis eſt caſeus quibuſdam, vinum alijs, Piſces alijs. Fuit, &, qui panem nunquam comedit ab illo abhorrẽs, & carne veſcebatur ex Illuſtriſſima Hiſpaniarum familia, Don Fadrique d'alua. Sed, & Orator Gallorum Regis apud Summum Pontificẽ (Monsſeur de Sangart Nobiliſſimus quidem Gallus) potum adeò auerſabatur, vt ſemel in anno biberet, & ſanus, atque incolumis viuit.*

Hipp.

3. animaduerſio. *Quòd verbum illud [præter naturam,] vel indicat paruum exceſſum, vel magnum. Galenus ait Hippocratẽ intelligere de magno exceſſu, quia paruus morbum non creat. Sed, vt ego arbitror, etiam de paruo exceſſu uera eſt ſententia, quia à plenitudine, & ſemel, & repentè, morbus creari poteſt, & mors; ut in ebrijs. Sed; & à paruo exſceſſu ſi duret paulatim fit morbus; nam teſte eodem Hippocrate Morbus paulatim fit, ſed repentè inuadit. Ideò Medicus oculatus ſit oportet, ut præuideat, & opem ferat in tempore.*

6. Epidẽ. Libro de Diæta.

4. adnotatio. *Quòd duplex eſt plenitudo, altera ad uaſa, altera ad uires. Ad uaſa,*

quando

quando nimio humore diſtenduntur. Ad uires cum ea eſt humoris copia, ut à facultate ſuperari nequeat. Ad plenitudinem igitur uentriculi, inteſtinorum, & meſaraicarum uenarum, uomitus, clyſter, medicamentum, faciunt. Ad eam, quæ eſt ſuprà iecur in uenis, & arterijs, ſi fuerit ſanguinis, phlebotomia; ſi alterius humoris, purgatio. Ad illam, quæ in cauitatibus, & membris, exercitium, cucurbitę, frictiones, Balneum. Inedia verò eſt omnium plenitudinum remedium, præter quàm bilis.

Quòd plenitudo fit, ubi cibi ſuperant labores. Modus explicatur ab eodem. Vbi cibi maneant in uētriculo ampliori tempore, quàm opportunum eſt, & alia ad ipſos incidant, corpus utique repletur, ac dùm premuntur à plenitudine uenæ, labor, & dolor corpori accidunt, æſtate quidem citius, hyeme uerò poſterius. Et rurſus cum uenter ægeſtionem moderatam non fecerit, & inſuper cibus humiditate ciborum ingeſtorum, corpus irrigat. Ipſa autem humiditas a uentre obſtructa aceruatim ad caput uiam facit, & ubi ad caput peruenerit, à uaſis in capite non recepta fluit quomodocunque contigerit. 5. animaduerſio. De Diæta. 4. de Morbis. De locis in hoĩe.

Quòd unaquæq. plenitudo ſua habet ſigna; uentriculi, inteſtinorum, & meſaraicarum, ex ructu, oſcitatione, flatu, grauitate, ſegnitie, dormitatione, capitis dolore, nauſea, tormine. Venarum, ſi fuerit ſanguinis, ex tumore earum, colore, rubeo, capitis dolore, tuſſi, ſtillis ſanguinis. Alterius humoris adſunt ſua quæque indicia propria, quibus temperamentum, ætatem, tempus, regionem, uictus modum adiungere oportet. Plenitudo partium corporis, ut muſculorum, oſſium, membranarum ex laſſitudine indicatur. Cæterum omnium plenitudinum fomes eſt otium, & exſatiatio cibi, atque crapula. 6. Adnot.

APHORISMVS DECIMVSOCTAVVS.

Eorum, quæ confertim, & celeriter.

EA ratione, qua undecimus aphoriſmus nectitur cum ſeptimo, adiungitur hic cum illo. Dictum enim eſt in ea ſententia breui conficiendos eſſe, qui breui tempore fuere extenuati. In undecimo docuit humidum alimentum eſſe aptiſſimum. Hic aliam conditionem ponit alimenti, quod celeriter alit. cõnexio.

Eorum, quæ celeriter alunt, & confertim, celeres excretiones eſſe ſolent. Intentio.

Vt cognoſcat Medicus cibos, qui facilè, & breuiter reficiunt, quiuè aptiſſimi ſunt conualeſcentibus, & maximè ijs, qui celeri refectione indigent. Rõ intentionis.

Hæc ſententia ob ipſius breuitatem, non eſt, quòd diuidatur. Diuiſio.

Vbi

Demõſtratio. *Vbi duo ſe inuicem conſequuntur, ſi alterum celeriter fit, alterum quoq. breuiter efficietur.*

Sed nutritio, & expulſio ſeſe inuicem conſequuntur. Ergo.

Si nutritio celeriter fit, celeriter quoque fiet excretio.

Maior per ſe patet. Minor oſtenditur, quia nutrimenti duæ ſunt partes; altera, quæ trahitur, vtilis, altera, quæ expellitur inutilis. Vnde 1. de Dieta. *Hip. nutritionem aſſimilaui ſecanti, qui quidem modò trahit, modò protrudit, ita, & membri virtus trahit vtile, protrudit inutile.*

1. animaduerſio. *Quòd excrementa corporis ſunt tria, iuxta coctiones tres feces, primæ, quæ in ſtomacho fit, & inteſtinis: vrina alterius, quæ i hepate, et venis efficitur. tertiæ ſordes; quæ in mẽbris conficitur. De omnibus loquitur Hipp. ſed manifeſtius de aliis excrementis, & de vrinis, vtpotè magis ſenſibilibus. Iſtæ verò coctiones proportionem ſeruant ad inuicem in hanc formã; attracto alimento à ventriculo, apponitur ad illius tunicas, poſteaquã illud in chylum eſt conuerſum: dum verò apponitur vẽtriculo, trahitur aliquid ab hepate, & inteſtinis, & hæc eſt prima pars. In altera fit aſſimilatio in ventriculo appoſitio in inteſtinis, & hepate, tractio in mẽbris. In tertia fit in ventriculo, alimenti vnio, in hepate, & inteſtinis, aſſimilatio, in membris; appoſitio, denique fames oritur.*

Altera adnotatio. *Quòd facilis excretio, vel ſignificat excrementi eductionẽ, vel ſuperflui tranſmeationem, vel tranſpirationem; quomodocunq dicas, vera eſt* Lib. de alimento. *ſententia. Quorum enim excrementa, celeriter educuntur, & quæ facilè permeant corpus, & quæ citò diſſlant, celeriter alunt; nam quod facile apponitur, facilè tranſpirat.*

3. animaduerſio. *Quòd alimẽti in alendi ratione, triplex eſt differentia, penes velocem, & tardum, confertim, & paulatim, multum, & paucum. Ad celeriter nutrit, quòd ſtatim aſſumptum nutrire incipit: contrà tardè, quòd longo tempore id præſtat. Affatim nutrire dicitur id, quòd poſteaquàm nutrire cœpit, breui totum præſtat alimentum. Conſequitur autem hæc, differentiam primam: nam quod celeriter nutrit, affatim etiam id facit; & quod tardè nutrit ſenſim multum nutrit, quod in plurimas ſeu partes tranſit in membrum, & è contra paucum, quòd multum habet excrementum.*

4. animaduerſio. *Quòd multæ ſunt conditiones cibi celeriter nutrientis. Prima ponitur Aphoriſmo vndecimo huius nempè quòd ſit humidior. Altera hic, quod celeres habeat excretiões. Ideò videmus aquas laudabiles ſtatim poſt aſſumptionem excerni, & per ſudores, & per vrinas, & eò celerius vinoſa vina, & alba. Tertia quòd citò coquatur ab externo igne, quia tale alimentũ ab interno quoq. facilè ſuperabitur. Quarta, quòd ſtatim ab aſſumptione corpus roboretur. id ex actione motus in membris, & pulſu clare deprehenditur; nam ſimul atque ventriculus ſuſcipit alimentum, totum corpus trahit vtilem vaporem, quo reficiuntur ſpiritus.*

Quòd

Quòd iſta ſententia uera eſt, quibuſdam conditionibus ſuppoſitis. Prima, quod comparatio fiat ex alimentis æqualiter præparatis, & nō ſit alterum aſſum alterum elixum: deinde, quòd dentur eidem homini, eodemque modo diſpoſito quoad res non naturales: tertio quòd cibus non habeat aliquam medicamentoſam qualitatem; nam Vitellinæ tardè deſcendunt ſecundum ſubſtantiam ſed ob ſalſedinem facilè deſcendere poſſent, ita, & caſtrati pedes cito nutriunt, at ob lentorem tarde deſcendunt. Id igitur, quod celeriter alit, celerem quoque habet excretionem; quod tardè, tardam, dummodo prædictæ ſeruentur conditiones. 5. animaduerſio.

Quòd ventriculus, & chylo, & ſanguine nutritur, quòd enim chylo nutriatur, probatur, quoniam eum auidè attrahit. At nulla pars naturaliter attrahit humorem, niſi ex illo nutriatur. Patet etiam ex fame, quæ ſtatim ceſſat aſſumpto alimento. Cæterum ſanguine etiam nutritur ventriculus, quòd manifeſtas in ſe habeat venas, & ſanguine refertas; per quas etiam neceſſitatis tempore attrahit ab hepate; nam (ut ſcripſit Hip.) vbi plenus eſt ventriculus, trahit ab ipſo uniuerſum corpus: at vbi vacuus eſt, trahit à toto corpore; neque enim neceſſarium eſt, omnem partem ſāguine nutriri; oſſa enim medulla nutriuntur, teſtes ſemine, articuli, muco, ungues, & pili excrementis. Ita, & uentriculi tunica immediatè chylo depaſcitur tamquàm ſibi familiari ſubſtantia. 6. adnotatio.

APHORISMVS DECIMVSNONVS.

In morbis acutis, non omnino certæ &c.

CVM in antecedētibus Hip. multa de Prognoſtico ſcripſiſſet, ſignaq. plurima ad malum, vel bonum aſſignaſſet. in hac ſententia celebrem præceptionem de morborum euentu præſcribit. cōnexio.

Prædictio in acuto morbo non eſt omninò certa. Intentio.

Vt Medicus non ita fidat ijs quæ in morbis apparent, vt neceſſariò arbitretur, quod futurum præſentit, inſtabilia enim ſunt, quę in humidis conſiſtunt, quare facilè: & à natura, & à fortuna tranſmutari ſcribit Hippocrates. Rō intentionis.

Aphoriſmi breuitas diuiſionem non patitur. Lib. de decenti ornatu.

Morbi, qui dubium habent euentum non certam habent prædictionem.

Acuti morbi dubium habent euentum. Ergo

Morbi acuti non eſt certa prædictio. Diuiſio.

Maior de ſe eſt manifeſta. Minor probatur ex Hippocrate primo de morbis. qui anginam, pleuritim, peripneumoniam, ardentem febrem dubij euentus morbos iudicauit. Demonſtratio.

Quòd ſermo in hoc aphoriſmo eſt de futuris contingentibus, quę ſunt in 1 animaduerſio.

triplici differentia; quædam vt plurimum eueniunt, vt in æſtate calor, in hyeme frigus; quædam rarò accidunt, vt Cometa: quædam ſunt ad vtrumlibet, quia æqualiter fieri, & non fieri poſſunt, vt quæ à voluntate noſtra pendent. de primis, & ſecundis, eſt determinata veritas, quod erunt, & non erunt, vt plurimum, vel rarò. At de contingenti futuro ad vtrumlibet non eſt determinata veritas, talis eſt in uniuerſum euentus acuti morbi, quia poteſt occidere, & non occidere.

Altera adnotatio. *Quòd in ipſo acuto morbo adhuc triplex illud cõtingens reperitur pleuritis enim ut ita dicam, ſi omnia ſigna bona habeat ſanabitur æger; ſi omnia mala morietur, ſi partim bona partim mala dubius erit morb. In* 1. *& ſecundo caſu Medicus ferè ſemper uera prædicit, quia, ut plurimum contingit ſanari cum ſignis bonis, & mors cum malis. At in tertio dubius eſt euentus. Ideò in omnibus illis incertę prædictiones ut plurimum in primo autem, & ſecundo caſu, rarò in certę.*

3. animaduerſio. *Quòd morbi acuti quidam dicuntur boni moris; alij mali moris. Boni moris eſt ille, qui ſeruat ſua ſigna exquiſita; ut Cauſon, ſitim, uigiliam, ardentem calorem, cum ſeruat benignus dicitur. At Cauſon, cum ſine ſiti eſt, uel cũ ſomno malignus dicitur: in benigno rarò contingit errare apparentibus ſignis optimis, uel peſſimis. in maligno ut plurimum, quia inconſtãs.*

3. Aphor. *Ideo ſcripſit Hip. in inconſtantibus temporibus inconſtantes morbos fieri, & ad iudicandum difficiles.*

4. adnotatio. Lib. prædictionũ. *Quòd in omni acuto morbo poteſt fieri prædictio, uel in principio, uel in augmento, uel in ſtatu ipſius morbi. In principio, ut plurimum incertæ prædictiones, & etiam in augmento. Ideo monuit Hip. non eſſe prędicendum, donec ſtatum acceperit morbus; eo enim tempore coctiones accidũt & quicquid natura poteſt oſtenditur. Cæterum cauſæ, cur in uniuerſum non ſint certæ prædictiones in acutis ſunt materiæ caliditas, & tenuitas: quare citò de una parte ad aliam tranſmittitur, error ægri, adſtantium, aut Medici fortuna, nouus ſuperueniens morbus: eſt tamen certior ad mortẽ, quàm ad ſalutem prędictio, quia magis contingit mori, quem prædixeris uicturum quàm è contra.*

5. animaduerſio. *Quòd Medicus in prognoſtico duo facit; primo mẽte agitat, quid ſit futurum: deinde id pronunciat, & uoce explicat. primum appellat Galenus præſentionem; ſecundum prædictionem. debet igitur Medicus ſemper uti præſentione non ſemper prædictione niſi cum magno fundamento omnib.*

Lib. prædictionũ. *collectis ſignis, & inter ſe comparatis propè morbi ſtatum; nam ex uera prædictione admirabilis iudicatur Medicus. At ſi errauerit ait Hip. fortaſſe inſanire uidebitur.*

6. adnotatio. 1. de Morbis. *Quòd Prognoſticum multa comprehendit; euentum, tempus euẽti, modum, auctorẽ, qualitatem, de quibus omnibus uera eſt ſententia. De euentu ſcripſit Hip. alios eſſe morbos ſanabiles, ut tertiana, quartana, alios*

mor-

mortales, ut morbus acutos in prægnanti muliere, alios dubius, ut acuti in principio omnes. De tempore euentus dixit alios eſſe breues, ut angi-oa, pleuritis, alios longos, ut nephritis, podagra, de relinquis eodem modo.

Quòd morbus, quo fuerit acutior manifeſtiorem habet à principio prædictionem, quia ſtatim magnæ mutationes fiunt, qui enim euaſuri ſunt facilè ſpirantes, dormientes, ſine dolore degant. Morituri difficilè ſpirantes, delirantes, & cum dolore degunt. at in morbis longioribus firmior eſt prædictio in proceſſu, quia materia magis craſſa & non ita inſtabilis. 7. animaduerſio. 5. Progn.

APHORISMVS VIGESIMVS.

Quibus in iuuentute aluus eſt, &c.

CVM antea de excretione uerba feciſſet, & docuiſſet alimenta celeriter nutrientia celerem excretionem habere. Nunc oſtendit Hipp. quomodo ſe habeant ætates ad deiectiones. cōnexio.

Quibus in iuuentute aluus eſt humecta, in ſenectute ſiccatur, & è contrà ſicca in iuuentute humectatur in ſenecta. Intentio.

Ne miremur, ſi ratione ætatis contingat celeriter nutrientia tardè exire, & è contra. Deinde uerò, ut hanc alui ſiccitatem, & humectationem non morboſam, ſed naturalem eſſe dignoſcamus. Rō intentionis.

Diuiditur hæc ſententia in duas partes; in quarum prima, primam ſtatuit concluſionem: in altera uerò alteram illi contrariam. Diuiſio.

Cauſſæ contrariæ effectus pariunt contrarios.

Sed cauſſæ deiectionis in iuuene, & ſene ſunt contrariæ. Ergo Effectus parient contrarios, & per conſequens aluus in Iuuentute humida, ſicca fiet in ſenectute, & è contrà. Demonſtratio.

Maior certa eſt. Minor oſtenditur, nam iuuenis in ratione ætatis ſunt calidi, ac ſicci: ſenes uerò frigidi, & humidi.

Quòd cauſſæ alui humidioris, uel ſiccioris eſt temperies uentriculi, inteſtinorum, & hepatis. Calidum igitur, & ſiccum per ſe cauſſa eſt alui ſiccioris, per accidens autem, aluum humidam faciunt ob bilis copiam. E cōtrà frigidum, & humidum cauſſa eſt humidioris. Qui igitur iuuenes aluos humidas habent fit ob copiam bilis: ſiccabitur autem, in ſenectute deſinēte temperie in frigidam, & ſiccam; quare pauca gignetur bilis. At è contra, qui iuuenes aluos habent ſiccas, ob ſiccitatem, & caliditatem, in ſenectute humidæ fiunt refrigerato corpore, & humectato. Caliditas igitur, & frigiditas maximè faciunt ad retentionem, & attractionem, uenas quoque amplas conſtituūt: unde exſiccatur aluus, niſi tanta gignatur bilis copia, ut uincat. Frigiditas, & humiditas aluum humectant, quia minimè 1 animaduerſio.

F 2 retinent,

retinent, parum attrahunt, venasq. anguſtas conſtituunt.

Altera ad notatio. Quòd ad huius ſententiæ veritatem debet ſupponi à nobis idem homo, non diuerſi: præterea idem cibus, eodemque modo paratus. Aequalitas in rebus non naturalibus; ſolum. Differentia debet eſſe in ætate.

3. animad uerſio. 3. Aph. Quòd frigiditas duplex eſt, alia interna, alia externa. Interna aluum reddit humidam, externa verò ſiccam. Quare ſcripſit Hipp. Aquilonias conſtitutiones aluum indurare; nam calor innatus augetur p frigora: quare magis conſumit, & attrahit. Conſtringitur quoque podex, & non facile patet aditus. Sed dices frigus externum cutim denſat. Ergo pellit intus excrementa; Aluus igitur erit humidior. Dicendum, quòd magis poteſt caliditas, quæ tanta eſt per id temporis, vt magis conſumat, & exſiccet, 1. Aph. 15 quàm ex adſtrictione cutis intus promoueatur. Sed quid dices Galeno ſcribenti copioſiora eſſe excrementa per hyemē, & in vrinis hypoſtaſim copioſiorem? An quia hyeme plus cibi ſumimus, plus etiam eijcimus. At non ita frequens eſt deiectio per frigora, ſicut per humida, aut temperata.

APHORISMVS VIGESIMVSPRIMVS.

Famem orexis ſoluit.

cōnexio. CVM multa de conualeſcentium refectione dixiſſet Hip. ſuprà; contingat autem non proficere corpora ob nimiam aſſumptionem. Docet nunc, quomodò ſit reprimendus appetitus, quòd etiam Aphoriſmo decimoſexto alia ratione explicauit quietam præcipiens.

Intentio. Famem tollit vini potio.

Rō intentionis. Vt celebre, & commodum famis remedium deſcribat; &, vt oſtendat de vino hoc habere mali, quòd appetitum tollat; nam bibaces non admodum ſunt edaces.

De Aere aquis, &c. Diuiſio. Huius ſententiæ breuitas diuiſionem non patitur.

demōſtratio. Quòd cauſſæ famis eſt contrarium, famem tollit.

At vini potio cauſſæ famis contraria eſt. Ergo

Vini potio famem tollit.

Maior per ſe patet. Minor verò declaratur; nam famis fit ob inanitionem, aut corrugationem ventriculi oris à frigido, & mordaci humore. Inanitionem citiſſimè tollit vinum means per vniuerſum corpus, iuxta illud [Facilius eſt potu refici, quam cibo.] Frigida ventriculi intemperies, ſeu mordacitas à vino corrigitur, & attemperatur. Quare omnem famem tollit vini potio.

2. animad uerſio. Quòd famis naturalis, quædam eſt mediocris ob cōſuetam inanitionem orta; alia vehemens, qualis conualeſcentibus, vel valde excitatis contingit ob nimiam corporis conſumptionem. Famis uerò præter naturam

omnis

omnis in exceſſu conſiſtit. De omni fame vera eſt ſententia licet Galenus de canina ſolum exponat.

Quòd fames præter naturam duplex eſt, quædam canina dicitur, per quam homo nunquam expletur; ſed quantumuis edat ad vomitum redit, ſicut canis. alia autem dicitur, per quam homo in principio quidem vehementer appetit, ſed paulò poſt deficiente cibo deficit, & linquitur animo, oriturq. ab ingenti ventriculi frigore in ijs, qui per niues, & glacies plus nimio ieiuni iter faciunt; rapitur enim calor ad cor non habens vnde paſcatur, vel humor acris à ventriculo attractus conſenſu cor afficit, vnde ſincopis oritur. Altera ad notatio:

Quod vinorum, aliud eſt generoſum, aliud mediocre, aliud exiguum; rurſus in ſapore, aliud dulce, aliud auſterum, aliud medium. Vinum itaque hic intelligit Hip. calidum odoratum mediocriter auſterum, quale eſt Græcum maluaticum; tollit enim hoc uinum tam naturalem famē, quàm eam, quæ eſt præter naturam. Sed in naturali dandum cum cibo, & poſt illud, cum pane, vel offa intinctum, ne uacua vaſa reperiens, caput offendat. In fame verò non naturali & à cibo, & ante cibum; nam famis canina eo curatur, & cibis pinguibus, Βουλιμος autem, ſicut omnis animi defectus, eo etiam corrigitur, non ſolùm potu, ſed & odore. 3. animad uerſio.

Quòd vini potio meraci nō ſolùm habet dictam prærogatiuam tollendi famem, ſed vrinam maximè mouet; vnde ſtranguriam, & diſuriam ſoluit, oculorum item dolores à cauſſa frigida, non modo potum, ſed in fomento adhibitum: nocet tamen ijs, qui debile caput habent, ut Pueris. Quare in totū ſunt à vino arcendi; & non modo illi, ſed eorum nutrices, quod epilepſiam inducat, & lapides gignat. Vnde concurrunt omnes celebres Medici, Pueris vinum eſſe prohibendum vſq. ad decimumquartum annum. Cæterum vinum dulce minus caput ferit, & inebriat, & ſputum magis educit, quam vinoſum in pituitoſis naturis, incommodum enim eſt bilioſis. Quarta adnotatio. 3. Acutorum. 7. Aphor. 48. 7 Aphor. 31. Hip. 3. acutorum.

APHORISMVS VIGESIMVSSECVNDVS.

Qui à repletione Morbi fiunt.

CVM *in præcedenti de famis remedio tractaſſet, quòd ex meri potiò ne conſtat. Nunc cauſſam reddit, cur vinum tollet famem, quoniam contrarium eſt illi & contraria contrarijs pelluntur.* cōnexio.

Curatio per contraria facienda. Intentio.

Prima, vt poſtulatum in Medicina ponat: altera verò ut cauſſam reddat præcedentis aphoriſmi, tertia, ut illos reprehendat, qui putant omnem morbum à repletione fieri. Rō intentionis.

Diuiditur hæc ſententia in duas partes. in prima exemplo particulari Diuiſio.

ſuæ intentionis cauſſam ponit: in altera verò concluſionem intentam.

Demonſtratio *Repletio vacuatione tollitur, & è contra. Ergo*

Contrariorum contraria ſunt remedia.

Antecedens ponitur ab Hip. tamquàm notum, & ex Aphoriſmo decimoſeptimo comprobatum, ſanatio enim, vbi cibus, plus quàm ratio poſtulat, aſſumptus eſt, fit ſtomacho euacuato, aut vomitu, aut deiectione. Fames repletione ſtatim tollitur. Conſequentia deducitur à particulari ad vniuerſale.

Altera demonſtratio. *Poteſt, & vniuerſali ratione probari hunc in modum.*

Omne quòd alicui vim infert illi eſt contrarium.

Sed omne remedium vim infert vitio corporis. Ergo

Remedium omne erit vitio contrarium.

Maior, & minor per ſe patent.

1. adnotatio. *Quod duo ſunt Medici poſtulata, quæ quidem ipſe, eo quod euidentia ſunt, & principia ſunt ſupponit, aut exemplis ſolum declarat. Primum eſt conſeruationem fieri per ſimilia. Alterum verò curationem per contraria fieri. Sed contra dicet aliquis, ſi Medicina eſt adiectio, & ablatio. Ergo Medicus ſemper addit, vel demit. Conſeruatio igitur fit etiã per contraria; addere enim eſt tollere defectus vitium demere uerò, quòd abũdat. Quare dicendum, vel fieri omne opus Medici per contraria, ſed in morb s, quia euidens eſt contrarium; dicitur curatio in ſanitate, quia exceſſus ferè non ſunt ſenſibiles. Dicitur conſeruatio. Rurſus dices, Corpus temperatum debet in ſua temperie ſeruari ergo per exactè ſimilia. Verum eſt, ſed quia ob varias tranſmutationes rerum non naturalium, nõ poteſt in eodem ſtatu permanere: ideò ad illam conſeruationem requiritur additio, atque ablatio.*

Altera animaduerſio. *Quòd cum tria ſint præter naturam, nempe morbus, cauſſa, & ſymptoma; de omnibus verum eſt, curationem per contraria fieri. Cum verò dicimus tolli moleſtiam per contraria; dupliciter intelligi poteſt, aut priuatiuè, vt pallor tollitur inducta rubedine; dolor inducta voluptate, calidum inducto frigido, & ſic intelligendo, nulla eſt difficultas; vel intelligimus; ita eſſe contrarium remedium, vt vim habeat efficiendi contrarium, & ſic vera etiam eſt ſententia; ſeu uis illa contrarij efficiendi ſit in remedio actu, ſeu potentia, mediatè, ſeu immediatè, per ſe, aut per accidens; nam vomitus, vomitum curat. fluxus fluxũ, ſcammone à bilem tollit, & febrẽ, quãuis actu ſimilia ſunt: ſed vim habent efficiendi contrarium, cauſſam tollendo.*

3. animaduerſio. *Quòd contraria hic largo modo accipere oportet; & non propriè: quia non omnis morbus habet verè contrarium, ſed oppoſita intelligere debes, quocunq. modo opponantur. Oppoſitio autem non ſolum in primis, ſed ſecundis, & tertijs qualitatib. eſt conſideranda. non enim ſolum calido, aut frigido curantur morbi, ſed amaro adſtringenti, & non ſolum ijs, ſed proprietate*

prietate occulta: qua ratione alexipharmaca, & alexiteria, venenis opponuntur. Sed dices Theriaca, quæ ex Vipera componitur veneno ipſius reſiſtit. Curatio igitur fit per ſimilia. Dicendum tamen ineſſe quidpiam in carne viperæ veneno ipſius contrarium. Sed quid dices ſcorpioni applicito loco ab eodem demorſo, & ſanante attrahente ſimilitudine. Ergo per ſimilia curatio fiet. An quod contrarium dicitur ſcorpio applicitum, qua cauſſam remouet, licet actu ſit ſimile.

Quòd morborum, quidam dicitur in fieri, alius in facto eſſe. Primus requirit præcautionem, & curationem: Alter verò ſolum curationem, ſed dices Hip. vult, vt ſẽper nos opponamus cauſſæ morbi: at factus morbus, vt hectica cauſſa caret. Dicendum cauſſam, etiam ſi abſit: indicare tamen remedium, ſaltem mediatè. cæterum propter hoc putarunt nonnulli cauſſam coniunctam ſemper eſſe cum morbo, ſed aliam à morbo nullam habere indicationem; cuius contrarium in cauſſa antecedenti contingit, nam ablato erodẽte humore, non tollitur vlcus: at ablata intemperie tollitur febris, quia illa eſt illius coniuncta cauſſa. Seu igitur tollamus coniunctam cauſſam, ſeu ponamus illam eandem, vel diſtinctam à ſuo effectu, parum refert ad curationem. 4. Adnot. De natura humana.

Quomodo autem ſoluatur plenitudo, & quot illius ſint genera latè ſcripſimus ſuprà Aphoriſmo decimoſeptimo eſt autem plenitudo frequentiſſima, & maximè familiaris morborum cauſſa, adeò ventri ſunt homines, & ebrietati indulgentes.

APHORISMVS VIGESIMVSTERTIVS.

Morbi acuti quatuordecim diebus iudicantur.

CVM in ſuperiori Aphoriſmo præcipuè de euentu morbi egiſſet, aſſerens non eſſe certum in acutis. Nunc de tempore euẽtus acutorum agit, terminum præſcribens illorum. cõnexio.

Morbi acuti quattuordecim diebus indicantur. Intentio.

Vt quamuis incertus ſit acutorũ euentus, ſaltem Medicus hoc certum habeat, illos intrà quattuordecim dies inſignem effecturos mutationem, & vt moneat Medicum, magnam diligentiam in ijs morbis adhibeat; in quibus operãdi occaſio adeò breuis eſt. Quare maximè medicum laudat Hip. qui in morbis acutis, à quibus plurimi moriuntur excellat. Rõ intentionis. Primo acutorum.

Non eſt capax diuiſionis hic Aphoriſmus ob breuitatem. Diuiſio.

Natura diu magnos labores ferre nequit. Demonſtratio.

Acuti morbi labores magni ſunt.

Illos natura diu ferre non poterit. Ergo

Sed experientia docuit, hunc terminum non tranſcendere quattuorde-

 cim

cim dies continuos. Igitur intrà hos ſpacium finietur acutorum impetus.
Maior, & minor clara per ſe ſatis ſunt.

1. adnotatio. Quòd per acutum morbum illũ intelligit, qui magnus eſt, & celeriter mouetur. Iudicium autem hic accipit talem morbi mutationem, vti iam euidenter de morborum exitu pateat; non enim omnes acuti morbi ſubito ſoluuntur; ſed aliqui paulatim, vt pleuritis, & peripneumonia. Ideò hic iudicatio non ſolum mutationem ſubitam ſignificat: ſed quamcunq. inſignem: dicitur autem fieri quattuor, & decem diebus, non quod neceſſariò ad eum terminum ſint peruenturi omnes acuti ſed quod intrà illũ terminantur autem aliquando intrà quartum, vt peracuti exactè, intra ſeptem verò peracuti non exactè: à ſeptimo autem ad quattuordecim acuti ſimpliciter. Modum uerò hos terminos dignoſcendi ſcripſit Hippocrates cum ait (r. huius. 12.) acceſſiones, & conſtitutiones.

Altera animaduerſio. Quòd acuti morbi, quidam ſunt continui, & vniformes qui ſtatim uigent, & perſeuerant in ſuo illo uigore. Alij ſunt difformes, & interpollati. De primis intelligit hic; nam non poteſt natura continuos labores, & magnos vltrà dies quattuordecim tolerare, qui quidem dies numerandi ſunt non ſolum à principio morbi, ſed à principio uehementiæ morbi. At morbi interpollati acuti ad quadrageſimã diem ſeſe extendere poſſunt, ut ſcripſit Hip. (In 1. Prognoſticorum.) Laudans bonam reſpirationem, quę in acutis morbis fit intrà quadraginta dies iudicationem habentes. Acutus igitur morbus quattuordecim diebus iudicatur. vt acutus ex decidentia iam iudicatus eſt, quia ex ſua acutie decidit; quod Hip. inter iudicationem reponit. Sed dices Anaxion cum pleuritide ad trigeſimum peruenit ſine inſigni mutatione; cũ tamen Hip. velit pleuriticum morbũ iudicari intra quattuordecim dies; alioquin in ſuppurationem tranſire. (3. Epidemiorum. Cõmentario 3.) Dicendum Anaxionem pleuriticum iudicatum eſſe vndecima iuxta ſenſum huius aphoriſmi; quia eo die ſudauit, & exſpuere cępit, qua dicitur inſignis mutatio. Cum uerò ſcribit Hip. pleuriticos ſuppurari, niſi intra quattuordecim dies ſuprà repurgentur, numerari oportet dies, non à principio morbi, ſed à die, quo exſpuere cepit. qui quidẽ fuit vndecimus: & ubi ad uigeſimumquartum deuenit, ferè erat expurgatus, licet nõ in totum; non enim vult Hip. eos ex omni parte expurgari debere, vt fugiant ſuppurationem intra quattuordecim dies; ſed ſufficit ſi maiori ex parte repurgentur.

3. adnotatio. Quod morbus acutus, quidam eſt cum febre coniunctus, alius verò ſine febre. Rurſus cum febre, vel habet eam febrem ſine inflammatione, vt cauſon, ſinochas, uel cũ inflammatione, ut pleuritis, angina, phrenitis. Morbi acuti ſine febre ſunt apoplexia, conuulſio, epilepſia. Sed dices apoplexia, & epilepſia longo admodum tempore iudicantur: ergo nõ omnis acutus morbus habebit præſcriptum terminum quattuordecim dierum. Dicendum apoplexiam iudicari, ideſt magnam mutationem efficere intra illos dies

dies, uel ad paraliſim, uel ad excitationem, uel ad mortem. De Epilepſia dicimus, eſſe acutum morbum ſolùm in acceſſione, quæ intrà paucas horas indicari ſolet.

APHORISMVS VIGESIMVSQVARTVS.

Index ſeptimi quartus, &c.

CVM in antecedenti Aphoriſmo de tempore euentus in acutis morbis tractaſſet quattuordecim dies ſtatuens. In præſenti modo de diebus contemplabilibus agit in eiſdem malis. cõnexio.

Dies in acutis contemplabiles ſunt quartus, ſeptimus, undecimus, decimuſquartus, decimuſſeptimus, & uigeſimus. Intẽtio.

Vt Medicus dies cognoſcat, in quibus inſignes mutationes fiunt, & ut oſtendat ultimum terminum in acutis eſſe uigeſimam diem ſi continue affligant. Rõ intentionis.

Cum hęc ſententia unim habeat concluſionem non eſt cur à nobis diuidatur. Diuiſio.

Illi dies in acutis ſunt maximè conſiderandi, in quibus inſignes mutationes fiunt. Demonſtratio.

Sed in quarto, ſeptimo, undecimo, decimoquarto, decimoſeptimo, & uigeſimo inſignes fiunt mutationes in acutis.

Ergo in illis illi dies à Medico magnopere ſunt animaduertendi.

Maior per ſe nota eſt. Minor, ut experientia comprobata accipitur, ab Hippocrate.

Quòd dies contemplabiles ſunt in triplici differentia, alij indicatiui dicuntur, alij iudicatorij, alij denique medij. Indicatorij ſunt quartus, undecimus, decimuſſeptimus. Iudicatorij uerò ſeptimus, decimuſquartus, uigeſimus. Intercalares ſunt tertius, quintus, nonus, decimuſtertius, decimuſnonus, & uigeſimuſprimus. Cæterum dies indicatiui, quaſi præcones ſunt eorum, quæ in iudicatorijs fieri debent. Nam quarta, quid in ſeptima: undecima, quid in decimaquarta: decimaſeptima, quid in uigeſima fieri debeat, demonſtrat. Et dicuntur indicatiui, non quòd in illis criſis non fiat; ſed quòd magis, indicent, quàm iudicent. Dies iudicatorij ſunt: in quibus potiſſimum fiunt criſes, & illę magis ad bonum. Dies autem intercalares ſunt illi, in quibus natura, uel anticipans, uel poſtponens morbum indicat, uel iudicat. Prima animaduerſio.

Quòd in febribus continuis ſupradictos dies cõtemplatur Medicus, ita, ut ſunt. Sed in intermittentibus ſolum dies acceſſionis, ut quemadmodum in illis, quarta eſt index ſeptimę; ita in his quarta acceſſio ſit index ſeptimæ acceſſionis, & ueluti ſeptimus dies in illis eſt indicatorius, ita in his ſeptima Altera adnotatio.

ma acceſſio iudicat: Illud verò non ignorandum, quòd vſque ad uigeſimũ diem, quaternarij ſunt potentiſſimi; quia in eo ſpacio uis robuſta eſt, & magnæ fiunt differentiæ per quaternaria: at poſt uigeſimum vis quaternarij deficit, quia languidior iam natura, ideò magis mutatio fit per ſeptenaria, ſicut poſt quadrageſimum euaneſcit eadem ratione vis ſeptenarij, & magis uigenarij indicant; ſunt tamen duo potentiſſimi dies in acutis ſeptimus & quadrageſimus; ille enim primus eſt acutorum terminus, hic verò vltimus, primus enim eſt quattuordecim dierum, ſecundus viginti, tertius quadraginta.

3. animaduerſio. *Quòd naturæ impetus ſolent fieri per dies impares; trahit enim natura ut ſcripſit Hip. in die pari, expellit uerò in impari. Quarè fit, ut morbi,* 4. de morbis. *qui per dies pares habent acceſſiones ſint difficilis iudicij; & febres, quæ in* 4. Aph. 7. *imparibus non ſoluuntur recidiuas faciunt, Ideò mala iudicia fieri ſolent in ſexto, octauo, duodecimo, & decimoctauo. Sed dices, ſi impar dies eſt iudicatorius, ergo decimus tertius, & non decimusquartus, itemq; decimusnonus, aut uigeſimusprimus erunt indicatorij, non autem decimusquartus, & uigeſimus. Dicendum decimamquartam diem, & uigeſimam eſſe impares, quia ſunt fines ſeptimanæ. Secunda enim ab octaua die numeratur; tertia verò à decimquarta. Cæterùm dies quarta habet rationem imparis, quia eſt ſeptimæ dimidiũ; quæ quidem quarta dies rarò admodum iudicat, & ſi quid boni habet, illud tertiæ tribuendum, quia oſtendit, quid in tertia factum eſt. Cæterum dies, quemadmodum menſes, & anni non æqualiter* 3. Prognoſticorum. *numerantur, vt ſcripſit Hip. Tunc fit, vt tres ſeptimanæ ad uigeſimum terminentur, & non ad uigeſimumprimum; itidem Sex ad quadrageſimum accidit autem hoc ob varietatem motus, Lunæ, & Solis.*

4. adnotatio. *Quòd dies critici intrà menſem Lunarem à Luna reguntur: quocirca cum Luna uigintiſeptem diebus, & octo horis circuitum perficiat; diuiſo eo tempore in partes quattuor, fient dies ſex, & horæ uiginti. Itaque primus dies criticus in ſeptimũ incidit, ſecundus in quartum decimũ, ſcilicet dies tredecim, & horas decem, & ſex. Tertius in vigeſimamprimam, ſcilicet dies viginti, & horas duodecim. Ex his ſeptima dies in acutis ualidiſſima; concurrentibus duabus cauſſis validiſſimis, motus uidelicet Lunę, & motus morbi. Poſt hunc decimusquartus, qui dimidium eſt totius ambitus Lunæ. Dies autem extrà menſem à Solis motu ſumuntur. Verum Hip. his veluti experientia comprobatis magis, quàm ratione aliqua fidem habere voluit.*

5. animaduerſio. *Quòd numerus dierum diuerſa ratione fit; aliquando enim numeramus* 3. Prognoſti. *ab ea hora, in qua ſenſibiliter homo malè habet: aliquando ab illa hora, in qua morbus maximè viget: aliquandò uerò ab aliquo accidente, à quo morbus pendet, ut in abortu, & partu, ſi ſuccedat acutus morbus aliquis interpoſitis diebus vult Hip. à die partus computationem eſſe faciendam.*

Cum

Cum igitur tria iſta principia concurrunt, nullus contingit error in rationenumerandi. At ſi non concurrant, poteſt numerari vnus dies pro alio, & ſic dies ſeptimus videbitur ſextus, aut octauus. Contingit etiam error ob Idiotas, qui primam diem morbi non rectè accipiunt. Si enim quis agrotauit prima die menſis ad veſperã, numerant illam diem vnam; cum vna dies ſit accipienda vigintiquatuor horarum ab ea hora, in qua cacidit homo. Ex hoc contingere poteſt, vt dies ſeptima videatur octaua; quæ quidem omnia ſunt à Medico conſideranda.

Quòd vis diei iudicatorij tanta eſt vt niſi morbus in eá iudicetur etiã cum bonis ſignis recidiua ſit expectanda: & ſi Criſis in ea die fiat etiam ſine coctione, tum magnæ ſit efficaciæ, ad tutam enim, & fidam criſim duo requiruntur, coctio, & dies cõtemplabilis aliquis. Ideò ſcripſit Hip. morbos, qui neq cum ſignis ſalutaribus, neque in diebus iudicatorijs deſinunt, plerumque recidiuam efficere. Quinta adnotatio. 1. Prognoſticorum.

APHORISMVS VIGESIMVSQVINTVS.

Aeſtiuæ Quartanæ plerumque breues.

C*VM. in ſuperioribus de duratione acutorum morborum tractaſſet. Nunc de longorum euentu pertractat, & loco exempli Quartanam aſſumens.* conexio.

Aeſtiuæ quartanæ plerumque breues. Autumnales verò, & quæ ad hiemem pertingunt, longæ. Intentio.

Vt vno propoſito exemplo morbi longiſſimi, demonſtret omnes morbos in æſtate breuiores eſſe, quàm in alijs temporibus, præcipuè. Autumno, & hieme. Præterea, ut oſtendat ſalubriorem fore æſtiuum Quartanam, quàm hiemalem. Rõ intentionis.

Hæc ſententia in duas partes ſecatur. In prima de Quartana æſtiua concluſionem ponit: in altera verò de Quartana autumnali, vel hiemali. Diuiſio.

Quo tempore Quartanæ cauſſa eſt mitior, calor intenſior, habitus corporis rarior citius ſoluetur. Demõſtratio.

Sed Quartana in æſtate cauſſam habet mitiorem: calor eo tempore maior, & habitus corporis Laxior. Ergo

Aeſtiua Quartana breuior, quàm autumnalis, & hiemalis, & per conſequens morbi in æſtate breuiores ſunt.

Maior per ſe clara eſt, Minor autem probatur ex parte cauſæ, quia humor Quartanam creans ſubtilior eſt in æſtate, quàm in Autumno. Reliqua vera aperta ſunt.

Quòd Quartana duplex eſt, altera exquiſita, altera notha. Exquiſita oritur à melancolia naturali, uel ſanguine per æſtatẽ exaſſato ad autumnum. 1. animaduerſio.

num. Notha fit ex bile aduſta, vel ex cruditatibus in pueris, & Adoleſcentibus ex praua victus ratione. In æſtate igitur magis fiũt nothæ quartanæ, ideò cauſa facilior. Accedit calor æſtatis fundens humores, ac liquans; & per ſudorem trãſmittens rarefacto corpore (Quartana enim plerumque ſudore iudicatur) quod nec autumno, nec hieme cõtingit, nec enim calor adeſt fundens. & humores frigidiores ſunt, & magis ad interna mouentur. Quamuis autem innatus calor ſit hieme maior quãtitate, & ideò ad alimentorum coctiones aptior, non tamen ad fundendos, et relinquẽdos humores æquè potens, ut æſtiuus, auctior in qualitate. Quare uidemus apoplexiam, & conuulſionem magis requirere, vt ſanentur, extraneum, ac febrilem calorem, quàm naturalem, hic enim aptior ad coquendum alimentum, ille ad reducendum humorem ad temperiem ad fundendum, excernendumuè.

Altera adnotatio. Quòd Quartana, alia eſt ſimplex, ideſt nullo alio effectui cõiuncta: alia compoſita, quæ ex tumore lienis enaſcitur. Rurſus vtraque uel eſt intermittens, uel continua. Intermittens aut eſt vnica, aut duplex, aut triplex. Vnica quarto quoq. die corripit. Duplex autem, bis intra quattuor dies. Triplex uerò ter intra illud ſpacium. Quartana igitur continua, vel triplex admodum periculoſa eſt: minus duplex. Quartana verò cum tumore lienis, periculum eſt, ne ad hidropem tranſeat. At vna Quartana ſimplex ſecuriſſima eſt, licet lõgiſſima, non ſolùm ipſa in ſe teſtimonio Hip. ſed à magnis morbis liberat: in ſenibus tamen non uacat periculo; maximè autumnalis. Cæterum hibernas quartanas ſcripſit idem Auctor, tranſire in acutos morbos, quia temporis frigiditate augetur, & fit continua, aut triplex tranſiens in morbum acutum.

3. animaduerſio. Quod omnes morbi citius terminantur æſtate, quam hieme, ſeu ad ſalutem, ſeu ad mortem. Ratio primi, quia materia eſt calida eo tempore, & facilè extenuatur, atque excernitur adiuta ab ambiente. Ratio alterius, quia æſtate citius putreſit corpus, & magis debilitatur. Ideò ex capitis vulnere ſi quis moriturus eſt teſtimonio Hip. citius moritur æſtate, quàm hieme, & citius eo tempore febris corripit. Nec ex hoc tollitur ueritas eius, quod ſcripſit bene ſe habere morbos calidos ad tempora frigida, quia non dicimus morbos eſſe minus periculoſiores æſtate, ſed breuiores. Cæterùm de temporibus anni in comparatione ad morbos loquens Hip. aptiſſimum (ait) eſſe ad peſſimos, & ueruſtiſſimos morbos ſubmouendos uer, & æſtatem, & maiorem commoditatem præſtare, quàm autumnum, vel hiemem. Sed dices Quartana autumnalis, quia tempori cognata eſt deberet eſſe breuior, & minus periculoſa. Sed & æſtiua tempori cognata eſt, ut legitur apud Hippocratem. Præterea etiam ſi eſtiua non eſſet cognata temporis, non ſequeretur eſſe breuiorem autumnalem, quia comparatio illa trigeſimiquarti aphoriſmi debet fieri inter morbos æquales.

De capitis vulneribus. 3. Aph. 3.

Li. prædictionum.

Per Aph. 34. huius. 3. Aphor.

Quòd

Quòd cõtingere poteſt æſtiuam quartanam eſſe longiorem autumnali, & hiemali, ſed raro, quando illa ex aſſato ſanguine oritur eo tempore; hæc verò ex mala victus ratione. Solet autem per morbos acutos fieri abſceſſus ad quartanam, vbi febris elongatur ſine inflammatione, aut alio ſignò malo, & maximè ſenioribus, ſi ad Autumnum appropinquet, & erratico modo apprehendat. 4. animaduerſio. 3. Prognoſti.

APHORISMVS VIGESIMVSQVINTVS.

Conuulſioni febrem accedere.

C*VM Quartana in ſe ad conuulſionem habeat, vt ſuperueniens ipſi illam ſoluat; ideo occaſionem nactus, cũ in ſuperiori de quartana tractaſſet, nunc de conuulſione agit; docens quomodo ſe habeat ad febrem.* cõnexio.

Melius eſt febrem ſequi conuulſionem, quàm è contrà. Intentio.

Vt oſtendat unum morbum per alterum curari poſſe. Quare licere Medico aliquando ad vnius morbi curationem alterum inducere. Deinde, vt hoc vno exemplo doceat morbos frigidos a febri iuuari. Rō intentionis.

Aphoriſmi breuitas nequaquam diuiſionem patitur. Diuiſio.

Febris conuulſioni ſuccedens plerumque illam ſoluit. Demonſtratio.

Conuulſio febrem ſequens, malum auget. Ergo

Melius eſt, vt conuulſio febrem antecedant, quàm èconträ.

Conſequentia eſt manifeſta. Antecedens probatur; quia febris conuulſioni ſuccedens bona eſt dupliciter, & vt ſignum, & vt cauſſa: vt ſignum, quia oſtendit conuulſionem fieri à repletione: ideò eſſe ſanabilem, ut cauſſa, quia humores coquit, & attenuat, ex quibus conuulſio naſcitur. At conuulſio febri adueniens mala eſt vt ſignum, quia oſtendit a ſiccitate fieri, quæ eſt pernicioſa; & ut cauſſa, quia auget malum.

Quòd conuulſio eſt accidens, per quod membra magna vi contrahuntur, aut inordinatè mouentur: ideò, quædam eſt cum motu manifeſto, vt epilepſia, quædam cum occulto, vt diſtenſio; per quam corpus ad anteriorem, vel poſteriorem partem flectitur, vel erectum manet. Cauſſa huius affectionis duplex ponitur ab Hip. neruorum ſcilicet repletio, & inanitio, præter quas alia ponitur tertia cauſſa, humorũ malignitas; nerui enim diſtẽduntur nimium madidi, aut exſiccati, veluti cordæ, & funes; aut aliqua pungenti illos qualitate, quę ita aduerſa eſt membo, vt cogat illum retrahi; non ſecus ac puncti vermes contrahuntur. Cæterum repletio, quæ conuulſionem facit, non ſolum eſt humoris, ſed craſſi flatus, qui in neruorum propagines inſilens, illas non ſecus, atque citharæ cordas, implet. Probabilius autem eſt cõuulſionis cauſſam flatum iſtum ſtatuere, quã humorem craſſum, nec enim poſſet ſolui diſtenſio inter quattuor dies ſi ab humo- Prima animaduerſio. 6. Aphor.

re im-

rei imbibito fieret; nec diſtingui poßet à paralyſi, quam ex craſſo humore in neruis impacto fieri ſtatuat, nec ratio facilè redderetur cur in reſolutione tollitur motus & ſenſus in conuulſione: verò minimè ſub eadem cauſſa ſunt. Auicenna vult fieri utramque paſſionem ab humore frigido, ſed imbibi in paralyſi, in conuulſione autem impactum eſſe, & craſſiorem: quod falſum uidetur, quia ex vini potu fit conuulſio replente uino ipſos neruos. Alij dicunt fieri conuulſionem ab impacta in principio nerui materia; ſed in paralyſi eſſe per totum neruũ imbibitam; Cardanus ait in conuulſione eſſe materiam in cauitate nerui, at in paralyſi in illius ſubſtantia: ſed hoc ſcripſit Auerroes non eſſe ſcibile, cur eadem materia eodem loco poſita, modo faciat paralyſim, modo conuulſionem. Eadem de epilepſia, & apoplexia eſt dubitatio. at ſi ponamus flatum materiam conuulſionis, humorem verò paralyſis, & apolexiæ facilè ſoluitur quæſtio. Sic epilepſia, plerumq. ex flatu oritur, apoplexia ex craſſo humore.

Altera adnotatio. Quòd febris conuulſioni ſuperueniens eam ſoluit, at nõ quæcunq. febris id efficere poteſt; nam magna uires diſſoluit; parua non ſufficit ad flatus, uel humoris diſſolutionem. erit ergo talis febris, quæ cõuulſionem, & apoplexiam curare poteſt, qualis quartana, de illa enim ſcripſit, quòd conuul-
5. Aphor. 70. ſionem tollat. Num uerò Medico liceat inis morbis febrem excitare, negant aliqui quia difficile eſt, ita proportionatam inducere, & periculoſum
In Epidemio. ſi vehemens excitetur; ueluti in Numeni Filio excitata eſt febris cũ apoplexia laboraret, interijt tamen ille. Sed non ob hæc terreatur Medicus, ſed naturam imitando, febrem excitare debet, etiam ſi ſit periculoſũ, quia
2. Epidē. ſect. 5. morbus eſt extremus. Exempla habes apud Hippocratem, febrem excitantem in conuulſione. Sed dices, quomodo natura poteſt excitare febrem in apoplexia, & conuulſione, cũ rigeat uniuerſum corpus, & fere extinctũ habeat calorem. Dicimus non ſecus, ac per rigores febres excitantur, ita in illis affectibus excitari poſſe à natura attracto ĩ principio calore ad cor; inde impetu aſſurgenti. Cæterum modum excitandi calorem in conuulſio-
5. Aphor. 21. ne, licet periculoſum oſtendit Hip, ex multa frigidæ profuſione. ſed ſupponit iuuenem bene carnoſum, in media æſtate, & ſine vlcere, hoc eſt vulnere, febris enim non ſoluit conuulſionem ex vulnere, vel inflammatione.

3. animaduerſio. Quòd conuulſio, quę febri ſuperuenit, vel illi aduenit in principio repletis neruis, aut in fine iam exſiccatis. Primo modo ſi accidat poteſt ſoluere
In Coaicis. febrem; de hac ſcripſit Hip. in Coaicis dicens conuulſio febri ſuperueniens eam ſoluit eodem die, aut poſtero, aut tertio: aduenit autem pueris potiſſimum tranſlata ad neruos materia. At ſi febri acutæ, & in fine maximè iuuenibus, & grandioribus cõuulſio accidat, ferè lethalis eſt; quia exſiccata neruorum ſubſtantia, non amplius refici poteſt: ſed quocumq. modo ſuperueniat conuulſio febri, peius eſt, quàm è contrà, nam licet in principio adueniat, & febrem ſoluat, maius tamen malum eſt, quàm febris: ſed ali-

quando

quando contrarium accidit, melius enim eſt conuulſionem à repletione febrem ſequi, quam malignam febrem ſequi conuulſionem.

APHORISMVS VIGESIMVS SEPTIMVS.

Iis, quæ præter rationem curant &c.

CVM Hip. multa hactenus de Prognoſtico tractaſſet, & poſt hac de eodem multa dicturus ſit. In hoc aphoriſmo celebrem animaduerſionem affert, circa prædictionem, veluti fecit in decimonono. Cõnexio.

Signis, quæ non ſecundum rationem fiunt, parùm eſt fidendum. Intentio.

Vt nõ temerè Medicus ex quacumq. leuitate, uel grauitate morbi pronunciet: & propterea ob morbi mutationem, irrationabilem uictus rationem mutet, atque ægrum perdat. Quare, & ad prædictionem, & ad curationem vtilis eſt hæc ſententia. Rõ intentionis.

Bipartitò diuiditur aphoriſmus, nam primò ponit concluſionem intentam, deinde verò rationem affert ſuæ intentionis. Diuiſio.

Iis, quæ inſtabilia ſunt, & parùm durant, Medicus fidem adhibere non debet. Demonſtratio.

Sed inſida, & præter rationem ſigna inſtabilia ſunt, & parum durant. Ergo

Inſidis ſignis parum fidendum, ſeu ad bonum, ſeu ad malum.

Maior certa quidem eſt. Minor verò oſtenditur; quia ſi præter rationem fiunt cauſam habent non perdurantem, dummodò morbus ſecundum rationem ſit, & conſtans, quia in alijs durare poſſunt.

Quòd ſignum triplex eſt in ſignificando; quoddã enim eſt omninò fidũ, & rationale; aliud omninò infidum, & irrationale. Tertium partim fidum, partim infidũ. Alleuatio igitur, quæ fit in die critica pręcedente coctione, & euacuatione omninò fida eſt ad bonum; Sicuti grauitas, quę cruditates ſequitur ad malum; ſignũ omninò in fidum eſt ſi apparente coctione, et euacuatione morbus ingraueſcat, uel nullo ex ijs apparente leuetur; neutrum ſignum eſt alleuatio ſine coctione ſed in die critica, uel apparente coctione verùm ſine euacuatione; uel apparente coctione, & euacuatione, ſed non in die critica, ueluti grauitas altero illorum deficiente. De ſignis autem omninò infidis loquitur hic Hip. in quibus fides nulla, aut parua admodum habenda, immò irrationalia ſigna quò peiora, eò meliora, quò ad melius eo peiora. Signis verò omninò fidis prorſus credendum: mediocriter autem medijs. Prima animaduerſio.

Quòd ſigna irrationalia ſunt in duplici differentia, vel enim apparent in morbo uniformi ſuam ſeruante naturam, uel in morbo difformi. Morbus vniformis eſt, qui ſigna ſuę naturę conuenientia ſeruat, ut ſitis, vigilia in Altera adnotatio.

ardenti

ardenti febre: ſed ſomnus, & ſitis carentia in ea, ſi appareat iam, non eſt cauſon exquiſitus, ſed difformis. Sitis ergo eſt ſecundum rationem in cauſone, prȩter rationem uerò carentia ſitis. Vniforme igitur ſignum fidum eſt; at difforme infidum, ſi parum duret, & ſubito adueniat. Verum ſi ſignum difforme duret, & à principio inuadat, tunc potens eſt inditiũ ad malignitatẽ morbi ſignificandam, & illis Medicus fidere debet; quòd iam non ſunt inſtabilita, Sed quemadmodum morbo uniformi, ſunt difformia; ita difformi ſunt uniformia, & ſecundum rationem. Id indicauit Hip. dicens, eſſe inſtabilia, nec durare ſolere, quaſi dicat ſi durauerint, ſeu ad bonum, ſeu ad malum, fides illis habenda.

Altera animaduerſio. *Quòd multȩ ſunt cauſſȩ cur cum bonis ſignis ingraueſcat morbus, cum malis uerò leuetur. Id enim contingit, uel à cauſſa externa, vt temporis mutatione; animi accidentibus; errore in victu; uel accidit à cauſſa interna, propter pugnam naturȩ cum morbo; in ſeparatione humoris, ut in critica turbatione; uel ob inȩqualitatem materiȩ, vt pars una ſuperetur altera nequaquam; vel ob materiȩ malignitatem, quam quidem non audet natura aggredi. Sed dices Hip. in malignis morbis faciem bonam laudant; & prȩter rationem extenuatam damnauit in paruis, & iſta non ſecundum rationem ſunt, & tamen illis credendum aſſeruit. Dicendum illa ſigna infida non eſſe, quoniam quamuis difformia ſint ſupponuntur tamen ab Hippocrate durabilia locis citatis. Hic autem infidum ſignum ſupponit, quippe quod ſubito fit, & parum durat in morbo vniformi. Cuius generis ſunt critica ſigna, prȩcedente coctione, quȩ quidem licet in ſe mala ſint, reſpectiuè tamen bona ſunt.*

In Coacis. 1. Prognoſticorum. 6. Epidemio. 2.

3. animaduerſio. *Quòd Medicus tunc mutare debet operandi modum, cùm ſecundum rationem morbus mutatur: at cum prȩter rationem, nequaquam, ſed benè ſpeculanda cauſſa, & perſiſtendum quoad exitus pateat, prȩcipuè uerò nil moliri debet, quando prȩter rationem fit grauior morbus. id rectè explicat infra Hip. Non ſi recta ratione gerenti omnia ſecundum eam minus ſuccedat, protinus eſt ad aliud transeundum. Cȩterùm infida ſigna plerumque in morbis malignis viſuntur, quo fit, ut in illis ſalutis, aut mortis prȩdictiones non ſunt tutȩ.*

Aph. 52.

APHORISMVS VIGESIMVSOCTAVVS.

Febricitantem, non omnino leuitur.

cõnexio. CVM in ſuperiori aphoriſmo Hip. ſtatuiſſet non eſſe fidendum ſignis irrationalibus. Nunc ſignum ſumit à corporis conſtantia, ſeu ex tenuatione, quando prȩter rationem fit.

Intentio. *Corporis conſtantia, aut extenuatio prȩter rationem in febre non mediocri*

diocri, malum.

Vt uno ſigno Medicus in febribus, longitudinem, & breuitatem co gnoſcat. Rō. intentionis.

Sententia hæc bipartito diuiditur; primo enim ſuam concluſionem affert; deinde uerò cauſſam ſuæ intentionis. Diuiſio.

Id, quod ſignificat, uel morbi longitudinem, uel uirium imbecillitatem, eſt malum. Demonſtratio.

Sed corporis conſtantia, uel extenuatio præter rationem in febre non mediocri ſignificant, morbi longitudinem uel uirium imbecillitatẽ. Ergo

Corporis conſtantia, uel extenuatio præter rationem in febre non mediocri malum.

Maior per ſe quidem clara eſt. Minor declaratur; nam corporis conſtantia in febre arguit corporis denſitatem, & frigidorum humorum copiam, ſicuti extenuatio præter rationem, humorum tenuitatem, uel malignitatem, corporis raritatem, & ſubſtantiam membrorum facilè diſſolubilem.

Quòd febris, quædam eſt uehemens, quędam leuis, quædam mediocris. In leui febri rarò corpus extenuatur, ſi tamen in ea conſumatur præter rationem magna morbi malignitas ſignificatur. In uehementi autem febre ferè corpus extenuatur, & ualde conſumitur. At in mediocri frequentius utraque affectio contingere poteſt præter rationem. Ideò de hac potius mẽtionem fecit in Aphoriſmo. 1. adnotatio.

Quòd corporis conſtantia abſolutè bona eſt, quando arguit robur facultatis; ſed reſpectiuè mala, cum eſt irrationalis; quia ex ea ſignificatur morbi longitudo. At extenuatio pręter rationem ſemper mala eſt, etſi fuerit extrema, & appareat in primis tribus diebus ſine cauſſa manifeſta, mortalis eſt apud Hippocratem. Vbi igitur corpus conſtat præter rationem, debet Medicus humores extenuare, & calefacere, & habitum rarefacere. At ubi præter rationem extenuatur debet humores in craſſare, habitum denſare, & uirtutem corroborare. Altera animaduerſio. 1. Prognoſticorum.

Quòd ſignum extenuationis, uel conſtantię corporis manifeſtiſſimũ ſumitur à facie. Ideò hanc in primis cõſiderãdam eſſe à Medico ſcripſit Hip. tum quoniam primo ſeſe offert, tum etiam, quia multas partium differentias habeat. Deinde extenuationis ſignum ſumitur a uentre inferiori, ſi quidem ibi etiam manifeſte hoc ſignum patet, quoniam magis in ea parte, quàm alibi uiget pinguedo. Ideò ſcripſit Hippocrates inferius, Partes ad infimam uentrem attinentes, craſſiores eſſe præſtare; illarum uerò extenuationem malum eſſe; & ad infernam purgationem parùm tutam. 3. adnotatio. 1. Prognoſticorum. Apho. 35.

Quòd morbi longitudo non ſolum ex corporis cõſtantia præter rationẽ cognoſcitur, ſed ex alijs ſignis, ut ex ſudore frigido iuxta illud. Frigidi ſudores cum febri. Tertio cognoſcitur morbi longitudo ex cruditate excrementorum, urina enim tenuis, & cruda morbi longitudinem ſignificat. 4 animaduerſio. 4 Aphor. 37.

G Sunt,

Sunt, & multa alia, quæ longitudinem, aut morbi breuitatem oſtendunt; de quibus Hippocrates ſcripſit.

2. Aphor. 12.

APHORISMVS VIGESIMVSNONVS.

In principium morborum, ſi quid &c.

Cõnexio. *CVM ſuprà aſſeruiſſet Hip. non eſſe fidendum ſignis, qui præter rationem grauant, aut leuant, & per conſequens non debere Medicum victus rationem mutare, ob illa (accidunt enim in ſtatu.) Nunc de Medici actione tractat, docens magis operandum à principio morborum quam in ſtatu. Nectitur cũ uigeſimoquarto ubi intrà quattuordecim dies iudicari dixit acutos morbos. Ideò ſtatim à principio ſubueniendum.*

Intentio. *In morborum initijs magis mouendum, quàm in vigore.*

Rõ intentionis. *Vt Medicus aduertat occaſionem remedij, & ſtatim ſubueniat, præcipuè in acutis, antequam natura præoccupetur.*

Diuiſio. *Duas habet partes hæc ſententia. Prima continet, maximè operandum in morborum initijs. Altera verò magis in uigore illorum quieſcendum.*

Demonſtratio *Quo tempore minus affligitur æger, & vires ſunt validiores, magis mouendum.*

Sed in principio minus affligitur æger, uires debiliores, quàm in ſtatu. Ergo

In principio magis mouere oportet.

Maior certa quidem eſt, nam robuſtę uires facilè remedium tolerant, & natura minus afflicta concedit remedio. Minor quoque clara eſt; nam ſi adhuc morbus augeri debet, & uires ſunt fortiores à principio, & morbus minus affligat.

1 animaduerſio. *Quòd hic Hip. non diſtinguit tempora morbi penes coctionem, et cruditatem; ſed penes ipſius morbi motum; qua ratione tria tunc ſtatuit tẽpora, principium, ſub quo continetur augmentum; ſtatus, & declinatio. Cũ igitur in ſtatu natura magis, quàm Medicus morbum ſoluat, Medicus uerò magis à principio; hinc fit, ut quieſcendum ſit à Medico, quando natura maximè pugnat; operandum, quando ipſa nõ ſolet rectè operare, ſi urgeat; quòd eſt in principio; nam Medicus nõ ſolum eſt naturæ imitator, ſed correctior; & operator, quando natura non mouet, ſi neceſſitas urget. ſi mittimus ſanguinem ſtatim à principio acuti morbi; neque in hoc Medicus naturam ullo pacto imitatur, & quieſcit, quando ipſa mouet.*

Altera adnotatio. 4. Aph. 4. *Quòd uerbum illud [mouere,] magnum remedium ſignificat, qualis eſt ſectio uenæ, & purgatio: purgatio tamẽ non ſemper, niſi turgeat materia; ob illud [Concocta medicari, & mouere.] Ideò dixit non eſſe abſolutè mouendum;*

uendum, ſed ſi videtur, vbi occaſio adeſt; tollitur enim, & iugulatur morbus, aliquando remedio ſtatim adhibito. Nec verò negauit hic Hip. non eſſe aliquando mouendum in ſtatu; ſed negat hoc faciendum in prima parte ſtatus, quando natura maximè coctioni intenta eſt.

Quòd uires in ſtatu ſunt debiliores, quàm à principio ratione ſui, ſed ratione morbi ſunt fortiores in ſalubri. Debilitatur tamen uis animalis, magis, quàm reliqua duo ob ſpiritus copiam, quæ magna quidem ad motum requiritur. 3. animaduerſio.

Quòd morbus quò acutior eſt, eò magis indicat à principio operandum, turget enim materia ſemper in acutiſſimis morbis. Quare ſtatim ad remedia ? eniendum iuxta illud, mouendum in ualde acutis, ſi ad ſui excretionem materia inuitet, eodem ipſo die, differre enim in talibus, malum. Quarta adnotatio. 4. Aphor.

APHORISMVS TRIGESIMVS.

Circa principia & fines morborum &c.

CVM in antecedenti ſtatuiſſet Hip. magis mouendū eſſe à principio morborum, quàm in ſtatu eorū. Nunc cauſam affert eius rei, quare ita connectitur hęc ſententia cum ſuperiori, ſicuti cauſa cum ſuo effectu. cōnexio.

Circa initia, & fines omnia imbecilliora ſunt; in uigore uero uehementiora. Intentio.

Vt cauſa ſuperioris ſententię in parte tradatur, ſecundo ut in omni morbo tria tempora perpetua ſtatuat, principium, ſtatum, & finem. Rō intentionis.

Non eſt cur in partes hęc ſententia diuidatur, cum una ſit, & breuis. Diuiſio.

Quo tempore magis affligitur æger, omnia ſunt uehementiora. Demonſtratio.

Sed in ſtatu morbi magis affligitur æger. Ergo

In uigore omnia uehementiora, quàm in principio, & fine.

Maior probatur, quia ſi maiora ſymptomata; ergo maior morbus, & cauſa illis hęc enim ſe inuicem conſequuntur. minor manifeſta eſt ex deſinitione uigoris; tunc enim uiget morbus, cum ad ſummum incrementum deuenit.

Quòd hic non accipitur vigor neque tempus morbi, penes coctionem, & cruditatem, ſed pro illo tempore, in quo magis affligitur ęger. quando igitur ſymptomatum vigor ſeparatur à uigore coctionis non omnia in illo ſunt uehementiora, ut in pleuritide; quando uero cum eo iungitur tunc omnia ſunt uehementiora in eo. Sed dices tu; igitur nòn poteſt ſeparari uigor ſymptomatum à uigore morbi. Dicimus nos, ſe inuicem ſequi illa tria quando unus eſt morbus una cauſa, & ſymptomata propria; at contingit ob diuerſas cauſas, & ſymptomata diuerſa, & complicatos morbos ſeparari; ut in pleuritide, & peripneumonia, ſiue pulmonia. Prima adnotatio.

2. adnotatio. *Quòd Galenus putat in morbo lethali omnia in uigore eſſe uehementiora; at in ſanabili cauſam, & morbum melius ſe habere; quòd ita intelligendum eſt, vt ſint quidem omnia maiora in vigore; ſed cauſa vna cum morbo ſit melius diſpoſita, & benignior. Eſt enim à principio morbus malignior, licet minor; ſed in vigore benignior, licet maior, ſi eger ſit euaſurus. Sed tu dices, in ſtatu maior concoctio; ergò maior putredo, quod patet in abſceſſu, quo enim magis coquitur pus, maior fit putredo. dicendum, quod licet maior ſit putredo ĩ ſtatu, nõ tamen cauſa peius eſt diſpoſita, quia natura ſuperat, & putridum expellit, vt ad quandam deducat mediocritatem.*

Tertia adnotatio. *Quòd uigor ſymptomatum non probibet remedia; imò indicat, quia eo tempore natura ex ſe non ita poteſt contra morbum. Sed uigor coctionis prohibet remedium, quia tunc maximè ſperamus in natura. Sunt tamen quidam morbi, ut peracuti, qui omnia tempora ferè conſuncta habent; alij in quibus unum tempus ſolum ſentitur, reliqua inſenſibilia, ut in ſynocha febre.*

APHORISMVS TRIGESIMVSPRIMVS.

Si à morbo cibum adhibens quiſpiam &c.

cõnexio. *CVM. in octauo aphoriſmo ante Hip. cauſas retuliſſet, cur non reficiuntur conualeſcentes. Nunc quaſi ex illo infert, malum eſſe ſi appetens non proficiat.*

Intentio. *Si conualeſcens cibum ſumens non roboratur, malum.*

Rõ intentionis. *Vt ſignum ponat recidiuæ prænuncium, & propoſitionem inducat ad probandum ſequentem ſententiam: in qua magis laudat in conualeſcenti inappetentiam, quam appetentiam.*

Diuiſio. *Non capit diuiſionem aphoriſmus, cum unus ſit, & breuiſſimus.*

Demonſtratio *Id, quod indicat humorum prauitatem occultam, malum eſt.*

Sed non corroborari à morbo cum appetitu, indicat humorum prauitatem occultam. Ergo

Si à morbo quiſpiam cibum ſumens non roboretur, malum.

Maior manifeſta eſt, Minor oſtenditur; nam ſi appetit, neceſſe eſt ſtomachũ bene ſe habere; cum uerò nõ proficiat, adeſſe inuenies uel prauos humores; uel partium intemperiem, unde rurſu, corrumpatur alimentum, ſignificat.

1. adnotatio. *Quòd in hoc caſu Medicus debet corpus purgare paulatim, & rurſus implere, intemperiem partium tollere, & corrigere, non ſolum manifeſta qualitate, ſed occulta; qualia ſunt, quæ à proprietate agunt, calidum innatum roborare, ſomno, quiete, unctione, frictione, Bono alimento; ſupponit autem hic Hip. ægrum non plus aſſumere quam decet; nam de hoc dictum*

eſt octauo aphoriſmo; quare ſcripſit Hip. qui à morbo bene ſe reficientes nõ proficiunt, ij maligne in recidiuam incidunt. In Coaſcis.

Quòd quemadmodum, quando corpus deficit ex morbo graciléſcit colorem amiſit, obſcure agit, ita cum roboratur, craſſeſcit, coloratur, Hylaris fit, & ad operationes agilius; id contingit, vbi alimentum ſuperatur à facultate; vnde dixit Hip. corroborare, & aſſimilare; at vbi non ſuperatur, diſſimilat, corrumpit, marcorem inducit, quod patet in his, qui malo ſunt habitu præditi. 2. adnotatio. Lib de alimento.

Quod cum coctiones fient male in ventriculo, inteſtinis, & hepate oportet illas partes præcipuè corroborare, & fouere, non ſolùm ijs, quæ intus ſumuntur, ſed quæ extra applicantur. 3. adnotatio.

APHORISMVS TRIGESIMVSSECVNDVS.

Qui aduerſa valetudine, &c.

CVM in antecedenti aphoriſmo damnaret appetentiam Hip. quæ ſine profectu eſt, in præſenti modò ſententia, comparatione facta ad cibi faſtidium, hoc illi præſtare ſtatuit. cõnexio.

Fames in conualeſcenti per initia ſine profectu corporis, in faſtidium incidit, & ècontrà. Intentio.

Vt, quod paradoxum videtur, anteponat cibi faſtidium appetentiæ, et rem præter naturam rei naturali. Rõ intentionis.

Diuiditur in duas partes, in prima de his agit, qui in principio appetũt in ſecunda verò de his, qui cibum faſtidiunt. Diuiſio.

Aucta malorum humorum copia; vel partis intemperie, neceſſe eſt operationem lędi. Demõſtratio primę concluſionis.

Sed conualeſcentibus, qui in principio appetunt ſine profectu, augetur humorum prauitas, vel partis in temperies temporis progreſſu; ergo temporis progreſſu in cibi faſtidium incident.

Maior propoſitio eſt manifeſta, quia omnis exceſſus operationẽ lædit; dummodo ſit in ſignis; Minor probatur, quia cum conualeſcentes ſunt exãgues, & magis appetunt, quam concoquant, cruditates oriũtur, ex quibus corruptiones, & intemperies.

Secunda concluſio à contrario demonſtratur: nam qui à morbo ſtatim faſtidiunt cibum, minus appetunt, quàm concoquãt. ideò temporis progreſſu redit appetentia. Demonſtratio ſecũdæ cõcluſionis.

Quòd appetentia ad faſtidium multipliciter comparari poteſt; uel abſolute, & ſic omnis appetentia, ſaltem ratione ſigni melior eſt, quàm faſtidium; vel habito reſpectu ad cauſam, & ſic faſtidium aliquando melius eſt appetentia, præcipuè in corpore debili, & exangui. nam fames ubi corpus Prima adnotatio.

non roboratur nocet vt cauſa, faſtidium uerò iuuat; nec ſolum faſtidium præſtat fami non naturali in eo cauſa, ſed ei quæ eſt ſecundum naturam, etiam ſi ponatur corpus purũ; quia membra exinanita à morbo magis appetunt, quàm vires conficere poſſint; cõtra faſtidium præſtat fami in principio conualeſcentiæ, non quod diu duret. Ideò dixit in contextu, qui forti inedia, vſi cibum poſtea appetere incipiunt.

2. adnotatio. Quòd in conualeſcenti duo reperiuntur; alterum inanitio, alterum caloris imbecillitas, quæ duo ſibi inuicem contraria ſunt, quia defecta membra multum appetunt; ſed defectus caloris nec attrahere, nec concoquere, nec excrementa expellere eſt aptus. quare processu temporis in faſtidium cibi incidunt, niſi quis parca manu alimentum exhibeat, & membra corroboret.

3. adnotatio. Quod in corpore impuro duplex fames excitari poteſt, altera naturalis vbi ſcilicet ventriculus ualet, ſed in reliquo corpore adeſt cacochimia, alia præter naturam, ubi ventriculus mordaci humore, vel frigida intemperie afficitur. inappetentia quoq. altera naturalis, quoties adſunt humores, vel in ventriculo, vel in venis, quos ſperat natura concoquere. præter naturã verò, cum ita peccant illi humores, vt nullo modo eos natura ſuperare poſſit, in primo caſu, victus adimendus; in ſecundo verò exhibendus, ut in febribus malignis, atque peſtiferis.

APHORISMVS TRIGESIMVS TERTIVS.

In quouis morbo mente conſtare, &c.

Cõnexio. CVM in antecedente magis laudaſſet Hip. inappetentiam, quàm famem in conualeſcenti, ne quis putaret hoc in vniuerſum verũ eſſe, appetentiam cum ratione coniungit, magni momenti aſſerens illa duo in morbis.

Intentio. Mentis conſtantię, & appetitus bona ſunt in omni morbo. contraria verò mala.

Rõ intentionis. Vt ex duobus ſignis ad ſalutem uel mortem ſignificandam, magna pars ſumatur, & ut gloſet antecedentem ſententiam, qua præſtare dixit cibi faſtidium appetitiui.

Diuiſio. Non admittit partitionem aphoriſmi breuitas; niſi ſecare quis uelit in duas partes, penes duas concluſiones contrarias.

Demonſtratio. Quod omnium principiorum robur demonſtrat in omnĩ morbo bonum. Sed mentis conſtantia, & appetentia robur principiorum demonſtrãt. Ergo mentis conſtantia, & appetitus bona in omni morbo.

Maior per ſe patet. Minor probatur; quoniam mens, & in cerebro, & in corde ponitur ab Hip. ideo ex conſtantia illius utriuſq. principij robur ſignifi-

ſignificatur. Appetentia uerò de uentriculi, hepatis, cordis; cerebri uirtute ſignificat: cum enim partes principes ualent, trahunt à uentriculo, vnde fames, quæ cum oriatur in ore uentriculi, per uim cerebri neruis communicata, illius quoq. diſpoſitionem hac in parte demonſtrat.

Quòd triplex eſt genus ſignorum potentiſſimum ad prædicendum; alterum ſumitur à coctione, ad ſalutem; alterũ à prauitate, et corruptione, ad mortem; alterum à cruditate ad morbi longitudinem, & unum quodq. illorum ab excrementis petitur. ſuccedunt poſtmodum ſigna maximè uniuerſalia, quę licet non ita certa ſunt, tamẽ ualde magnam uim habent ad prædictionem; cuiuſmodi ſunt hæc duo, appetentia, & mentis cõſtantia; quibus ſi addatur bona reſpiratio erit confirmata ſpes ad ſalutẽ; ſicut ad mortem, ſi omnia hæc in morbo male ſe habeant. 1. adnotatio. 1. Progn. 25.

Quòd unumquodq. ſignum diuerſa ratione conſideratum, dicit uel proprium, uel commune. urina igitur & ſudor in uenarum paſsionibus propriæ dicũtur inditia, at in morbis pectoris communia; ſicuti ſputum & reſpiratio propria in his, cõmunia in illis, ita etiam appetentia propria eſt uentriculi, inteſtinorum, & hepatis. ſicuti conſtantia mentis cerebri. in communi igitur ſignificatione hæc duo ſunt, potentiſſima quoniam maximè uniuerſalia, ideò de illis ſpeciatim mentionem feci; ſi uerò iſta duo inter ſe conferantur, appetentia, & ratio, potẽtior eſt appetentia ad ſalutem, quàm mentis conſtantia, quia pauciores moriuntur ex appetentibus, quàm ex mente conſtantibus nã robur hepatis magis ad ſalutem poteſt, quàm robur cerebri; ſed ad malum, magis poteſt mentis mutatio, quàm inappetentia; quia plures moriuntur ex delirantibus, quàm inappetentibus. 2. Adnot.

Quòd mens hinc ſignificat omnem internum ſenſum ita, ut æger nil præter cõſuetudinem agat, aut imaginetur; augetur bonitas ſi bene ſpirat, quia ſignum eſt non eſſe latentem diſpoſitionem in corpore ueluti ſi ſecundum rationem timeat, ſed pręter rationem timore, aut hilaritas iam ſine mentis conſtantia eſt, illud atræ bilis; hoc bilis inditium cerebrum petentium, eoque magis timendum, quo ęger ex ſapienti fit læuis, & cum eſſet fortis, & conſtans, timidus euadit. Tertia adnotatio.

Quòd bene ſe habere ad ea, quæ conferunt. duplicem intellectum habet, aut ad alimenta, aut ad medicamenta. utroque modo bonum eſt, ut cauſa; quia non ſolum ualere rationem, ſed obedientiam Medici ſignificat ad auxilia, non quod appetere medicamenta, ut cibos ſit bonum, quia ſani illa reſpuunt, ſed ut medicamentum, & remedium appetere hoc, eſt bonum. Quarta adnotatio.

Quòd inappetẽtia multiplex eſt quidam nullos cibos deguſtare poſſunt quàm aſſuetos, alij aſſuetos nõ poſſunt, ſed contrarios, alij appetunt cibos, ſed appoſitos omnino reſpuunt alij nec appetunt, nec aſſumunt. ultimi quidem ſunt peſſime affecti, quia ſignum eſt naturalis facultatis deperditę in Quinta adnotatio.

1.& 3. Epidem. *nutritorijs membris. quare ſcripſit Hip. peſſimũ ſignum concomitans ægros cibi faſtidium in totum.*

APHORISMVS TRIGESIMVSQVARTVS.

Minus periclitant ægrotantes &c.

Cõnexio. *CVM in præcedenti duo valida ſigna ad euentum morbi prædicendum declaraſſet, in præſenti ſententia alterum ſumit ſignum uniuerſale admodum, & ſcitu digniſſimum in eam intentionem.*

Intentio. *Morbus proportionalis naturæ, vel habitui, vel ætati, vel tempori, vel conſuetudini, minus eſt periculoſus.*

Rõ intentionis. *Vt paradoxum afferat nihilominus veriſſimum, minus periculi eſſe in cognatis morbis, quàm in contrarijs, & vt uniuerſale ſignum ad prædictionem ſtatuat.*

Diuiſio. *Non eſt capax ſententiæ huius vnitas, partitionis.*

Demonſtratio. *Affectus ſimilis minus eſt contrarius corpori, ergo minus periculoſus, quàm diſſimilis; antecedens probatur, quia morbus calidus in calida natura minus eſt illi inimicus, quàm frigidus, & à minori cauſa fit; conſequẽs deducitur, quoniam quo minus contrarius fuerit, morbus minus aduerſatur naturæ, quare minus periculoſus.*

1. adnotatio. *Quòd cognatio morbi, vel diſſimilitas cũ referatur in aphoriſmo ad naturam, habitum, ætatem, conſuetudinem, & tẽpus, & vnumquodque difficultatem patiatur. diſcutiendum eſt ſigillatim ad ueritatem aphoriſmi, & primo de cognatione naturæ agendum.*

2. adnotatio. *Quòd natura ſignificat hic quattuor primarum qualitatum temperamentum; hoc duplex eſt, mediocre, uel aliqua excedens qualitate. Corpus igitur temperatum æqualiter ſe habet ad omnem exceſſum, & dicitur ſalubre ſimpliciter in partibus ſimilaribus; quod autẽ excedit ad aliquã qualitatẽ, dicitur inæqualiter ſe babere ad exceſſus, ut calidum magis reſiſtit frigido, ſed minus ægrotat à calido, quia in uniuersũ maior eſt cauſſæ, quæ morbum inducet diſſimilem, quàm cognatum. Sic igitur bilioſa febris magis periculoſa eſt Petro pituitoſo, quã bilioſo, non ſolum prædictam ob cauſam, ſed quia cognatus morbus remediũ minus intenſum deſiderat, quoniam minus a naturali ſtatu diſtat, quàm cõtrarius: Sic et bilioſum in terțiana minus refrigeramus, quã pituitoſum, quia minor diſtantia eſt in illo ad ſuã naturam. At dicet aliquis, quemadmodum aqua calida ad ſuam naturam reducit per internam frigiditatem, ita natura frigida morbum calidum; quare minus cum periculo agrotabit. Dicendum eſt periculum in morbis magis pẽdere ab impreſſione facta, quàm in reductione illius ad naturalem temperiem. Rurſus dices. Conuulſio eſt paſſio ſicca cognata neruo,*

qui

qui ſiccus eſt, & tamen eſt periculoſa magis, quàm humida. dicendum eſt comparationem eſſe faciendam duarum naturarum ad vnum morbũ ita, vt conuulſio à ſiccitate ſit minus periculoſa in neruo ſicciori quàm in humidiori.

Quòd habitus ſignificat corporis conſtitutionem figura, numero, et ſitu; vtrum autem vera ſit ſententia de morbo in compoſitione? negat Gal. ſed aduerſatur Hip. in textu: ſed dices tu, cur primo Epidemiorum moriebãtur magis ex eabe, qui maiorem inclinationem ad illam habebant, cũ contrarium per hanc ſententiam euenire deberet; rurſus in Prognoſtico dicit periculoſum eſſe erectã ſpirationem in acuto morbo, & maximè in peripneumonia, uel pulmonia, cum ſint illa cognata magis in morbis pulmonis, quã in alijs. ad has difficultates facilè ſe explicat Gal. dicẽs hos eſſe morbos in compoſitione, de quibus non loquitur in textu Hip. cum, ut diximus habitum nominet, & ratio aphoriſmi ſit vniuerſalis ad omnem morbum. uicendum igitur ad primum, quod inclinati in tabem facilius incidunt, & facilius ab ea liberantur, moriebantur autem plurimi ex illis in illa conſtitutione quia plures etiã ex morbo corripiebantur ex inclinatis; præterea, erat ibi uniuerſalis cauſa, & epidemica, unde uires ſuperabantur in illis, vt magis debilibus. at contra Hip. laudat in phtiſi pectus quadratum; imò hoc ait vnum eſſe ex ſignis ad ſalutem; dicendum non ob hos minus periclitari, quia licet ad curationẽ ſit facilior morbus in illis ob robur pectoris tamen ad morbi inductionem maior cauſa requiritur ideò magis periclitãtur. Ad illud de Prognoſtico dicimus faciẽdam eſſe comparationem inter morbos eiuſdem generis; imò vnius morbi ad diuerſas naturas, igitur erecta reſpiratio in amplo, & quadrato pectore periculoſior, quàm in ſtricto in peripneumonia ſiue pulmonia, quæ eſt morbus peſſimus, & in ea magis periculoſa, quàm in alijs acutis, quia eam magnitudinem non habent. ſupponit autem æqualem magnitudinem. 3. adnotatio.

Quòd unaqueq; ætas habet ſuos morbos ut longo progreſſu ſcripſit Hip. Sed dicet aliqs, Epilepſia morbus eſt cognatus pueris, & tamẽ periculoſior in illis. Secundo ſputum ſanguinis cognatum eſt adoleſcentibus, et tamẽ docet Hip. magis ex illo mori iuuenes, quã ſenes, quia pulmonum affectiones nõ ita ſunt uehementes ſenioribus, nec febres adeo acutæ, nec uenæ ita denſæ ad expurgãdum. Ad primum dicẽdum, pueros magis mori ex comitali, quia plures eo corripiuntur. Vel dicendum per accidens contingere mori pueros, non quod maior in illis ſit morbus, ſed quod minus reſiſtant. Ad ſecundum dico, magis mori ex pulmonum affectionibus iuniores, non per ſe, ſed per accidens, ratione inflammationis, & febris acutioris, quòd uerò dixit nõ ſequi fluxiones in ſenibus, & diuturnas affectiones illorum comitari ad mortem, non violat ueritatem ſententiæ, aliud enim eſt non concoqui morbũ, vel comitari per totam uitam, aliud eſſe minus periculoſum. Adeſt 4. adnotatio. 3. Aph. Loco citato 4. de morbis.

præterea

prætereà virium debilitas ſenibus, quarum tamen paritatem in comparatione ſupponit Hip.

5. animaduerſio. *Quod quemadmodum ætas vnaquæq; ſuos habet morbos cognatos, ita, & tempora anni. Sed dices æſtiua quartana breuior eſt, & ſalubrior autumnali; & tamen cognata eſt autumni: ſecundo dicit Gal. in eo aphoriſmo omnes æſtiuos morbos eſſe breuiores æſtate ergo minus periculoſi, ſed & Hip. vult periculoſius ęgrotare homines ęſtate, ob virium debilitatē, quæ à quacunque cauſa uincitur. igitur omnis morbus minus periculoſus erit hieme. ad primum dico æſtiuam quartanam eſſe temporis illius cognatā. ad ſecundum dico, quod licet omnis morbus ſit æſtate breuior, non ſequitur*

1. Problematū 25. 26. *quod ſit ſalubrior. ad tertium dico, quod ibi Ariſt. loquitur comparatione ad vires facta, qua ratione maior repugnantia ad malum ſed tamen adeſt calor diſſoluens, & corporum raritas, vnde multi morbi facilè ęſtate iudi*

3. Aphor. *cantur. Sed quæres num robuſti periculoſius ægrotent debilibus. in vniuerſum robuſti quia maior cauſa ad ægrotandum.*

6. adnotatio. *Quòd cognatio mali ad conſuetudinem manifeſte probat hanc ſententiam, ideo periculoſum eſt ſatis, vbi loquax tacet, taciturnus nimis loquitur, vbi modeſtus iraſcitur, aut contrà, ubi pueri vigilant, aut faſtidiunt cibum; valde enim ex his mutata natura oſtenditur poteſt etiam ampliari iſta ſententia ad regiones, victus, ſexus, & artes de morbo cauſa, & ſymtomate, & ſimilitudo vel eſt in omnibus, vel aliquibus. tunc facienda comparatio vtrum vincat ad morbi inductionem, vel reſiſtentiam, aut reductionem ad ſtatum naturalem.*

APHORISMVS TRIGESIMVSQVINTVS.

In quouis morbo ad partes ad vmbilicum &c.

cōnexio. *CVM in antecedentibus de vniuerſalibus ſignis ad prædictionem egiſſet, quæ ex appetentia, mentis conſtantia, & cognatione morbi petuntur, nunc alterum ſignum ſumit in eam intentionem, à ventris diſpoſitione.*

Intētio. *Ventris inferioris craſſities in omni morbo bonum, contrariū uero malum, & ad infernas purgationes parum tutum.*

Rō intentionis. *Vt in hoc ſigno Medicus ad morbi euentum certior fiat, vnde monetur Medicus vt conſideret partes illas tactu, & viſu, & ut illas partes foueat, tanquam neceſſarias ad coctiones, & purgationes.*

Diuiſio. *Paritur hæc ſententia in duas partes, in prima ponit ſignum à diſpoſitione ventris ad bonum, in ſecunda uerò ad malum.*

Demonſtratio. *Quod indicat robur facultatis naturalis in omni morbo bonum eſt. Sed craſſities ventris inferioris indicat robur naturalis facultatis.*

Ergo

Ergo in omni morbo bona eſt,& per conſequens extenuatio mala.

Maior propoſitio patet. quoniam potens eſt vis naturalis ad morbos ſoluēdos magis, quàm cetera; Minor probatur, quia naturalis facultas maximè elucet in ventriculo, inteſtinis, & hepate, quæ omnia in ventre inferiori reperiuntur.

Quòd in uentre inferiori ſunt cutis, membrana carnoſa, muſculi octo abdominis, peritoneum, inteſtina, ventriculus, hepar, lien, Meſereon, & omētum, pertingunt quoq; ſeptum tranſuerſum. vbi igitur hæ partes craſſiores ſunt bonum eſt. & ut cauſa, & ut ſignum, ut ſignum, quia ſignificat non eſſe abſumptam pinguedinem, ut cauſa quia pinguedo eſt quaſi culcitra ad coctionem, qua referta ſunt inteſtina, & omentum, & Meſereon; & extenuatio uentris malum ſignum, quia pinguedo eſt abſumpta; ut cauſa, quia non rectè fit coctio. ad purgationes prætereà inferiores parum tuta eſt, quia inteſtina deſtituta pinguedine facilè abraduntur, & à medicamento, & humore, unde tormina excitantur, & diſſenteriæ; accedit, & muſculorum imbecillitas. 1. adnotatio.

Quòd uenter inferior incipit à mucronata cartilagine, & comprehēdit totum illud ſpacium, quod eſt uſque ad pectinem, & inguina, & diuiditur in tres partes. prima pars eſt ſpaciū illud, quòd eſt ſupra umbilicum; ſecunda eſt umbilicus, & quod circa eum eſt, tertia infima eſt quæ pecten dicitur, ſententia hæc de toto uentre intelligitur, dicitur autem extenuatio reſpectu habito, uel ad mediocre, uel ad naturam ipſius ægroti. quemadmodum in Prognoſtico faciei ſimilitudinem, uel ad ſanos, uel ad ſeipſum conſiderat Hippocrates. 2 annotatio.

Quòd ſuperior pars abdominis præcordium dicitur & tanti fit ab Hip. ut uelit hāc partem in primis contrectandam eſſe à Medico in acutis morbis, ubi n. hyppochondriū eſt & ſine dolore, & tumore, magna ſpes concipitur ad ſalutem, quoniam ſignum eſt ſubſtrata uiſcera non laborare inflammatione, & maximè ſeptum tranſuerſum, quemadmodum ſi fuerint dura cum dolore, & tenſione in acuto morbo mortem ſignificare ſcripſit. quia inflammatio ſignificatur, uel ſepti, uel hepatis, aut uentriculi, uel lienis, uel alterius ſubſtratæ partis, unde in gens periculum. 3. adnotatio. 1. Prognoſticorum.

Quod non ſolum uentris inferioris extenuatio, ſed tumor præter naturam malum eſt ſignum, ſeu durus ille ſit, ſeu flaccidus, nam durities cum dolore, & febre inflammationis eſt ſignum, ſine febre ſcirrhi, uel Hydropis, ſicuti flacciditas ſuperfluam humiditatem denotat. Quarta adnotatio.

Quòd pinguedo in ſe nullam habet manifeſtam qualitatem ſicut oleū, calfacit tamen, quia reuerberat calorem, ut culcitra, & lana, ac capilli, oritur uerò à membranarū frigiditate tentantium uertere in ſuam naturam ſanguinem, at nō ualentium id efficere ſignum huius, mulieres eſſe pinguiores, quia frigidiores. Sed tu dices, cum hæ membranæ ſemper actu caleant, 5. adnotatio.

igitur

igitur pinguedo non poteſt fieri à frigido.ſecundo pinguedo in corde eſt nō mediocris; ergo illa non poteſt generari à frigido ad primam dico, fieri pinguedinem, & ab innata membranę frigiditate, & ab extrinſeco frigore, quia adeps non fit abſolutè à frigido, vel calido, ſed à membri facultate. Cæterum pinguedinem cordis à pericardij frigiditate, & aqua in eo contenta ſeruari, ſicut & gigni à facultate partis eſt dicendum.

6. adnotatio. *Quod tantum poteſt fotus huius ventris inferioris ad ſanandos morbos & præcipuè longas febres, vt ex hoc ſolo ſanari experientia ſit comprobatum; in eo enim uentre doctè, ac uerè omnium febrium intermittētium mineram collocat Fernelius; ad eum etiam locum tranſmittere ſolet natura per abſceſſum humores, pręcipuè in acutis morbis.*

APHORISMVS TRIGESIMVSSEXTVS.

Sana corpora &c.

cōnexio. *CVM in antecedenti de purgatione egiſſet, ſtatuens extenuationem ventris inferioris eſſe ineptam ad medicamenta: nunc corpora ipſa comparat ad illa, docens quomodo diſpoſita ſint ad purgationem.*

Intentio. *Sana corpora, & malo victui aſſueta difficilè ferunt purgationes.*

Rō intentionis. *Vt Medicus abſtineat à medicamento in corpore ſano, & in cacbochimo, parca manu purget.*

Diuiſio. *Duas habet concluſiones hic aphoriſmus; altera ad ſana corpora, & altera ad male nutrita refertur.*

Demonſtratio primæ. *Vbi vis infertur naturæ, facile exolui tur corpus.*

Sed medicamentum purgans in ſano naturam perturbat. Ergo

Sanum corpus facilè à medicamento malè afficitur.

Maior per ſe nota eſt; Minor probatur, quia cum nullus adſit humor peccans in ſano corpore, pharmacum trahit id, quòd eſt naturæ familiare per magnam vim, vnde fit colliquatio, & valida pugna.

Demonſtratio ſecundę. *Corpōra exanguia, ſeu imbecilla cito exoluuntur, euacuata, ſed prauo victui aſſueta corpora, ſunt imbecilla. Ergo*

A Medicamento facilè offenduntur.

Maior per ſe clara eſt; Minor oſtenditur, quia prauum alimentum prauos humores gignit, & partium intemperiem, vnde uirium debilitas innaſcitur.

1. adnotatio. *Quòd triplex ſit in corpore mutatio: alia, in qua natura in totum ſuperat, et dicitur nutritio, ideo nutrimentum eſt, quòd à facultate noſtra euincitur; alia eſt, in qua natura in totum ſuperatur, ideo quod naturā vincit, dicitur venenum, aliud partim ſuperat, partimq. ſuperatur, & dicitur medicamentum. eſt enim medicamentum cōmuniter quidquid naturam noſtram*

ſtram alterat, purgans verò quòd intus aſſumptum, unum, vel plures humores trahendi vim habet; in ſano itaque corpore neceſſe eſt eſſe humorũ miſcellam ita proportionatam, vt neque quantitate, neque qualitate fiat exceſſus. Si quis igitur corpori ita habenti pharmacum exhibeat, armonia illa diſſoluetur & miſcella diſgregabitur, fit ergo cũ labore; primo, quia natura retinet familiarem humorem; ſecundo, quia non habens quid trahat medicamentum, moratur magis in uentriculo, communicans cordi, & cerebro malam qualitatem, tertio, quoniam ad partes ſanas conuertitur, & ſpiritum exhaurit, quæ non accidunt, vbi humor noxius eſt in corpore, cedente natura actioni medicamenti. De natura hominis.

Quòd ſanum duplex eſt, alterum ſimpliciter tale, quòd ſanum ſimpliciter dicitur; aliud uerò, ut nunc tale, quod ſuam habet propriam ſanitatem, de vtroque vera eſt ſententia, quod difficilè ferant medicamenta, quia ad purganda excrementa in his corporibus ſufficit exercitatio, & balneum; at corpora, quæ ſecundum partes malè habent, licet alioquin ſana, vt podagrici, aliiuè, qui per tempora morbis quibuſdam exponuntur, iſta licet ſemel, aut bis in anno purgare ad præcautionem. Sed dicet aliquis, corpora ſana robuſta ſunt; ergo facilè ferunt purgationes, contra prædicta; uerum hoc eſt, ſed quando ægrotant; vt cum ſana ſunt, nequaquam, accedit & diſſimilitudo; vnde etiam illa difficilius admittunt. 2. adnotatio. Gal. de arte Medi.

Quòd corpora malo alimento nutrita ſunt, quæ herbis, uel fructibus ueſcuntur, aut radicibus, item, quę prauas aquas bibunt, & in aere deprauato uitã ducunt: ex his enim corrumpitur habitus corporis, vnde multi Hydropici, Lienoſi, Hepatici, Elephãtiaci fiunt. Quare iſta corpora neceſſe eſt eſſe valde exanguia; at dices, agricolæ prauo utuntur alimento, & tamen ſani degunt. Dico huius cauſam eſſe exercitium validum, & ſomnum longum, à quibus omnibus eorum omnes ſuperfluitates conſumũtur. ex his ergo patet, quantum interſit vti bonis alimentis ad ſanitatem, ſiquidẽ praua, corpora extingunt, & quantum etiam ad ſanitatem conferat labor, & ſomnus, ſiquidem etiam iis, qui malo victu vtuntur ſanitatem conſeruat. 3. adnotatio.

APHORISMVS TRIGESIMVS SEPTIMVS.

Qui integra ſunt corporis valetudine, &c.

CVM docuiſſet in præcedẽti exolui corpora ſanorum ad medicamẽta, ſicuti & quæ prauo ſunt aſſueta victui, nunc idem ipſum de ſanis, ſed magis vniuerſaliter pronunciat. Cõnexio.

Sana corpora moleſte ferunt medicamenta. Intentio.

Vt oſtendat non ſolum exolui ſana corpora ad pharmaca, quod ſuprà dictum eſt, ſed moleſtè ferre omnem medicationem. Rõ intentionis.

Non

ſanari inquam ab his, quæ manifeſte morbo ſunt ſimilia, cùm auide deſiderantur. Quarto ob peculiarem cuiuſque naturam; alij enim caſeum auerſantur, alij cæpas odio habent. Quinto ob longum uniuſcuiuſq. cibi uſum fit, vt natura contraria appetat.

Quòd ex hac ſententia habemus debere Medicũ adulari ægro, dummodo ex illa adulatione magna non ſequatur noxa, quod etiam ſcripſit Hipp. gratificationes, quæ non magnopere lædunt, vt frigida, tonſura, unguẽs, coopertmenta non ob id ullo pacto concedendum, quod ualde lædit, quia ſi quid mali accidat, in Medicum culpa transfertur; ſed præter rationem à plebe calumniatur Medicus, ubi ex ratione adulatur Medicus. Cum verò ex appetitu ægri noxa timetur notabilis, rigidus inexorabiliſque eſſe debet. nam bonus Medicus referente Gal. ægris imperare debet, ſicut Imperator, & Dux militibus ſubditiſque omnibus. 3 adnotatio. 6. Epidemiorum 1. Meth.

Quòd ex hac ſententia reprehenditur moroſus, & ſcrupuloſus Medicus. atq; timidus, non concedens aliquid temporis, regioni, ætati, & conſuetudini; quærenda verò eſt ſuauitas, non modo in cibo, ſed in medicamentis, ferè tamen curatio per inſuauia fit tũ quia magna pars morborum ex obſtructione naſcitur, quæ amaris tollitur, tum quia partes ſanę ſimilia, ęgrę verò contraria appetunt. Sed dices in ardente febre partes appetunt frigida, & tamen ab ea lęduntur. dico per accidens lędi, quia conuertitur in bilem, quod non rarò contingit. Quare ſcripſit Hip. ęgros magis appetere, quę morbo ſunt familiaria. rurſus dices, ſi intemperies pręter naturam appetunt contraria. ergo ſemper obtemperandus æger, ſi morbus ſolum fieret ab intemperie, verum id eſſet ſed multis alijs oritur de cauſis. Sed dices multi febrientes uinum appetunt; ergo ſimilia, dicimus non appeti uinum ratione caliditatis, ſed humiditatis, quod uero nõ magis appetant aquam, aſſuetudo in cauſa eſt. Quarta adnotatio. Lib. de arte.

APHORISMVS TRIGESIMVSNONVS.

Senes magna ex parte &c.

CVM in pręcedentibus multa ſigna à diuerſis ad prędictionem deſumpta ſtatuiſſet, in pręſenti ſentẽtia ſignum uniuerſale in eandem intentionem ab ętate deſumit. cõnexio.

Duas habet concluſiones; prima eſt, ſenes minus ęgrotant, quàm iuuenes; ſecunda ſenes diuturnis morbis apprehenſi ferè moriuntur. Intẽtio.

Vt oſtendat quantum poſſit moderatus uiuendi modus: ſiquidem ſenes licet inualidi, & imbecilles, tali uictu utentes, minus ęgrotant, quàm iuuenes licet robuſti ſint, ſecũdo ut moneat Medicum, ne procraſtinet remedia ſenibus ſed ſtatim à principio occurat. nam ſi diutius morbus perſeuerat, Rõ intentionis.

non

non amplius tolli poteſt.

Diuiſio. *Partitur textus in duas partes; in prima comparat ſenes, ad iuuenes quo ad morbos; in ſecunda verò prædictionem de ſenilibus morbis ſtatuit.*

Demonſtratio. *Qui minus obnoxÿ putredini ſunt, & ſobrÿ viuunt, rarius ægrotant.*
Sed ſenes minus ſunt putredini obnoxÿ, & ſobrius viuunt. Ergo
Senes rarius, quàm iuuenes ęgrotant.

Maior oſtenditur, quia magna pars morborum oritur, vel à putredine, vel mala uiuendi ratione. Minor oſtenditur quia ſenes frigidi ſunt, & ſicci, ideo putredini ualde reſiſtunt, continenter quoq; non ſolum uiuunt, ſed ubi aliquid mali ſentiunt, cuſtodiunt ſtatim ſemetipſos. at iuuenes mala uictus ratione vtuntur, & mala deſpiciunt.

Demonſtratio ſecundę. *Morbi ſoluuntur vel excretione, vel rarefactione, vel coctione.*
Sed hęc aut non fiunt, aut rarò, in ſenibus. Ergo
Morbi longi eos ad mortem vſque comitantur.

Maior eſt manifeſta, quia tres ſunt modi prędicti ſoluendi morbos. Minor demonſtratur, quia illa requirunt ualidum calorem, corporis raritatem, & materię tenuitatem, quæ in ſenibus non adſunt.

Prima adnotatio. *Quòd iſtæ duæ concluſiones veræ ſunt ut plurimum, aliquando tamen falſę. Nam ſenes, qui mala utuntur uictus ratione, vel qui in iuuentute multum deliquere, non rarius ęgrotant, quàm iuuenes, ſecunda quia aliquando per illa tria ſoluitur morbus in ſenibus, vt ſcripſit Hip. ſ. Epidē. ſed illos intelligit qui à iuuenili ętate ſunt connutriti; vel loquitur de prima ſenecta, hic de ultima.*

2. adnotatio. *Quòd hęc comparatio ſenū ad iuuenes multipliciter fieri poteſt, primo, vel ſit in eodem homine, vel diuerſis hominibus, quouis modo uera eſt prima concluſio, ſecundo ad morbos in uniuerſum, & ſic etiam uera eſt; tertio poteſt fieri cōparatio de cognatis morbis, ut minus ęgrotent ſenes morbis frigidis, quàm iuuenes calidis, & hoc etiam modo vera eſt cōcluſio uel fit comparatio quoad pericula, & ſic periculoſius ægrotant iuuenes, quàm ſenes, quoad acutos morbos, cōtra ſenes magis, quam iuuenes in longis. Sed dices morbi frigidi ſunt cognati ſenibus, calidi iuuenibus; ergo periculoſius deberent ægrotare ſenes calido, quàm frigido morbo: reſpondet Gal. omnes mobos eſſe magis periculoſos in extrema ſenectute ob uirium imbecillitatem, licet minores, ſint, iuuens igitur ab acutis magis periclitantur, per accidēs, ratione inflammationis, ſicuti ſenes magis a frigidis eadem ratione, ob virium imbecillitatem.* (margin: ?. Prognoſti.)

3. adnotatio. *Quòd longi morbi ut plurimum ſunt frigidi, vt paraliſis, hydrops, aliquando etiam calidi, ut Hectica. Longitudinis uero morborum cauſa multiplex redditur, humorum multitudo. frigiditas, meatuū anguſtia, intemperies ſicca, uitiata compoſitio, locus excrementis deſignatus, aut cum diuturnus fluxus contingit, uel ulcus, quę omnia cum calorem robuſtum, & ualidas*

lidas vires requirant, neutrum verò ſit in ſenibus, hinc fit, vt longi morbi in illis haudquaquam ſanentur.

Quòd licet ſenes minus ægrotent quam iuuenes, ſunt tamen illis longè inſalubriores, quare morboſiſsimos ſenes appellat Hip. ſunt igitur iuuenes ſalubres, ſenes verò inſalubres. Sed non eſt idem eſſe inſalubre, & actu ægrotare; inſalubre enim duo ſignificat, & quod male ſanum, et quod actu ægrotat, primo modo ſunt ſalubriores iuuenes, ſecundo modo ſenes, quia calorem habent imbecillum, ſanguinem paucum, quare nec febris, nec inflammatio facilè fiunt illis. 4. adnotatio. Lib. 1. de Diæta.

APHORISMVS QVADRAGESIMVS.

Raucedines, & grauedines, &c.

NEXVS huius ſententiæ cum ſuperiori per ſe clarus eſt. redditur enim hic cauſa, cur longi morbi in ſenibus non ſanantur, quod ſuprà dictum eſt. cõnexio.

Raucedines, & grauedines in valde ſenibus coctionem non admittunt. Intentio.

Vt hoc uno exemplo, non ſolum fluxiones, ſed reliquos morbos ferè non ſanari ſenibus vltimis, ſecunda, vt oſtendat maximam morborum partem coctione terminari. Rõ intentionis.

Sententiæ breuitas diuiſionis capax non eſt. Diuiſio.

Vbi vires imbecilles, & calor valde paucus, coctio non fit. Demonſtratio.

Sed in ſenibus extremis vires imbecilles ſunt, & calor admodũ debilis.

Ergo in valde ſenibus fluxionum coctiones non fient, et per conſequens, neque raucedinis, neque grauedinis.

Maior per ſe clara eſt. Minor quoque probatione non indiget. 1. adnotatio.

Quòd raucedo fit ex humectatione aſperę arterię, per quam vox, aut nulla, aut obſcura redditur, oriturque ex fluxione humoris ad laringem huius contrarius eſt clangor, per quem vox ſonora redditur, & ſolet accidere in acutis febribus, cum pernicie ægri, exſiccata humiditate aſperæ arteriæ. Grauedo eſt humoris fluxus ad nares, & Coriza dicitur, ſicuti qui fluit ad palatum humor, catarrhus dicitur. Catarrhi tamen nomine omnem fluxionem à capite intelligit Celſus.

Quod caput ob figuram, & ſitum capax eſt omnis repletionis; accedit cerebrum, quaſi glandula quod exſurgit facillimè, quicquid recipit, igitur vbi amplius continere non poteſt humores, ad ſubiectas partes trãſmittit, nares, palatum, aures, oculos, pulmonem, inguina, articulos; quæ fluxiones in ſenibus non admittunt coctiones: nam Hip. vno exemplo raucedinis, & grauedinis, reliquas fluxiones quoque compręhendit. 2. adnotatio.

3. adnotatio. *Quòd fluxio (referente Hip. lib. de locis in homine) fit & à frigore, & à calore, frigiditas enim venas tendit, & exprimit humorem, quaſi cõpreſſa ſpongia à calore tenuatur humor, & carnes liquantur, & venæ cauantur, quare commouetur humor, cæterum non ſolum fluit humor per meatus manifeſtos, ſed & inſenſiles, ea ratione, qua ſudor.*

4. adnotatio. *Quòd raucedo, & grauedo, uel oriuntur à cauſa externa, vel à cauſa interna, primo modo poſſunt coqui in ſenibus, ſecundo autem nequaquam, quia iam partes ſunt adeò frigidæ, & intemperatæ, vt operationes naturales fere obire nequeant, nec ſolum prædicti, ſed ſeniles morbi non ſoluuntur in ſenibus, quos numerat Hip.* 3. aph. vlt.

5. adnotatio. *Quòd ſenectus duplex, quædam prima, quæ eſt ab anno quinquageſimo ad ſeptuageſimum; alia ſecunda, quæ eſt à ſeptuageſimo ad vitæ finẽ. de ſecunda intelligit Hip. appellans valde ſenes: nam in primis ſenibus bene coqui poſſunt, ſed & in decrepitis, ſi fuerint adiuti Medici opera coctiones fieri poſſunt aliquando. adiuuatur autem coctio vini potu grandioris, & dulcis, boni ſucci alimento. ſomno, quiete, frictione; quod enim per ætatem nõ fit, arte fieri poteſt; vnde refert quidam Leonicenum grauedine laborantem, cuidam citanti hunc aphoriſmum, reſpondiſſe non intelligendum de Medicis, conualuit tamen ille vino, & iure capponorum.*

6. adnot. *Quòd ex hac ſententia colligimus ætatem maximum eſſe remedium, uel impedimentum ad ſanationem morborum; nam infra dixit epilepſiam ſanari ætatis mutatione, hic grauedinem, & raucedinem, per ſe quidem ſanabiles, ratione tamen ætatis non ſanari.*

APHORISMVS QVADRAGESIMVSPRIMVS.

Qui frequenter, ac fortiter, &c.

Cõnexio. *CVM de raucedine, & grauedine in antecedenti ſermonem habuiſſet, easq; non recipere coctionem in valde ſenibus determinaſſet, nec tamen ideo mortales, nunc de malo agit, à quo repentina mors accidere ſolet.*

Intentio. *Exolutio magna, & frequens ſine cauſa manifeſta repentinam mortem affert.*

Rõ intentionis. *Vt hoc vno ſigno mortem prædicat Medicus, & excuſetur, ſi quid molitur tentandi gratia.*

Diuiſio. *Capax diuiſionis, non eſt ſententiæ breuitas.*

Demonſtratio. *Vbi princeps membrum magno morbo laborat, mors ſequitur repentina.*

Sed in frequenti & forti exolutione, ſine cauſa manifeſta magno morbo laborat princeps membrum. Ergo

In tali

In tali exolutione repentina mors expectanda.

Maior per ſe patet. Minor probatur, quia illud accidens, extremam afflictionem denotat cordis, & eò magis ſi à cauſa incognita fiat, quia latet remedium.

Quòd exolutio eſt repentinus quidam virium lapſus, vbi igitur omnes vires repentè cõcidunt, cum ſudore, & coloris mutatione, ſyncopis dicitur, vbi verò deficiunt vires, ſed non totaliter, lipothymia, ſeu defectus animi naſcitur conſtante parumper adhuc motus, & pulſus robore; hic verò Hip. magis de ſyncopi loquitur, quia illa eſt vehemens exolutio. dicitur autem ſine manifeſta cauſa, non quòd ſi fiat à manifeſta, non occidat, ſed quia non ita neceſſario, quoniam cognita cauſa, illius ablatione fortaſſe tolli poteſt per manifeſtam autem cauſam, cognitam intelligit Hip. ſeu illa ſit externa, ſeu interna, cæterum ſolet iſta frequens exolutio ſequi cordis abſceſſus aut validam eius intemperiem, aut veneni praui aſſumptionem. 1 adnotatio.

Quòd cum exolutio ſit virium defectus, vires autem ſint in ſpiritibus, humoribus, & membris, neceſſe eſt fieri ob aliquẽ exceſſum, vel defectum illorum ſecundum quantitatem, vel qualitatem: qualitas verò duplex eſt, manifeſta, & occulta, quot igitur ſunt exceſſus, ſeu quantitate, ſeu qualitate, in illis tribus, tot fient exolutiones ſpecies, ubi igitur membra nimis conſumuntur, aut à longo morbo, aut acuto, vel vbi nimis excedũt, vt ſuffocent, aut vbi qualitate inſigni ſunt prædita, ſyncopis oritur ratione ſolidorum, ſpiritus etiam defectus, aut ſuperabundantia, vel corruptio, ſicut & humorum exolutionem parit. 2. adnotatio.

Quòd ſyncopis pernicioſiſſima eſt paſſio, quia citiſſimè hominem necare poteſt, nec vllum tempus Medico concedit, ideo ſine mora occurrendum illi, cum ne fiat, tum etiam magis poſtquam eſt facta, partes principes roborando epitematibus, odoribus, aquarũ inſperſione, frictionibus, extremorum ligaturis; ſolet etiam non rarò mulieribus ab vtero hæc naſci affectio, vel quod ille ſiccitate membra ſuperiora petat, & ſeptum comprimat, vt ait Hip. vel quod ex ſemine retento aura quædam ſine motu, & conuulſio ab vtero ad cor deferatur, vt ratus eſt Gal. 3. adnotatio. Libr. de morbis muliebri. De locis affectis.

Quòd epilepſia, ſi frequenter corripiat, & validè eſt ille affectu de quo loquitur Hipp. hic, vidi enim epilepticum qui diu morbo illo laborauerit, ſed per longa interualla, cum morbus repentè, & plures in die eum inuaſiſſet, repentè mortuum, nec ſolum, ſi ſæpe, & vehementer, ſed ſi ſemel, & vehementer exoluatur homo, repentè moritur, vt in magna apoplexia, ſed hoc ſemper neceſſarium non eſt, ideo addit ſæpe Hip. vt neceſſitatem inducat. 4. adnotatio.

APHORISMVS QVADRAGESIMVSSECVNDVS.

Apoplexiam fortem, &c.

Cõnexio CVM in præcedenti ſententia de exolutione loquutus fuiſset prædicens mortem repentinam ex magna, & frequenti. nunc de apoplexia agit, quæ & ipſa exolutio eſt quædam.

Intentio. Magna apoplexia ſanari non poteſt; parua verò cum difficultate.

Rõ intentionis. Vt exemplum ponat vnius reſolutionis, quæ repentè occidere poteſt, ſecundo; vt in forti apoplexia Medicus ſolum prædictione vtatur, aut ſi forte manus admouet, cum prognoſtico id fiat, ad paruam autem manus adhibeat.

Diuiſio. Poteſt diuidi hæc ſententia in duas partes iuxtà duas concluſiones, quarum altera de magna apoplexia mortem, altera de minori curæ difficultatem oſtendit.

Demõſtratio primæ. Id, quod hominem ſuffocat mortale eſt,
Sed magna apoplexia ſuffocat hominem. Ergo
Mortalis eſt.
Maior eſt certa. Minor demonſtratur, quia magna apoplexia ita tollit vim reſpirationis, vt ſuffocet hominem.

Demõſtratio ſecundæ. Obſtructio magna in principi membro, difficile tolli poteſt.
Sed per apoplexiam magnam, fit obſtructio in membro principi.
Ergo omnis apoplexia etiam parua eſt difficilis admodum ſolutionis.
Maior eſt manifeſta. Minor declaratur, quia in apoplexia fit cerebri obſtructio, & ventriculorum eius, & magnarum venarum.

1. adnotatio. Quòd apoplexia idem eſt ac percuſſio, quoniam, quaſi percuſſi cadunt eo malo correpti, vt animalia in ſacrificio, ſenſu, & motu orbata, ſola tamen reſpiratione manente, oritur ſpirituum interceptione, obturatis cerebri meatibus, aut venis magnis, quæ à corde ad ipſum cerebrum tendunt, ſeu verius obſtructo plexu retiſormi, qui in cerebro conſpicitur, vbi veriſimile eſt magis contineri ſpiritum animalem, quam in ventriculis; impeditur autem ex obſtructione anaſtomoſis; Cauſa obſtructionis humor eſt craſſus, ſeu ille fuerit ſanguis, ſeu phlegma, ſeu atra bilis.

2. adnotatio. Quòd magnitudo apoplexiæ per læſionem reſpirationis cognoſcitur, & ſtertoris magnitudine, aut paruitate, quo igitur difficilior reſpiratio, & ſtertor maior, eo maior eſt morbus. maxima ergo erit apoplexia, in qua ferè nullus patet reſpirationis ſenſus; ſecunda in qua violentiſsima eſt, & intermittens, tertia in qua non eſt violenta, ſed intermittens reſpiratio, vltima, in qua inordinata eſt, ſed non intermittit.

Quòd

Quod prima concluſio habet difficultatem, aliqui enim qui per triduum 3. adnotatio.
mortui iacuere, reuixere; eſt tamen maxima hæc apoplexia; ſecundo, Sed
adueniente febre ſoluitur, vt ſcripſit Hip. ad hæc dicimus magnam apople- 6. Aph. 56.
xiam vt plurimum occidere, rarò autem ſecus euenire, vel dici poteſt, quòd
illa prima apoplexia non eſt magna, quia, qui cor frigidum habent, etiam
à leui obſtructione apnetici fiunt, ad ſecundum dicitur exolui poſſe à natu
ra, non tamen ab arte, ſed quid, ſi Medicus febrem induxerit? cõtingere
poteſt, vt ſanetur, ſi talis ſit febris, qualis requiritur. Sed num in magna
apoplexia Medicus à curatione ſe abſtinere debeat? affirmant aliqui, quia
res deſperata eſt, decet tamen experiri remedia cum prædictione, quia mon
ſtra contingunt in arte aliquando.

Quod dubitationem habet ipſa concluſio, nam ſi obſtructione fit hic mor 4. adnotatio.
bus, ergo facilè curari poteſt. referente Gal. ſignum obſtructionis, ſi mor-
bus ſubito fit, & ſubito ſoluitur, vt in epilepſia. dico ſolui facilè apoplexiã, 3. de locis affectis.
non in totum, quia aut deſinit in paraliſim aut fit aliqua excitatio, uel die,
argumentum Galeni non eſſe vniuerſale.

Quod ſi ſemper apoplexia corpus eſt reſolutum, cerebrum obſtructum, 5. adnotatio.
non videtur poſſe reſeruari reſpiratio, ſi quidem muſculi thoracis à cerebro
vim motus accipiunt, an quod ob neceſſitatem natura mittit ad illos muſcu
los vim animalem, vel quod non ita ſint obſtructi cerebri meatus, quin ali-
quid, ad mouendos muſculos tranſmittatur.

APHORISMVS QVADRAGESIMVSTERTIVS.

Strangulati, aut ſuffocati, &c.

CVM de magna apoplexia pronunciaſſet in antecedenti curari non cõnexio.
poſſe, in præſenti eius rei, quaſi exemplum adducit, ſignum ex ſpu-
ma oris aſſignans celebre.

Strangulati, & non dum mortui, quibus circa os relicta eſt ſpuma ad ſe Intentio.
non redeunt.

Vt oſtendat reſpirationis difficultatem, vbi eo deuenit, vt ſpumam cir- Rõ intentionis.
ca os oſtendat eſſe mortalem, quare cum ad illum terminum deuenerit apo
plexia, inter mortales reponenda.

Sententiæ vnitas, & breuitas diuiſionem non admittit. Diuiſio.

Id, quod oſtendit extinctionem caloris in corde, eſt mortale. Demonſtratio.
Sed ſpuma circa os, in ſuffocatis extinctum cordis calorem denotat.
Ergo ſpuma circa os, in ſuffocatis mortem denunciat.

Maior per ſe manifeſta. Minor oſtenditur, quia ſpuma illa oſtendit ma
gnam eſſe factam efferueſcentiam, ad quam extinctus natiuus calor fuit. 1. adnotatio.

Quod duplex eſt ſpumæ cauſa; efficiens, & materia, efficiens eſt motus,

vt calor, materia, aqua, & aer, quæ ad inuicem miſcentur, motu ipſo, ut aqua maris, calores, vt in lebetibus, igne feruentibus.

2. adnotatio. *Quòd per ſuffocatos eos intelligi, qui ex defectu reſpirationis male habent ſeu ſuffocatio fiat à cauſa externa, vt laqueo, aut ſpiritus tractione maligni, ſeu ab interna, vt uenarum interceptione. ſupponere autem oportet ad ſententię veritatem, non modo ſtrangulatos, ſed reſolutos, ideo dixit non dum mortui; quia epilepſia ſuffocantur, & conuulſi fiunt, ſed non moriũtur, etiam ſi ſpuma appareat in ore, quia non ſunt reſoluti, nam ſpuma in epileptico ſit magis à pituita in ore, motu mandibularum, & linguę at in reſoluto fit ex fuligine, quę oritur ex calore reſoluto cordis, & pulmonis; notat tamen hic quidam auctor, quod aliud eſt apparere ſpumam in ore, aliud circa os, in ore apparet epileptico, circa os, reſoluto.*

3. adnotatio. *Quod quemadmodum igis corrumpitur à contrario, reſolutione, defectu pabuli, & extinctione, ſic & calidum noſtrum, ſed primus, & vltimus ſunt modi violenti, ſecundus naturalis.*

APHORISMVS QVADRAGESIMVSQVARTVS.

Qui natura ualde craſſi, &c.

cõnexio. *CVM in ſuperiori aphoriſmo Hip. de iis. quę ſuffocantur uerba fecisſet, in præſenti modo ſententia, de habitu corporis agit, ex quo cognoſcamus corpus magis aptum ſuffocationi.*

Intentio. *Valde craſſi ab ortu minus viuunt, quàm graciles.*

Rō intentionis. *Vt cognoſcat Medicus, craſſa corpora magis exponi ſuffocationi, & exolutioni, de quibus paulo ante actum eſt, ſecundo, vt quod vulgo non putatur minoris vitæ oſtendat pingue corpus, quam gracile, & vt curemus corpus in mediocritate conſeruare, & ut illud extenuemus, ſi nimis craſſeſcat.*

Diuiſio. *Non admittit diuiſionem aphoriſmi breuitas.*

Corpus, quod fato, & caſu minus conſernatur, minus durat.

Demonſtratio *Sed valde craſſum à natura corpus. vtroque modo minus conſeruatur, quàm gracile. Ergo*

Corpus, à natura ualde craſſum breuioris vitę erit, quàm gracile.

Maior probatur, quia dupliciter deficit uita, aut per reſolutionem calidi innati ſenectute, quod fato contingit, aut caſu, & violentia. Minor probatur, quia corpora ualde craſſa minus habent calidi, & humidi, in quibus magis uita perdurat, ob uaſorum anguſtiam, caſu quoq; quia obſtructionibus, putredini ſuffocationi, uenarum ruptionibus magis ſunt obnoxii.

Prima adnotatio. *Quod uita longa conſiſtit in proportione principiorũ calidi ſcilicet, & humidi*

humidi ita, vt humidum præ copia non ſuffocet calidum, nec præ inopia ex ſiccetur humidum non quodcunque intelligo, ſed primogeniũ quod in par tibus ſolidis diſſeminatũ eſt, quo enim hoc humidum fuerit oleoſum, magis & minus exſiccabile, eo vita durabilior: ex quo fit, vt contingat ſeparari aliquando ſanitatem à longeuitate; imo inſalubres aliqui diutius uiuunt, quam bene ſani (tex. Ariſt.) quamuis autem corpora inſalubria aliquãdo diutius uiuant ſalubribus fato, caſu tamen ſana uiuerent diutius, ſi rectam ſeruarent viuendi rationem, quia morbi magis reſiſtunt. De longitudine, & breuitate vitæ.

Quod multa damnantur in corpore ualde craſſo, pigritia ad motum hu miditas ſuperflua, vaſorum anguſtia, quare facile putredini obſtructioni bus, & pletoræ, ſunt obnoxia, difficultas reſpirationis frigiditas temperamenti ſterilitas, hebetudo, ſenſus, difficile ferunt medicam[illegible], corpora uero valde extenuata multas habent etiam difficultates, [illegible]litatem, à quo uis motu facile à calore, & frigore externo uincuntur, difficile ferunt uiolentias, & caſus, vigilijs infeſtantur, à reſoluentibus valde læduntur, famem non tolerant, facilè in ardentes febres incidunt, ob copiam bilis, ideo etiam tabi, & hecticę magis procliues, breuem quoque vitam habent ob caloris defectum. 2. adnotatio.

Quod habitus corporis, quidem eſt extremus in craſſitie, alius in tenui tate, alius inter hos mediocris, rurſus vnuſquiſque bonus, aut à natura eſt, aut poſtea acquiſitus. Rurſus multi ſunt gradus ab extrema craſſitie, ſicut ab extrema gracilitate ad corpus mediocre. Si ergo comparentur craſſi valde ad graciles non in extremo, minus uiuunt illi, atque eo magis, ſi à na tura tales ſunt, craſſities enim acquiſita non ita eſt morbis obnoxia; ſecũdo ſi comparetur corpus extremè craſſum, ad extremè tenue à natura, minus viuit craſſum, quia Hip. comparationem facit ad omnem gracilem; tertio, ſi comparentur extremè craſſi, non à natura ad graciles in extremis, magis uiuunt illi, quam iſti. 3. adnotatio.

Quòd nimia craſsities extenuanda eſt; modũ ſcripſit Hip. lib. de Diæta, Pingues, (inquit) qui graciles fieri volunt, omnes labores ieiuni facere debent, & cibos aſſumere anhelantes adhuc ex fatigatione, & non refrigerari prępoto vino diluto, & non valde frigido, & obſonia pręparata aſſumere à ſeſamis, aut condimentis hortẽſibus, & alijs huiuſmodi. Sint autem obſonia pinguia, quæ offeruntur, ſic enim à quàm paucißimis impleri poterunt, ſed & ſemel in die cibum aſſumere, & illotum manere, & ſtratum durum habere, & nudum deambulare oportet, quantum id maximè fieri poterit, qui verò graciles sũt, & pingues fieri volunt, cum alia ijs quæ diximus contraria facere, tum etiam ieiunos nullum laborem ſubire oportet. 4 adnotatio.

APHORISMVS QVADRAGESIMVSQVINTVS.

Epilepſia laborantes, &c.

cõnexio. *CVM ſupra de apoplexia ſtatuiſſet Hip. aut non curari, aut cum difficultate, nunc de epilepſia agit, dicens eam nõ ſolum curari poſſe, ſed modum oſtendens curationis ipſius.*

Intentio. *Epilepſia tollitur in pueris mutatione loci, victus, & ætatis maxime.*

Rõ intentionis. *Vt demonſtret longos morbos, & qui ſenſim geniti ſunt, ſenſim quoque eſſe curandos, & tria remedia adducat, quibus in magnis morbis multum fidat Medicus.*

Diuiſio. *Breuitas ſententiæ diuiſionem non patitur.*

Demonſtratio. *Morbi ſoluuntur alteratione, coctione, & vacuatione.*

Sed mutatio ætatis, victus, & loci ad calida, & ſicca, alterat, concoquit, & euacuat in epilepſia. Ergo

Illa ſoluetur ex mutatione eorum.

Maior per ſe patet. Minor probatur, quia cum epilepſia ſit morbus frigidus, & humidus, à calido, & ſicco, ſuo contrario, diſſoluetur aliquo ex prædictis modis.

1. adnotatio. *Quod epilepſia eſt paſſio, per quam homo concutitur ſine ſenſu, ac ferè*

Lib. de morbo ſacro. *ſuffocatur, calcitrat, vlulat repente concidens, eſtque puerorum propria; locus affectus cerebrum eſt, à quo teſte Hip. vel pituita, vel flatus frigidus ad ſanguinem per venas tranſmittitur, & ipſum infrigidant. pueris igitur, ob venarum anguſtiam, & caloris paucitatem ſolet eſſe mortalis, non ita in grandioribus, in quibus ampla ſunt vaſa, & calor acrior, vnde facilè reſoluantur. eſt autem hic morbus malignus, quia cauſa eius plerumque talis eſt. cæterum refert Fernelius diſſectum cerebrum duob. epilepticis, & in altero duram matrem eroſam in altero verò abſceſſum repertum eſſe.*

2. adnotatio. *Quod epilepſia quædam inuadit à pueritia, alia à decimoquarto ad vigeſimumquintum annũ: prima, ſi duret vſq; ad vigeſimũquintum, & per-*

5. Aphor. Aphor. 7. *tranſeat decimumquartũ incurabilis ponitur ab Hip. vt plurimum, quæ verò oritur ante pubertatẽ, niſi occidat, magnus timor eſt ad mortẽ vſq; comitari; eſt autem pubertas, cum vir ſemen, fœmina menſtrua ẽmittunt, quare qui morbi abortu in hac ætate non ſoluuntur ad mortem vſque comitantur, magis autem ſperandum eſſe auxilium ab ætate, quàm à cæteris indi-*

3 Aph. *cantibus. Hip. intelligit per verbum illud, tum maximè ætatis.*

Tertia adnotatio. *Quod quemadmodum in refectione proportio temporis eſt ſeruanda, vt ſuprà dictum eſt, vt quæ breuiter, repẽtè, quę ſenſim extenuata ſunt, ſenſim*

2. Aph. 7. *ſint reficienda; ita & in morborum curationem, qui repentè fiunt, repentè*

curandi,

curandi, qui verò ſenſim, paulatim, epilepſia igitur cum ſit morbus, qui ſenſim fit, & longo tempore duret, remedÿs indiget, quæ paulatim attenuent, & exſiccent, qualis eſt mutatio ætatis pueriliſ ad iuuenilem, loci, & victus extenuantis.

Quod victus non ſolum alimentum ſignificat, ſed quod totum regimen in rebus non naturalibus calefaciat, & exſiccet, maxima ideo cura habenda nutricis in pueris lactantibus, ne lac fiat bilioſum, & mulier vino dedita, mutatio loci pertinet nec ſolum ad diuerſum ſitum in ea ciuitate, vel regione, ſed ad diuerſas regiones, ventos, & aquas, non tamē ad extremas, ſed temperatas, eſt enim regio auſtralis, vel occidētalis huius morbi abundans; ideo ad orientem magis vergendum, vel boreales partes; quamuis Hip. maximè ex ætate ſolutionem morbi ſperandam dixerit, non debemus autem hoc expectare, ſed medicamentis, ſi fieri poteſt tollere morbum, præcipuè ſi non ſit connatus, & à malo victu fiat. 4. adnotatio.

Quod hic morbus, vt ſcripſit Hip. pueros corripit, qui in vtero rectè expurgati non fuerunt, quare qui immundi ſunt, & ſcabie abundant, ac puſtulis, minus eo corripiuntur nec ſolum extra vterum, ſed in vtero corripi hoc morbo pueros eſt veriſimile, vnde alÿ moriantur, alÿ mutilati naſcuntur decumbente morbo per abſceſſum ad ea loca, ſi Hip. credimus. 5. adnotatio. Lib. de morbo ſacro.

APHORISMVS QVADRAGESIMVS SEXTVS.

Ex duobus ſimul doloribus, &c.

CVM in antecedenti ſententia exemplo epilepſiæ docuiſſet curationē fieri à contrario, nunc dolorem in exemplum adducens docet etiam aliquando fieri per ſimilia. Cōnexio.

Ex duobus doloribus in diuerſis partibus, maior minorem obſcurat. Intentio.

Vt demonſtret leuationem doloris aliquando eſſe ad apparentiam tantum, ſecundo, vt ad leuationem doloris dolorem aliquando inducamus. Rō intentionis.

Breuitas ſententiæ diuiſionem non patitur. Diuiſio.

Quod reuocat ſenſum ab aliqua parte, & cauſam doloris, id dolorem ſedat. Demonſtratio.

Sed maior dolor reuocat ſenſum à minori, & cauſam doloris à diuerſa parte. Ergo.

Maior dolor minorem obſcurat.

Maior certa eſt. Minor probatur, nam ad eum locum maximè fluit ſanguis, & ſpiritus, qui magis dolet, at illa duo, tum ſenſationis, cum doloris cauſam augent, & reuocantur à parte minus dolente.

Quod duo dolores poſſunt ſentiri ad vnguē in vno loco, vt calefactio à ferro ignito, & ſolutio continui, item in pleuritide dolor pungens, & diſtendens, Prima adnotatio.

ſtendens, poſſunt etiam ſentiri duo dolores in vno membro, ſed non in eõdem loco, vt ſi vterque ſit in Brachio, vel crure, tertio poſſunt ſentiri duo dolores in diuerſis membris; hæc ſententia potiſſimum vera eſt de duobus doloribus in diuerſis membris, in alijs non ita conſtat. nam in primo caſu ferè vna moleſtia ſentitur, in ſecundo cum ſint in eodem membro, difficile poteſt reuocari ſpiritus, & ſanguis ob paruam diſtantiam.

2. adnotatio. Quod comparatio vel ſit inter duos dolores corporeos, vel duos incorporeos, vel alterum animi, & alterum corporis, vel omnibus modis, vera eſt ſententia, nam dolor capitis, ſcarificatis, & ligatis cruribus lenitur, timor vitæ obſcurat timorem pecuniæ, ira lætitiam, & denique omnes paſſiones animi inter ſe extinguuntur, maior à minori, quod verò animi dolor tollat dolorem capitis patet, ex ea ſententia, qui dolentes aliqua parte dolorem ferè non ſentiunt, ijs mens ægrotat, & è contra, corporis dolor, animi dolorem tollit, vt patet in pueris flentibus ſi percutiantur uerberibus.

APHORISMVS QVADRAGESIMVSSEPTIMVS.

Cum pus fit &c.

cõnexio. CVM in præcedenti egiſſet Hip. de dolore oſtendens obſcurari minorem à maiori, nunc occaſione accepta de dolore præceptum tradit inſigne.

Intentio. Cum pus fit, dolores, & febres accidunt magis, quàm confecto.

Rõ intentionis. Vt doceat cognoſcere tempus ſuppurationis, ſecundo, vt cõfirmet quod dictum eſt ſupra, in vigore omnia eſſe vehemẽtiora, non ſolum quando tota materia ad unicam expulſionem ſeruatur, ſed quando paulatim educitur; dummodo expurgatio ſit exigua, ut in annexione patet.

Diuiſio. Partitionis particeps non eſt hæc ſententia.

Demonſtratio. Quo tempore inflammatione ſolutio continui & calor maiores, maior dolor, & febris.

Sed cum pus fit magis ſoluitur continuum, & calor auctior. Ergo

In tumore, cum fit pus dolor, & febris maiores ſunt.

Maior probatur, cum à ſolutione continui dolor oriatur, quando illa eſt maior, dolor quoque augetur, febris autem ad maiorem calorem maior fit. Minor oſtenditur, quia pars dum fit pus magis impletur ſpiritu, quare magis diſtenditur, & calcſcit, & accedit quod tota materia ad unum coit ad uomicam.

1. adnotatio. Quòd actio naturæ duplex eſt, in materiã una, altera in humorẽ benignum, unde fit alimentum, quæ proprie dicitur nutritio; alia in materiam extraneam, & hæc triplex eſt, uel naturæ uincentis, & dicitur, coctio,

ſeu

ſeu reſolutio, altera naturæ victæ, & dicitur putrefactio, alia medio modo ſe habẽs, per quàm pus gignitur, in nutritione ſolum mutatio fit humoris, at in corruptione, vel purificatione, non ſolum humor, ſed pars tranſmutatur, iuxta illud, carnes contuſas neceſſe eſt putrefieri. Lib. de capitis vulneribus.

Quòd quattuor ſunt tumores ſimplices præter naturam, phlegmon, eryſipelas, œdema, ſcirrhus & hi tumores quinque modis terminari poſſunt, reſolutione, tranſudatione, ſuppuratione, induratione, & corruptione, primi duo laudabiles, & boni, duo vltimi mali, ſuppuratio vero medio modo ſe habet, vbi igitur pauca eſt materia, tenuis, & pars rara, calida, per reſolutionem terminantur, vbi multa, ſed non ita craſſa, & pars rara, tranſudatione vt in pleuritide, per ſputum; vbi medio modo ſe habet, & eſt multa craſſa, ſed non maligna, ſuppuratione; vbi rebellis, ſed non maligna induratione, vbi maligna, & peſſima, gangrena fit. 2. Adnot.

Quòd dolor magis fit à principio inflammationis, quia maximè eo tempore ſoluitur continuum. Sed Hip. non comparat hoc tempus ad tempus puris, ſed comparat tempus puris dum fit; ad tempus in quo factum eſt, dicit maiorem eſſe dolorem, & febrem eo tempore, ideo in ſuppuratione pectoris incipiente, dixit pondus pro dolore fieri, minuitur igitur dolor reſpectu principij inflammationis, ſed augetur reſpectu puris confectionis. Sed dices, Hipp. dixit febrem eluſcere, & rigorem, & pondus cum fit pus, febris igitur maior erit, quàm à principio. dicimus manifeſtari magis febrem ob rigores, ſed non eſſe maiorem, quàm à principio inflammationis. 3. adnotatio. Hip. 2. Prognoſticorum.

Quòd facto pure remittit febris, & dolor, quia ceſſat efferueſcentia, & diſtentio, pus igitur, ſi fuerit album, lene, & æquale, & minimè graue olens, ſuperauit natura materiam, ſi uerò fæculentum; liuidum, & fætidum ſuperata eſt natura. Cæterum ſigna fientis puris, vt etiam facti, in externis tumoribus, iſtis carminibus explicant Medici. Quarta adnotatio.

Durities longa, pulſus, dolor, & calor auctus.
Signant pus fieri, ſed facto dicta remiſſa,
Sub digitis vndans albeſcens pars, & acuta.

Quòd inter omnes ſuppurationes, grauiſſimæ ſunt illæ, quæ in thorace fiunt, nec enim ſatis eſt naturam ſuperaſſe materiam, niſi robur, adſit virium ita, ut expurgari poſſit. dicuntur autem ſuppurati, quando pus eſt extra vomicam à ruptione, cum verò pus eſt in vomica, magis fieri ſuppurationem dicimus. Cæterum de his diligentiſſime ſcripſit Hip. adeo, ut hac in tractatione alios ſuperauerit. Quinta adnotatio. 2. Progn.

APHO-

APHORISMVS QVADRAGESIMVSOCTAVVS.

Quoquo modo corpus moueatur &c.

cõnexio. CVM in duobus præcedentibus de dolore mentionem feciſſet, nunc doloris ſpeciem aſſumit, quæ ad laſſitudinem pertinet.

Intentio. Laſſitudo ex quouis motu tollitur quiete.

Rõ intentionis. Vt oſtendat ad ablationem cauſæ toli effectum, ſecundo ut monſtret exercitij terminum eſſe laſſitudinem; tertio, ut cognoſcat Medicus quando à quiete non tollitur laſſitudo, eſſe iam confirmatam, & morbum parituram, niſi conuenienter remedia adhibeantur.

Diuiſio. Non patitur diuiſionem ſententiæ breuitas.

Demonſtratio. Cauſa ablata, effectus tollitur.

Sed motus eſt cauſa laſſitudinis. Ergo

Ablato motu, aufertur laſſitudo: quies igitur, quæ ſoluit motum laſſitudinem tollit.

Maior probatur, loquendo de morbo dum fit, nec confirmatus eſt. Minor oſtenditur, quia hic agimus non de quauis laſſitudine, ſed illa, quæ fit ex motu.

Prima adnotatio. Quòd laſſitudo eſt duplex; animi, & corporis, ſicuti & motus; uera eſt hæc ſententia de utraque.

2. adnotatio. Quod quies hic tria ſignificare poteſt; priuationem motus abſolutã, remiſſionem illius, & ſomnum, omnia hæc laſſitudinem tollunt, quę ex motu naſcitur, nam quies omnino motum tollit, motus contrarius etiam laſſitudinem tollit, quia ociantur, quæ prius laborabant membra. ſed & idẽ motus remiſſus tollit laſſitudinem, quare ambulãdum poſt exercitiũ leniter eſſe monuit Hip. quod in equis equites obſeruant à curſu, ut eo leni motu humiditates per carnes diſperſę difflentur.

3. adnotatio. Quod non omnis laſſitudo, quiete tollitur, nam ſpontaneę, & quæ ex motu iam confirmatæ ſunt non remouentur ab illa, ſed incipientes, oritur autem omnis laſſitudo, aut liquato partim humido, & ĩ diſſuetis, aut exhalato, ut in ijs, qui ualidè ſe plus quàm ratio poſtulet, exercent.

4. adnotatio. Quod motus duplex eſt, alter leuis, qualis ambulatio, alter ualidus, qui propriè dicitur exercitium, primus omnibus naturis conuenit, calidis, ſeu frigidis, pueris, ſenibus, ac debilibus, ſecũdus magis robuſtis, & pituitoſis deſiſtendum autem à labore, cum corpus laſſari cœperit, floridumq; tumidum, ac coloratum redditur, cum autem ad extenuationem, exercemur uſque ad ſudorem; ut ſcripſit Hip.

Li. Epid.

APHORISMVS QVINQVAGESIMVSNONVS.

Quotidianis laboribus conſueti,&c.

CVM in antecedenti de laſſitudine egiſſet,quæ ad exercitia ſequitur: in hoc aphoriſmo docet,quomodo ſe habeant homines ad labores. cōnexio.

Facilius ferunt aſſueti labores, etiamſi inualidi,& ſenes, quàm robuſti,& iuuenes. Intentio.

Vt oſtendat quanta ſit vis aſſuetudinis,et non debere ob ætatem,uel imbecillitatem omitti conſueta exercitia. Rō intentionis.

Qui membra habent agiliora,& fortiora minus à labore laſſantur. Demonſtratio

Sed aſſueti licet imbecilles, & ſenes, agiliora habent membra, & fortiora.

Ergo minus,quàm iuuenes,& robuſti laſſantur ab exercitatione.

Maior declaratur,quia facultas ad motū,et robur diutius tolerat labores,et minus offenditur:minor oſtenditur,nā agiliora reddūtur mēbra,quia facilius mouentur verſus aſſuetum motum muſculi, robuſtiores ſunt, quia attrita,indurata,& ſpiritu,ac ſanguine plena, excrementis vacua.

Quod conſuetudo differt à natura, quia natura vnum finem terminatè petit,vt ſeminis virtus hominis formationē,vnde formato homine,ſentit, attrahit,coquit,expellit nulla facta aſſuetudine,ſed à natura: at quia natura fertur in finem,cum quadam latitudine, ideo confunditur, nam cum aſſuetudine,appetit enim ſtomachus naturaliter, ſed quod hunc victum magis,quàm illum, id ex aſſuetudine ſequitur,mouentur membra à natura, ſed ad hunc motum magis, quam illum à conſuetudine eſt; eſt enim aſſuetudo habitus quidam, & maximè in actionibus animæ conſpicitur, terminantur.n.illæ per aſſuetudinē; vt ira, manſuetudo,fortitudo, continentia,cum igitur conſuetudo terminet aliquo modo naturam; tunc fit, vt ab aſſuetis non fiat paſſio quare minus patiuntur à laboribus aſſueti,etiā ſi ſenes, & imbecilles. Prima adnotati

Quod tanta eſt vis conſuetudinis, vt fuerint aliqui ex philoſophis, qui aſſeruere mundum vniuerſum, conſuetudinem eſſe,& gubernari,nō ſecus, ac contingere videmus in gubernatione Regum,& vrbium;eſt enim conſuetudo lex ſicut natura,vnde ſcripſit Hip. legem omnia corroborare, intelligens hanc legem naturam,& aſſuetudinem eſſe. 2. adnotatio. Lib.de genitura.

Quod hęc ſententia non ſolum ad labores,ſed ad cibos,et medicamenta referri pōt, qui enim ſenes aſſueti ſunt pluries in die comedere.facilius ferunt,quàm inaſſueti,quamuis iuuenes,& fortes. Item ad medicamēta melius ſe habent aſſueti,quam inaſſueti, etiam ſi ſint inualidi. Tertia adnotatio.

Qđ labores intelligere poſſumus abſolute,uel aſſuetos,utroq; mō eſt vera ſenten- 4. adnotatio.

Libro de aere aqua & locis. *ſententia, quod homines laborioſi minus laſſantur, quàm otioſi, etiam ſi ſenes illi ſint, & imbecilles. Quare ſcripſit Hip. robuſtiora fieri corpora incolarum montium, & quæ expoſita ſunt aeris magnis mutationibus, minus enim dolent, & animo, & corpore, qui doloribus, & laboribus, ac calamitatibus ſunt aſſueti. quamobrem parum tutam ſcripſit exquiſitam, & ſtatam uictus rationem.* 1. Aph. 5.

APHORISMVS QVINQVAGESIMVS.

Quæ longo tempore, &c.

Cōnexio. *CVM in antecedenti aphoriſmo Hip. de conſuetudine tractaſſet; facta comparatione ad labores, nunc de illa in uniuerſum agit, præceptum tradens ad ſanitatem utile.*

Intẽtio. *Duas habes concluſiones aphoriſmus prima eſt, conſueta minus moleſta ſolent eſſe ſecunda ad inſolita aliquando facienda mutatio eſt.*

Rō intentionis. *Vt non ſequamur malam conſuetudinẽ decepti, quia aſſueta minus moleſta ſunt, et ut tradat præceptum ad ſecuram ſanitatem per quam vtile.*

Diuiſio. *Partitur hæc ſententia in duas partes, in prima ponitur concluſio ſpectans ad aſſuetudinem; in ſecunda deducitur ex illa cõſuetudinis mutatio.*

Demõſtratio primę *Cõſueta lõgo tempore, etiam ſi deteriora ſint, naturæ magis ſunt amica. Ergo minus moleſta ſunt. Antecedens probatur, quia facta eſt amicitia ex longo uſu inter naturam, & aſſueta. Conſequentia eſt manifeſta.*

Demonſtratio ſecundæ. *Ex prima deducitur ſecunda concluſio manifeſta, nam ſi minus moleſtã̃t aſſueta, ergo ad ſecurita tem uitæ facienda eſt ad contraria mutatio.*

Prima adnotatio. *Quod conſuetudo triplex, alia bona, alia mala, alia peſſima, ſi enim homo temperatus aſſuetus eſt temperatis, bona eſt, ſi intemperans non multum, mala, ſi uerò intemperans, ſed in exceſſu, iam peſſima eſt. prima licet ad ſanitatem commendetur, non tamen ad uitæ ſecuritatem utilis: quare monet faciendam eſſe mutationem per interualla ad contraria. qui igitur uino eſt aſſuetus, & illi conducit, confert aliquando aquam bibere. mala conſuetudo, ſi fuerit recens, tollenda quamprimum; nam temporis progreſſu ſolet grauiter lædere. at ſi mala conſuetudo fuerit uetus, nõ eſt tollẽda, quia naturæ illi eſt bona, ſi tantum temporis durare potuit, facienda quia natura illi eſt bona, ſi tantum temporis durare potuit, facienda tamen & in ea mutatio aliquando ad contraria. peſſima conſuetudo, ſeu ſua natura ſit exceſſus, ſeu per accidens, ut ſiquis aquam bibat, & illi ſit aſſuetus uſque ad ſenectutem, & laboret cruditatibus, & ſit imbecillis, mutanda eſt conſuetudo, & tranſeundum ad uinum, quia aqua ſenibus, & imbecillibus peſſima eſt.*

2. adnotatio. 6. Epid. *Quod mutatio conſuetudinis, uel ſit in ſanis, uel in ęgris, ſi fiat in ſanis paulatim facienda; ideo dicebat Hip. contraria paulatim adhibenda, &*

interim

interim quieſcendum, at in ægris repente mutatur, nec propterea læditur, quia corpus per morbum etiam repente mutatur, et quo maior fuerit morbus, maior mutatio; ideo i acutiſſimo morbo nihil exhibemus, ut pro uino, aquam, pro cibo ſorbitionem dare iubemus, & quies imperatur ſine noxa.

Quod in corpore bene ſano facienda eſt mutatio, non ſolum ad inſueta, quæ ſunt mediocria, ſed ad exceſſus, ideò dicebat Celſus hominem ſanũ, & ſui iuris, nullam rationem ſeruare debere, ſed modo plus, quã decet ſe implere, modo ieiunare, modo vigilare, & modo contrarium facere, modò in vrbe, modo ruri, & denique ſtatam, & exquiſitam uiuendi rationem fugere, quã parum tutam æſtimauit Hip. at ſi fuerit male ſanus, tuta non eſt hæc mutatio, imò contraria uidelicet, quæ eſt exquiſita, & ſtata uictus ratio vtilis admodum eſt. conuenit etiam, et ijs ſua quæque mutatio aliquando ad inſolita, ſed non ad contraria valida, ne corpus ab illis vincatur. 3. adnotatio.

APHORISMVS QVINQVAGESIMVSPRIMVS.

Semel multum, & repente &c.

CVM in antecedenti de mutatione mentionem feciſſet cõſuetudinis nunc præceptum ſcribit ad ipſam mutationẽ uniuerſale, docens quomodo ſit facienda. cõnexio.

Magna, & repentina mutatio eſt periculoſa. Intentio.

Vt quando mutanda eſt conſuetudo, id paulatim fiat, ad ſecuritatem: Medicus enim in mente habere debet, cum operatur, ut ſi non iuuat, ſaltem non noceat. Rõ intentionis.

Partitur hic aphoriſmus in partes duas, in quarum prima ponitur cõcluſio intenta, & illius probatio; in ſecunda corollarium adducitur. Diuiſio.

Omne nimium eſt naturæ inimicum.
Sed magna, & repentina mutatio eſt nimia. Ergo
Naturæ inimica. non igitur facienda eſt mutatio, niſi paulatim.

Maior patet ex illo veteri adagio; (Nequid nimis.) Minor declaratur Siquidem natura in mediocritate quadã, & harmonia conſiſtit, quam repentina diſſoluit mutatio. Demonſtratio. 1.

Deducitur à prima ſecunda, nam ſi vniuersè calefacere, nec refrigerare, nec alio modo repente, & multum corpus mouere eſt periculoſum; ergo magis à mutatione conſuetudinis. Demonſtratio ſecundæ.

Quod mutatio uel eſt ad bonum, uel ad malum, rurſus uel eſt a negotio, uel ad contrarium; tertio, uel eſt a contrario ad contrarium, uel ad mediũ, quarto aut in ſanis, uel ægris; uel neutris; rurſus in ægris, uel fit in morbo paruo, uel in magno, uel in mediocri, de quacunque mutatione uera eſt ſententia allata, periculoſam eſſe magnam, & repentinam mutationem, 1. adnotatio.

non

non tamen eſt omittenda extrema mutatio,cum neceſſitas vrget,quia extremis morbis extrema remedia optima ſunt,mutatio autem,quæ eſt à negocio ad otium, vt à labore ad quietem, vel à malo ad bonum,minus periculoſa eſt,quàm eorum oppoſita,et minus periculoſa in ægris,& neutris, quàm in ſanis,ratio eſt,quia ſanitas mutationem non indicat, ſed conſeruationem.

2. adnotatio. *Quod conſuetudinis mutatio,vel eſt ad inducendam contrariam diſpoſitionem,vel ſolum ad ſecuritatem ſanitatis,primam appellat Hip. mutationem ab vno ad aliud in contextu; ſecundā verò mutationem ſimpliciter:ideo monet vitandam eſſe magnam,& repentinam mutationem in ambabus,ſed maximè in prima,vt cum intemperiem cognatam reducere volumus ad mediocrem in ſano.*

3. adnotatio. *Quod mutatio fit per æqualia,vel in gradu,uel in numero,hoc eſt,minori medio,ſed pluries repetito,hoc eſt paulatim mutare,quia tutum,& quoniam ſi error contingit,minus læditur corpus, experimentum enim periculoſum,ideo ſemper à leuioribus eſt incipiendum,niſi morbi magnitudo nos inducat ad magnum remedium.*

4. adnotatio. *Quod mutatio fieri poteſt,vel in rebus naturalibus, vel in non naturalibus,vel in iјs,quæ ſunt præter naturam;de omnibus vera eſt ſentētia,magis tamen de naturalibus,quæ nullo modo, niſi paulatim fert mutationem, inde in non naturalibus,vtrum autem temperamentum innatum poſſit reduci ad melius, videtur refragari Gal. nam cum illa corporis diſpoſitio ſequatur ad certam mixtionem elementorum,quæ ſolius naturæ, & Dei eſt opus,nulla arte,vel caſu exquiſitè poſt ortum talis acquiri poteſt,quę diſpoſitionem ęquè fixam cum natura habeat; ſed non ideò negandum eſt intemperatum corpus à natura, reduci poſſe arte ad melius, ſaltem de temperie loquendo.*

2. de naturalibus facultatib.

APHORISMVS QVINQVAGESIMVS SECVNDVS.

Omnia ſecundum rationem facienti,&c.

cōnexio. NEXVS *huius ſententiæ cum ſuperiori ſatis eſt manifeſtus, cū enim præceptum traderet in antecedenti ad Medici actionem inſigne,nō eſſe faciendam repentinam mutationem,nunc in eam intentionem, & de eadem mutatione loquens,aliud præceptum, maximè dignum adducit.*

Intentio. *Rationale remedium mutari non debet,etiam ſi non ſuccedat.*

Rō intentionis. *Vt per hoc moneat Medicum conſtantiæ,& grauitatis in curādis malis,ne ſtatim mutet,ſi non ſuccedat ſecundum rōnem curans,vel ne ita pertinaciter remedio adhęreat,quin aliquando mutet.*

Diuiſio. *Partitur aphoriſmus in partes duas;in prima regulam ponit,in ſecunda,*

da verò cautionem illius adducit.

Mutatio remedij, non debet fieri cum nocumento, ſed mutatio rationalis remedij ſemper fit cum noxa. Ergo Demonſtratio.

Rationale remedium mutari non debet.

Maior certa eſt. Minor probatur, quia ſi remedium rationale mutatur, fit irrationale, & ſic augens ipſum morbum, & cum noxa.

Quod remedium multipliciter mutari poteſt, vel ſecundum genus, uel qualitatem, aut quantitatem, aut tempus, rurſus in qualitate bifariam, occulta, uel manifeſta cum genus mutatur, vel eſt ad contrarium, uel diuerſum, quantitas, vel ad magis, vel ad minus, qualitas quoque mutatur, ſecundum intenſionem, & remiſſionem, vel in eadem ſpecie, vel ad contrariam qualitatem. 1. adnotatio.

Quod morbus aliquando habet cauſam manifeſtam, ideo cognitu facile, aliquando obſcuram ita, vt difficilè cognoſci poſſit, ſi morbus cognoſcatur, vel id fit ſcientifice, vel coniectura ſolum. ſi coniectura, vel illa, quę magis accedit ad ſcientiam, aut ea, quæ eſt propè ignorantiam. 2. adnotatio.

Quod vbi morbus non cognoſcitur, licèt mutare remedia omnibus modis, iuxta illud, quod ſcripſit Hip. ſi quis morbum non cognoſcat, medicamentum præbeat non forte, ſi itaque leuatur æger, demonſtratiuum eſt, quod gracilitatem inducendo curandus eſt, ſi non leuatur, faciendum eſt contrarium, et ſi non profuerit, gracilem facere, tumidum facere conducet, & frequenter permutare, ita enim non errabis; ſi verò cognoſcatur morbus, vel ſcientia, vel coniectura ſcientifica, Medicus ſtatim debet adhibere remedia illi conuenientia, nec mutandum etiam, ſi res non ſuccedat remedium in genere, ſed mutari poteſt, vel intenſione, vel numero, in eadem tamen ſpecie, quia natura aliquando ab aſſuetudine deſpicit idem remedium. 3. adnotatio. Libr. de locis I homine.

Quod morbus non cedit remedijs, etiam rationabilibus, uel quia crudus eſt, uel quia adeſt obſtructio, aut abſceſſus, vel quia morbus ex ijs eſt, qui non niſi paulatim tolli poſſunt, uel quia eſt inſuperabilis, vel ob immanifeſtam qualitatem, vel ob temporis conſtitutionem; quare non debet Medicus mutare remedium ad contraria perſiſtenti morbo in ſuo ſtatu, vt à principio, & bene cognito, ſed debet reiterare remedium idem, vel numero, vel ſpecie, quando tamen morbus eſt inconſtans, & magnus ita, vt periculum ſit in mora, licèt omnem obire mutationem. 4. adnotatio.

Quod medendi ratio duplex eſt alia per indicationem, alia per experientiam, hic ſermo potiſſimè eſt de remedijs, quę per indicationem habentur, quę ſemper fit ſecundum rationem, at experientia non ſemper; cũ itaq; adeſt manifeſte indicans, vt obſtructio apertionem, repletio inanitionem, malignitas antidotum; illa adhibenda, & reiteranda, quoad perſiſtit; & ſigna à principio perſeuerant. 5. adnotatio.

6. adnotatio. *Quod in hac ſententia reprehenduntur Medici, qui vt aliquid ſapere videatur, & ne, ſi moriatur æger infamentur ob auxiliorum inopiam, vel ne fruſtra mercedem ſuſcepiſſe videantur in quacumque viſitatione aliquid de nouo agunt, naturæ opus intercipientes, quæ quietem deſiderat, iuxta illud ingentibus morbis quieſcere multo præſtat; hos igitur reprehendens Hip. mutatio inquit non parum confert, ſi, vt conuenit fiat, corpore, ſcilicet mutato; at mutatio indecenter facta corpore non mutato, detrimenta affert non mediocria.*

In hoc aphoriſ. 2. Acut.

APHORISMVS QVINQVAGESIMVSTERTIVS.

Quibus alnus eſt humida, &c.

cõnexio. *CVM in antecedenti de mutatione in conſuetudine, & actione Medici tractaſſet, nunc de alui mutatione, quæ fit per ętates egit.*

Intentio. *Duas habet concluſiones prima eſt, iuuenes, quibus eſt humida aluus melius degunt ijs, quibus eſt ſicca; ſecunda, iuuenes facilis deiectionis, in ſenectute peius habent.*

Rõ intentionis. *Vt demõſtret in vniuerſum melius eſſe, vt habeamus aluos humidas, quàm ſiccas, ſecundo; ne miremur, ſi in ſenectute peius habent illi, qui in iuuentute aluum humidam nacti erant.*

Diuiſio. *Diuiditur aphoriſmus in partes duas, in quarum altera, primam ſtatuit concluſionem; in ſecunda alteram deducit.*

Demonſtratio. 1. *Qui pauciora aceruant in corpore excrementa melius degunt.*
Sed iuuenes alui humidioris pauciora habent excrementa.
Ergo iuuenes, quibus aluus eſt humida, facilius degunt ijs, quibus eſt ſicca.
Maior, & minor adeo ſunt manifeſtæ, vt nulla indigeant probatione.

Demonſtratio. 2. *Quo tempore aluus reſiccatur peius habet homo.*
Sed in ſenectute ferè reſiccatur aluus ijs, quibus in iuuentute erat humida, ergo iuuenes facilis egeſtionis, in ſenectute peius habent.
Maior eſt manifeſta. Minor declaratur, ex aphoriſmo vigeſimo huius libri, ſi quidem reſiccatur aluus ijs in ſenectute, qui humidam habebant in iuuentute.

1. adnotatio. *Quod tanti fecit Hip. ad ſanitatem alui facilitatem, vt ſcripſerit homines facilis egeſtionis ferè acutis morbis non laborare; ſi autem aluus eſt futura ſicca, melius aiunt aliqui eſſe, ſi in ſenectute ſiccetur quã ecõtrà. Cuius contrarium ſentire videtur Hip. in tex. dicens, peius degere Senes aluo ſicca, & ratio eſt in promptu; nam iuuenes ſicci ventris poſſunt per exercitium ſuperfluitates diſſoluere, quod ſenes facere nequeunt, ideo ſi aluos habent ſiccas, magis offenduntur.*

Lib. de aere, aquis, & locis.

Differt

Differt hic aphoriſmus à vigeſimo, quia ibi ſolum de commutatione alui per ætatem agit, hic verò docet melius eſſe aluos humidas habere abſolutè, quàm ſiccas; ſecundo, melius eſſe ſenes eſſe humidi alui, quam iuuenes; rurſus ibi abſolutè dixit tranſmutari aluum à ſicco ad humidum, & econtrà in iuuentute, & ſenecta, hic magna ex parte fieri dicit. 2. adnotatio.

APHORISMVS QVINQVAGESIMVSQVARTVS, ET VLTIMVS.

Vt traducenda iuuentute, &c.

CVM *in antecedenti aphoriſmo de mutatione alui tractaſſet, quæ ſuper ætates, hic de corporis magnitudine, quæ per eaſdem ſpectatur, ſermonem habet.* cõnexio.

Mediocritas magis laudanda in corpore, quam magnitudo, aut paruitas. Intentio.

Ne quis putaret magnitudinem corporis mediocritati præſtare, quàm imò poſtponi paruitati, ad vitæ commoda, & ſanitatem. Rõ intentionis.

In duas partes diuiditur hæc ſententia; in prima comparat iuuentutem ad magnitudinem, in ſecunda verò ſenectutem ad illam, & ad paruos. Diuiſio.

Magnitudo corporis damnatur in ſenectute, paruitas in iuuentute. Demonſtratio

Ergo mediocritas illis duobus melior, conſequens patet, antecedẽs probatur, nam cum virium robore, vt in iuuentute, laudabilior eſt magnitudo, cum imbecillitate verò, paruitas, vt in ſenectute.

Quod magnitudo, vel conſideratur ſecundum vnam dimenſionem, in longam ſcilicet, vel ſecundum omnes, longum, latum, & profundum, & de vtraque vera eſt ſententia, quamuis Galenus magis de longitudine intelligat, quod non videtur omnino probandum, quia longitudo ſine latitudine non videtur formoſa, & liberalis, imò tales deſpiciuntur, magis igitur de magnitudine, & paruitate videtur ſententia intelligenda, quæ ſecundum omnes dimenſiones eſt. Prima adnotatio.

Quod cum ſit comparatio magni ad paruum, debet fieri cæteris paribus, ſi ergo fiat ſecundum longitudinem dicimus corpora breuiora eſſe magis laudanda, quia prudentiora, agibiliora, & muſculos, & ligamenta habent robuſtiſſima, quare labores tolerant, & vitæ ſunt diuturnæ, nec grauantur vllo pondere corporis, aut torquentur in ſenectute, ac magna corpora inepta ſunt ad labores, & inagibilia, & grauitate corporis in ſenectute male habent. 2. adnotatio.

Quod cauſa proceritatis eſt calidi, & humidi copia, quare dicebat Hip. Aſiaticos eſſe p̃ Europeis magnitudine præſtãtiores, ac corporis paruitas calido, & ſicco magis accommodata eſt, ideo prudẽtiores. num verò, vt fa- 3. adnotatio. Lib. de aere, aquis.

I 2 bulantur,

bulantur, fuerint aliquando gigantes, certum eſt in noua Hiſpania oſſa hominum eſſe reperta, eius dimenſionis, vt ſuperarent communem hominum formam ſepties: illi tamen, vt vti pigmei; intra monſtra magis ſunt reponendi.

4. adnotatio. *Quòd rectitudo hominis apud Theologos, vt in cœlum ſpectaret facta eſt, Galenus refert, ad multitudinem calidi, quod eſt in homine, inde recta creſcit, requirebatur enim multum aeris, & ignis ad prudentiam; ideo qui capite ſunt carnoſiores minus prudentes, in ſenectute verò, tum quia deperditur calidum, & ad latera magis; quàm ſurſum mouetur, cum etiam quia robur muſculorum deeſt, fit vt corporis longitudo curuetur.*

FINIS LIBRI SECVNDI.

RODE-

RODERICI A FONSECA

In Tertium Aphoriſmorum Commentaria.

PRAEFATIO IN SEQVENTEM LIBRVM.

ANTEQVAM ad textus explicationē deueniam, operepretium eſt, quadā præmittere ad eius lucidiorē intellectum. Dicendum itaque, quę ſit auctoris intentio in eo, quæ vtilitas, quæ difficultas; & denique in quas partes diſtribuatur.

Intentio Hipp. in hoc libro eſt, breuiter explanare, quam vim tempus, & ætas ad morbos procreandos habeant; mutatio enim, quæ per hæc duo fit, nō modo procreandi morbos, ſed & ſoluendi eos, potiſſimum poteſtatem admirabilem habent: igitur ponuntur in conſideratione, in hoc libro, nō ſolum morbus Epidemius, ſed & ſparſim vagans, quatenus, vel tempus, vel ætatem reſpicit. Intentio.

Vtilitas huius libri ea eſt, ſi quæ maxima ex alio Hip. libro haberi poſſit: cum enim ex his morbos, non ſolum vnius particularis hominis, ſed totius Prouinciæ, tum dignoſcere, tum prægnoſcere, tū pręcauere, tum curare medicus facilè poſſit, neque hac ipſa re, in medicina reperiatur aliquid præſtantius, ſequitur, vt utiliſſimus ſit liber, proinde de his ſcribens Hipp. Qui hęc probè nouerit auctorum plurima, eum non latere, cum in vrbem ignotam venerit, neq; morbos regionis peculiares, neq; cōem regionis naturam, vt in cognoſcendis morbis dubius hæreat: ac prætereà vniuſcuiuſq; temporis, & anni conſtitutionem perdiſcere poſſe confirmat; quique morbi, cōi affectione ciuitatem ſint inuaſuri: quam cognitionem temporum, diuinam prorſus exiſtimauit Hip. vel ipſo Gal. teſte, & quam propterea in Prognoſt omiſit; quia ad hunc librum eum ſeruauerat. Vtilitas. Lib. de aere, & aqu. 1. Prognoſticorum. in proœ.

Veluti magnum emolumētū affert hæc doctrina, & vt pulcherrima eſt, ac Diuinus, ita ēt difficillima; nā traduntur hic per capita quę longa experientia in Epidemiorum libris ſcripſit. Hipp. & quæ diffusè, lateque in lib. de Aere, & aquis, litteris prodidit: Adde demonſtrationem eorum quæ hic traduntur adeò difficilem eſſe, quòd putauerint Antiqui, eorum nullam afferri poſſe: ſed experientia tantum confirmata producnamque morbi, qui ex aere pendent, non ſolum ad manifeſtas qualitates referuntur, ſed ad ventos, & aſtrorum mutationes, & occultas qualitates. Difficult.

Diuiſio. *Secatur hic liber in duas partes, in prima de morbis agit, quatenus ſequuntur ad temporum mutationes. In ſecunda verò ea ratione, qua mutationem ætatum inſequuntur.*

Cæterũ in huius libri explanatione, et in ſubſequentib. quoque eum doctrinæ modum ſeruabo, quem in duobus præcedentib. ſeruaui, & quamuis difficilè ſit in his demonſtrationem inuenire, enitar tamen ex ipſius Hipp. doctrina confirmationem eorum, quæ hic ſcribuntur inuenire.

APHORISMVS PRIMVS.

Mutationes temporum potiſſimum pariunt morbos, &c.

cõnexio. Aph. 50. & 51. *HIC Aphoriſmus, cum ſit primus in ordine, et non habeat antecedentem, non facilè eſt inuenire eius dependẽtiam. Cum tamen Hip. in præcedenti lib. damnaſſet repentinas, & magnas mutationes, & tẽporis mutatio ex his ſit, ideo proponit quaſi in exemplum id ipſum in hoc aphoriſmo.*

Intentio. *Mutationes temporum potiſſimum pariunt morbos, et quo maiores fuerint, eò magis.*

Rõ intentionis. *Vt demonſtret inter cęteras cauſas corpus noſtrum immutantes, primas obtinere aerẽ, quare maximè formidandum eſſe, et ex induſtria p̃cauendũ.*

Diuiſio. *Bifariam partitur aphoriſmus. In prima ponit concluſionem magis uniuerſalem. In ſecunda non magis particularem; in qua etiam explicat, quarum rerum mutatio aerem alteret.*

Demonſtratio *Illud potiſſimum morbos parit, q̃d maiorẽ vim habẽt alterãdi corporũ.*
Sed temporum mutatio maiorem vim habet alterandi corpora. Ergo
Temporum mutatio potiſsimum morbos creandi vim habet.

Maior per ſe patet: morbus enim non fit, niſi corpore mutato.

Minor probatur multipliciter: nam aer continuò nobis præſens adeſt. Idem per ſucceſsionẽ nouus ſemper adeſt. Et quia intus, et extra operatur, & quia cibos tranſmutat, & quia materia eſt ſpirituũ; quare fit, vt aer inter cęteras res non naturales mutandi corpora maximam vim habeat; & licet Ariſt. in Probl. grauiorem ſcribat mutationem aquæ, quàm aeris; id tamen ita intelligẽdum eſt, vt maior in minori terrę ſpatio fiat mutatio in aqua, quam in aere; at in vniuerſum vera eſt ſententia Hip.

Secunda concluſio ex prima deducitur; nã ſi mutatio temporis morbos præcipuè parit, & frequentius, quàm cętera cauſæ morbificæ; ergo magnæ in illis mutationes, maximè morbos parient, ſeu illæ mutationes, ſecundum primas qualitates fiant, ſeu ſecundas, ſeu alio quouis modo.

Prima adnotatio. *Quòd mutatio tẽporum dupliciter conſideratur, altera ratione eius, q̃d mutatur; altera vero ratione illius, quod mutat. Rurſus mutatio primo modo duplex eſt, uel naturalis, ubi tempora ſe inuicem ſuccedentia, qualitates*

ſuas

ſuas ſeruant, vel fortuita, & præter naturam, cum peregrinas habent qualitates, ſeu id in vna anni parte, ſeu in pluribus, vel etiam in coto anno fiat. Iterum naturalis temporum mutatio, quædam eſt mediocris, vt in regione temperata, alia magna, quæ in regione intemperata ſuccedit, qualis regio eſt ad Aquilonem uergens, quæ quidem, & hiemes, & calores habet fortes, vt ſcribit Hip. de Aere, & Aquis. At ſi conſideretur mutatio rõne eius, quod mutat, multis modis id contingere poteſt in aere, vel ſecundum primas qualitates, vel ſecundas, vel ſecundum tranquillitates, & ventos, vel ſerenitates, & nebulas, vel ſecundum influxum ſtellarũ, ſeu totius ſubſtantiæ corruptionem. Quouis modo mutationes aeris intelligas, dico potiſſimum parere morbos; & illud eſt, quod explicauit Hip. in fine Aphoriſmi, nominans frigus, & calorem, et cęteras ad proportionẽ mutationes; nam ſi comparentur ad victum, exercitium, & reliqua, potentiores ſunt ad morbos, et ſi mutatio fuerit magna, magnos; ſi parua, paruos, ſi mediocris, mediocres pariet morbos, et ſi fuerit præter naturam, magis, quam naturalis; & quo maior, inęqualior, ac frequentior, eo etiam magis.

Quòd temporis mutatio Aſtrologis potiſsimum eſt per æquinoctia, & ſolſtitia, quas etiam maximas Hipp. arbitratur; attamẽ diuiſio, quæ fit per Solem non eſt ita accommodata, ſicut, quę conſideratur per ortum, & occaſum ſiderum magnorum. Ver itaque Hipp. ac Medicis eſt ab Equinoctio verno ad Pleadum ortum. Aeſtas ab ortu Pleadum ad Arcturi ortũ, quæ duas partes habet; prima ad caniculã extenditur: ſecunda ad ortum Arcturi. Autumnus eſt ab Arcturi ortu ad Pleadum occaſum, & Hiems à Pleadum occaſu ad Equinoctium vernum, quod tempus habet tres partes, ſementem, brumam, & inſertionem: itaque Medicis Ver ad duos menſes ferè extẽditur, ſicuti Autumnus; at Hiems, et Aeſtas ad quatuor. Hęc diuiſio accommoda eſt valde, tum ad Epidemia intelligenda, tum Medicis ob manifeſtas in illis alterationes aeris. 2. adnotatio.

Quòd mutatio temporis naturalis, magis ſoluit morbos, quam pariat; at ea quę pręter naturam eſt, magis parit, quam ſoluit, quia naturale conſeruat, at quod pręter naturam eſt lędit, parit uerò morbos naturalis temporis mutatio per accidens, quatenus corpora ferit diuerſo modo diſpoſita; nam ſicuti ver ſua natura ſalubris, ſi corpora pura inueniat, conſeruat; impura expurgat, quantum in ſe eſt, ita naturalis mutatio temporum ad ea ſe habere arbitrandum eſt. 3. adnotatio.

APHORISMVS SECVNDVS.

Naturarum quędam ad hiemem, &c.

CVM *in antecedenti ſententia ſtatuiſſet Hipp. mutationes temporum morborum feraces, nunc, quæ potiſſimum ſint illę mutationes, docet.* cõnexio.

Intentio. *Ex naturis, quædam ad Aeſtatem, quædam verò ad hiemem, bene, uel male ſe habent.*

Rõ intentionis. *Vt oſtendat, quæ inter mutationes temporum præcipuè pariãt morbos, eam ſcilicet, quæ vel ad Aeſtatem, vel ad Hiemem pertinent, necnon vt doceat temporis mutationem, non ſolum gignendi, ſed etiam ſoluendi morbos poteſtatem habere.*

Diuiſio. *Aphoriſmus vnam habet, eamque beuem concluſionem, quare diuiſionem non admittit.*

Demonſtratio. *Hiems, & Aeſtas ſunt contraria.*

Ergo & naturis, quædã ad hiemẽ, q̃ iã ad æſtatẽ bene, uel malè ſe hẽnt.

Antecedens eſt manifeſtum; nam hiems frigida eſt, & humida. Aeſtas autem calida, & ſicca. Conſequens manifeſtè deducitur; nam nec vna natura poteſt eodem modo ſe habere ad contraria tempora; nec contrariæ naturæ ad vnum tempus; ſed ſi ad alterum bene, ad alterum male ſe habeant eſt neceſſe.

1.adnotatio. *Quòd natura multis modis dicitur apud Hipp. primo modo dicit quatuor elementorũ temperiẽ: ſeu ſimplicem, ſeu compoſitã; ſiue illa ſit tẽperata, ſiue à temperie declinans ſeu in toto, ſeu deniq; in parte corporis cõſideretur, qua ratione, lib. de Nat. Hum. deſcribitur. Secundò natura dicit calidum innatum, quod præcipuè, & maximè natura eſt; de quo verba fecit primo Aphor. Hieme, pronuncians, ventres natura calidiſſimos eſſe.*
15.
Tertiò, natura ſignificat ſtructuram corporis, & illam diſpoſitionem, quæ ad partes organicas pertinet, magnitudine, figura, numero, & ſitu præſcriptam, quam corporis habitum Hipp. ſolet appellare. Quartò, natura dicit aggregatum ex omnibus his, qua ratione ſcripſit idem Auctor, naturam noſtram conſtare ex congrua ſpiritus, humorum, caloris, victus, & aliorum omnium compage; de quibus omnibus ſignificatis præſens ſententia verè dici, ac prędicari poteſt, vt in ſequenti adnotatione.

1.Acut.

2.Adnot. *Quòd ſi natura primo modo ſumatur, vt dicit tẽperiem, ſeu illa ſit optima, vt in optime ſalubri corpore, ſeu ad iuſtitiam pro cuiuſq; ſanitate propria, dico, quod utroque modo bene, uel male ſe habet ad hiemem, vel æſtatem; temperata itaq; natura bene ſe habet ad tempus verum, quod ad tẽperiem maximè accedit, male verò ad hiemem, uel æſtatem. Intemperata natura, ſi parum excedit, bene ſe habet ad ſimilia, quia ſeruatur, ſiue ualde, male ad ſimilia, bene verò ad contraria tẽpora. Sed dices, Leones calidiſſimi ſunt, & bene ſe habent ad ſimilia, regionem. ſ. calidiſſimam, et in alia nõ viuerent frigida valde, ergo determinatio prędicta falſa eſſet; Dic (nõ ſicuti quidam, ꝙ ad conſeruationem bene ſe habent ad ſemper ſimile, nõ quò ad correctionem, ſubtilius, quàm verius) ſed dic conſeruari calidiſſimas naturas in calido tpe, et regione; primò ob aſſuetudinem; ſecundò ob formã, quę ſuapte natura illum exceſſũ requirit: Secus de homine; qui cum tẽperatus*

ſit

ſit, maximè ad hiemem, vel æſtatē mutatur; Quare dic, vt ſoluas argumentum, ꝙ non comparat ſolum naturas ad tempora, ſecundum qualitates primas; ſed ſecundum alias rationes, ob quas fieri poteſt, vt calidum valde, in calido magno ſeruetur non abſolutè, & ſimpliciter.

Quòd ſi natura dicat innatum calidum hac rōne quoque uerum eſt hoc; igitur calidum bene, uel male ſe hēt ad hiemē, ſeu ætatē; in corporib. enim quadratis, & carnoſis, bene ſe habet ad hiemē, quia augetur, male ad ęſtatem, quia diſſipatur. In gracilibus, & exſanguibus male ad hiemem, ꝙ vincatur à frigido; bene ad æſtatem, quia fouetur, & augetur. 3. adnotatio.

Quòd ſi natura ſumatur in tertia ſignificatione, ut corporis diſpoſitionē ſignificat, dico ꝙ gracilis habitus, & rarus, bene ſe hēt ad æſtatē; malè aūt ad hiemem, quia in illa ſeruatur calor eorum; uincit autē in hieme, ac denſi habitus homines, etiamſi frigidiſſimi, ad hiemem bene ſe habent, non penetrante eorum corpora frigido; quare Gal. ſcripſit non valere argumentum, hic lęditur à frigido; ergo frigidus eſt, quia poteſt eſſe calidus; ſed raræ texturæ, nec econtrà, ſi quis à frigido nō lędatur; ideo calidæ naturæ eſſe, quia poteſt eſſe denſi habitus, vt non facilè penetret in eius corpus frigiditas. Ita etiam, qui diſpoſitionem ad tabem à natura habent, male ſe habebunt ad hiemem, & autumnum, qui ad podagram, ad ver, & Autumnum; eo enim tempore exacerbatur dolor. 4. adnotatio. Lib Artis. Med.

Quòd ſi natura dicat totam corporis maſſam, ut omnem conſtructionē noſtram reſpicit, oē corpus bene ſe habebit ad ver, male autem ad Autumnum; at ad hiemem, vel æſtatem indifferēter; in vniuerſum enim iſta tempora, quia valde excedunt, lędunt omnia corpora; attamen minus contraria; proinde ad ſanitatem conſeruandam, neceſſe eſt, vt aeri hiemali, & ęſtiuo nos opponamus, ſeu per vnam ex quinque alijs rebus non naturalibus æque intentā: ſeu per omnes in minori intentione, quod magis placet. Hip. & Gal. lib. de Art. Med. 5. adnotatio.

Quòd lis eſt, an conducat magis totum annum temperatum, ſicut ver, an potius melius ſit temporum varias eſſe mutationes, & contrarias. Dic in vniuerſum, neceſſarium eſſe contrariorum viciſſitudinem; ſed quo minor eſt, & frequentior, pręſtantior; vt ſub Equinoctiali; nam ibi octo mutationibus terra fertiliſſima eſt, & in Aſia ſcripſit Hipp. ob temporum æqualitatem omnia eſſe grandiora, & pulchriora; attamen validę contrariorū mutationes, licèt ſimpliciter non ſint meliores, ad robur tamen, & fortitudinem, & audaciam magis deſiderantur, quare fortiſſimas gentes ſcripſit Hipp. hiemes, & æſtates habere validiſſimas regiones habitare aſperas, & montanas, ventis validis expoſitas: Regio itaque temperata illa eſt, in qua, neque ob frigiditatem horremus, neque ob calorē exſudamus, aut vavij ſumus: intemperata verò contraria habet. Li. de Dieta priuatorum. Libro de aere, & aquis.

APHO-

APHORISMVS TERTIVS.

Morbi quoque alij, ad alia beneficia.

cõnexio. *ADEO pendet iſta ſententia à ſuperiori, vt ferè vnum cum illa efficiat aphoriſmum. Cùm itaq; cõparaſſet in antecedenti naturas ad tpa; modo ad ea ipſa tempora, locos, victus, morbos, ac ætates comparat.*

Intentio. *Morbi, & ætates, diuerſimodè ſe habent ad tempora, loca, & victus.*

Rõ intentionis. *Vt non ſolum res naturales (quod ſupra factum eſt) ſed etiam morbos, qui ſunt præter naturam, inuicem comparet ad tẽpora, regiones, et victus; vnde colligat Medicus, tum ad conſeruandam ſanitatem, tum ad pellendos morbos, magnam vim habere tempus, ætatem, & regionem.*

Diuiſio. *In duas partes partiri poteſt iſta ſententia, vt in prima comparet morbos ad anni tempora; in ſecunda ætates ad loca, & victus genera.*

Demonſtratio *Anni tempus, locus, victus contrarietatem in ſe habent.*
Ergo morbi, & ętates ad ea diuerſimodè ſe habent.

Antecedens patet, temporum enim & locorum, ac uictuum, quędam calida, alia frigida, alia ſicca, alia vero humida ſunt; adde eandem contrarietatem in ſecundis qualitatibus eorum reperiri. Conſequentia manifeſtè ſequitur; vnus enim morbus, vel ętas ad contraria diuerſimodè ſe habeat neceſſe eſt.

1. adnotatio. *Quòd morbus quatuor modis poteſt comparari, ad anni tempora, regiones, ac victus; primo quo ad generationem; ſecundo quoad periculum; tertio quoad breuitatem; quarto quoad ſolutionem; primo modo morbus male ſe habet ſemper ad ſimile (morbi autem nomine ægrum intelligo) ſecundo modo, melius ſe habet ad ſimile, iuxtà illud. Minus periculosè ęgrotant à morbo proportionali tempori homines, tertio modo, melius ſe habent omnes morbi ad ætatem, quia eo tempore omnis morbus breuior eſt, vt quartanæ exemplo Hipp. demonſtrauit. At quarto modo conſiderati morbo correpti, oẽs bene ſe hab ẽt ad contraria; malè verò ad ſimilia; ideo morbos hiemales ſanari ad Aeſtatẽ, Autumnales verò ad ver. protulit Hip.* 2 Aphor. aphor. 3 p 2. Aphor. aph. 25. lib. de Natu. hum.

2. adnotatio. *Quòd ſi comparentur morbi ad regiones, eadem ratione inuicem ſe reſpiciunt; habet aũt regio unaquæq; ſuos peculiares morbos ratione ſitus ad Solem, ac ventos, ſeu aquarum, & victus, qui Endemij Gręcè dicuntur, vt Florentię Apoplexiæ, Ianuę Phtiaſes, Romæ Nefritides, ac peſtilẽtes febres. Hic uerò dices. Aer Patrius, ſimilis eſt, & tam magis curat morbos, quàm contrarios. Dic id per accidens contingere ratione, ſcilicet conſuetudinis, & naturę, quæ ſimilia indicant; vnde maior fit iuuamẽtum, quàm à contrarietate aeris. Iterum ſi morbus cõparetur ad victũ, non diuerſa rõne id efficies; et ſi aliquãdo ſimilia ſanant, vt piper, vel cępa febrem, id à contrarietate fit multa, ſeu ſympathia, quàm plerumque ignoramus.*

Quòd

3 adnotatio. Aph. 18. Lib. de Diæta.

Quòd ætates cum ſint ſecundum naturam; ideo fit, vt bene ſe habeant ad ſimilia, quę temperatæ ſunt, ad contraria verò, quę intemperatę, quare infra pueri, & adoleſcentes, Vere, & prima Aeſtate bene ſeſe habent, ac valent maximè. Aeſtate autem, & ad Autumni partem ſenes; Reliquo tempore, & hieme, medię ętatis homines. Aetas autem puerilis, licèt humida ſit; ſimilia poſcit, & tempore, & regione, et victu, quia ea humiditas natiua eſt, & neceſſaria ad augmentum, uel quia talem temperiem, temperatam exiſtimarunt Antiqui, & Hip. pueritiam ex calidis, & humidis temperatam appellat. Aetas autẽ ſenilis, licèt frigida & ſicca, quia vitę repugnat talis temperies, bene ſe habet ad victum calidum, et humidũ; in prima autem intẽtione, cum ętas ſit res naturalis; ſimilia expoſceret, Hip. tamen ꝑ contrarium victum regit ætates, quia reſpicit tutiorẽ victũ; nam à natura, & ætate, quantumuis intemperatis, ſumi debet indicatio ad ſimilia, cum de ratione naturę ſit conſeruatio, non reductio, aut curatio.

4. adnotatio. Lib. de alimento.

Quòd aer dupliciter nos immutare ſolet, & vt alimentum, & vt refrigerans; primo modo ſimilis eſſe debet noſtræ naturę; ſecundo uerò cõtrarius, & hoc illud eſt, quod ſcripſit, omnia membra ſimile trahere alimentum, pulmonem uerò contrarium, quam contrarietatẽ ita exponit Cardanus eſſe intelligẽdam, ut ſi corpus calidum ſit, aer debeat eſſe frigidus, ſi uerò frigidum, calidus. At dices ſi in frigido corpore requiritur aer calidus, cor nõ refrigerabitur. Sed non ſequitur, quia cor cum ſit calidiſſimum omnis aer; in quo uita conſiſtit reſpectu cordis, refrigerãdi uim habeat. Adde aerem non ſolum refrigerando, ſed uentilando calorem cordis tueri.

5. adnotatio.

Quòd mens Hip. in his duobus aphoriſmis eſt comparare ad inuicem res naturales, non naturales, & pręter naturã; ideo cum naturas, & ætates ad tempora, loca, & uictum comparat; uult nos ſupplere reliqua: ſomnum. ſ. et uigiliam, exercitium, animi accidentia, & reliqua, ex qua cõparatione, magna remedia ad morbos curandos, & ualetudinem tuendam ſumuntur; mirum enim eſt, quantum aeris mutatio, regionis, victus, ætatis, conferat Tabidis, Epilepticis, Hydropicis, aliiſuè huius generis deſperatis affectibus.

APHORISMVS QVARTVS.

In temporibus, cum eodem die modo calor; modo, &c.

cõnexio.

NEctitur cum præcedentibus non contemnenda ratione: dictum n. eſt tẽporis mutationẽ potiſſimum morbos parere; cumq́; id dupliciter contingat, aut ſecundum propriã cuiuſque, uel alterius temporis naturam; ideo aſſumens in exempla Autumnum, hanc rem docere intendit.

Cum eodẽ die, modo calor, modo frigus, Autumnales morbi expectãdi. Intentio.

Rõ intentionis. *Ne quis admiretur ſi in vno tempore, vt in vere, uel æſtate autumnales morbos fieri videat; nã omnes morbi, vt infra dicetur in omnib. temporib. fieri poſſunt, idq; hinc fit cum alterius tẽporis naturam aſſumpſerint, quia tempora non pariunt morbos, niſi ob qualitates, quæ in ipſis ſunt.*

Diuiſio. *Fruſtra quæritur diuiſio in tanta Aphoriſmi breuitate.*

Demõſtratio. *Tempus non parit morbos, niſi quia aer alteratur.*

Ergo cum eodem die modo calor; modo frigus eſt; Autumnales morbi expectandi.

Antecedens declaratur, quia vt rectè docet Gal. non alia ratione tẽpus parit morbos, niſi quia mutatur aer in qualitatibus.

Conſequens deducitur; quia qualitas Autumni eſt, vt mane, & ſero, vrgeat frigiditas, in meridie autem calor, ideo cum aliud tempus talem inequalitatem habebit, autumnales morbos gignet.

1. adnotatio. *Quòd quatuor anni tempora, ſuas habent qualitates quatuor elemẽtis reſpõdentes; Ver itaq; calidum eſt, & humidũ. Aeſtas calida, et ſicca. Autumnus frigidus & ſiccus; Hiems frigida humida: Cum itaq; ita ſe hẽnt iſta tempora, ſuas ſeruant naturas; quare peculiares ſibi; ac proprios morbos creant, de quibus infra; at cum alterius temporis naturã aſſumunt, morbos illius gignunt. Hoc eſt igitur, quod nunc docet Hip. aſſumens in exemplum Autumnum ipſum, vt & de ceteris id intelligamus, nominauit aũt magis Autumnum; quia quando reliqua tempora ſuam mutant naturã, facilè in Autumnalẽ ſunt, non ſolum aũt illius tpis morbos expectare oportet, cuius dominatur qualitas, ſed et ſolutiones eaſdem morborum, iuxta illud: Cum æſtas eſt ſimilis Veri, ſudores in febribus multos expectare oportet.*

2. adnotatio. 5 li. Aph. *Quòd cauſa inęqualitatis aeris in Autũno prouenit ex illius leuitate, qui facilè ideo recipit mutationes: quamobrem aquam leuiſsimam ſcripſit, quæ citò caleſcit, & frigeſcit; ideo fit, vt ob frigiditatem matutinã, & nocturnam facilè frigeat, ob calorẽ meridiei caleat. Adde inęqualitatis cauſam eſſe uim Solis occultam. Ariſt. in* Problem. *vel vẽtorum uarietatem, ſeu quod terra in Autumno recedente Sole, facilè redit in ſuam frigiditatem natiuam, quam aeri communicat, quæ cauſa in vere ipſa locum non habent.*

5. adnotatio. *Quòd Autumnales morbi deſcribuntur vigeſimoſecundo huius quartanę febres, ac Erraticę, lienis tumores, hidropes, tabes, aliiq; graues morbi, qui vel citò occidunt, uel diu affligunt corpora: vnde mox acutiſsimos ſcribet, & pernicioſos autumni morbos, & incerti perinde iudicij. Nota hic non ſolum morbos gigni in temporibus, ſecundum illorum naturam, vel propriam, vel alterius temporis, ſed etiam rationem temporum præcedentium ad ſubſequentia; primæ mutationis morbos refert inferius ab Aphoriſmo vigemo, ad vigeſimũquartum. ſecundę hic in ſexto, in ſeptimo, 15. 16. at tertię mutationis exempla ab 11. ad 15. ſcripſit.*

APHO-

APHORISMVS QVINTVS.

Auſter auditum hebetat, &c.

CVM in primo aphoriſmo mutationes temporum nõ ſolum ſecundum primas qualitates, ſed alias etiam, vt puta ventorum, & ſerenitatum; cumque de illa, quæ frigoris, & caloris eſt, in antecedenti dixiſſet, nunc ad illam accedit, quæ ventos reſpicit. cõnexio.

Duplex concluſio intenditur; prima, ad Auſtrum pertinet, qua dicitur Auſtrum in ægris auditũ hebetare; grauare caput, oculos obſcurare, membris languorem inducere. Secunda concluſio ad Boream ſpectat, qui tuſſes mouet, fauces inaſperat, aluum indurat, vrinas mouet, horrores incitat, lateris, & pectoris dolores facit. Intentio.

Multiplex eſt; Prima, vt moneat Medicum, ne mala, quæ à cauſa externa in ęgris accidunt, confundat cũ ijs, quæ rõne morbi fiunt, quę res magni ad prędictionem eſt momenti: Secundò, vt doceat vnico peculiari duorum ventorum exemplo omnium aliorum naturam; nam reliqui venti, prout magis, aut minus ad hos accedunt, ita alterandi corpora noſtra vim habent. Tertiò, vt demonſtret inter omnes ventos, hos duos maximam mutandi corpora noſtra vim habere. Rõ intentionis.

In duas partes partitur Aphoriſmus, iuxta duas concluſiones; quarum prima continet Auſtri effectus; ſecunda verò ipſius Aquilonis. Diuiſio.

Ventus ille, qui habet facultatem calefaciendi, & humectandi, auditum hebetat, caput grauat, &c. Demonſtratio. 1.

Sed Auſter habet facultatem calefaciendi, & humectandi.

Ergo Auſter auditum hebetat; caput grauat, oculos obſcurat, & languida efficit membra.

Maior probatur, ſi quidem illæ duę qualitates maximę repletionis cauſa ſunt in capite, & neruis; pręcipuè cum humiditas exuperat, vt in Auſtro: adde aerem offuſcare, & denſare medium ad videndum, & audiendum; vnde omnes prędictę paſſiones veniunt.

Minor ex natura illius venti declaratur; omnia enim nõ ſolum, quæ ſub Luna ſunt (auctore Hip.) ſed & cælum, & ſtellę hunc uentũ ſentiunt; et eu ſiccis humida fiunt, & ex claris obſcura, & ex frigidis calida. Lib. de morbo ſacro.

Qui ventus vim habet refrigerandi, ſiccandi, & penetrandi, tuſſes mouet, fauces exaſperat, aluum indurat, &c. Demonſtratio ſecundæ.

At talis eſt Aquilo, ſeu Boreas.

Ergo omnia prædicta efficiet.

Minor de ſe clara eſt: Maior probatur; ex eo enim quod frigidus penetrans, ac ſiccans, tuſſes mouet, & fauces exaſperat: frigidum enim pectori inimicum, & ſiccum exaſperandi vim habet, aluum indurat, tum ſiccando, tum calorem conſumentem augẽdo, tum anum coarctando; urinã ſupprimit aſtringendo, debilitãdo, horrores excitat, ꝙ frigidus, pectoris dolores;

lores; præcipuè, quia pars eſt exſanguis, aſtricta calidis viſceribus admodum ſenſilis; & quia refrigerando exprimit à cerebro, & fluxus facilè in pectus refrigeratum recipit, vnde pleuritides.

1. adnotatio. *Quòd ventus apud Ariſt. eſt motus ſiccæ exhalationis factus in aeris frigiditate. Hipp autem eum appellat aeris vndam, & fluctum; quarum vtramque ſententiam ita tueri poſſumus; ſi dicamus exhalationem venti, cām eſſe, & principiū; attamen quia ſecū aerem mouet, & maior pars mobilis aer ſit; ideo facta à maiori denominatione dicitur motus aeris.*

2. Adnot. *Quòd de qualitate venti in communi eadem eſt controuerſia; nam ſi materia venti exhalatio eſt ſicca, & calida, vt inquit Ariſt. ſequetur, vt qualitas venti debeat eſſe calida, & ſicca; at Hip. docet omnem ventum habere vim refrigerandi, & humectandi; quia ex niue, & glacie, fluminibus, & lacubus exoriuntur. Diluitur tamen ſic iſta difficultas; ventō ratione materiæ, & efficientis deberet calefacere, & exiccare; attamen, quia maior eſt copia vaporis frigidi, & humidi; qui cum ea miſcetur; dic. frigefacere, & humectare magis, vincentibus ijs qualitatibus. Secundo refrigerat ventus ſemper, ſaltem ea ratione; quia aerem congruū remouet à corpore, alterum inducens frigidum: ſed cum exhalatio, & vapor, facilè alterent, & recipiant qualitates; tunc fit, vt venti ratione locorum, per quos tranſeunt varias acquirant qualitates; & modo refrigerent; modò calefaciant, humectent, & exſiccent, ſanitates conſeruent; aut corrumpant; pluuias, aut ſerenitates inducant.*

3. adnotatio. *Quòd venti multi numerātur, octo tamen præcipuè deſcribuntur; quattuor principales, quattuor reliqui collaterales. Principales ſunt, Boreas, Auſter, Oriens, & Occidens, ſecundarij collaterales; omnium in exemplū aſſumit. Hip. duos ventos præcipuos, & maximos; Auſtrum calidiſſimum, humidiſſimum, tardiſſimum. Boream frigidiſſimum, ſicciſſimum, violentiſſimum; per quos de alijs ventis coniecturam facere licet, quatenus ad hos accedunt.*

Quarta adnotatio. *Quòd tam Boreas, quàm Auſter in ortu ſuo frigidi ſunt, & eam qualitatem inducunt; Auſter tranſiens per calidam regionem Africæ; & marcaliditatem acquirit, & humiditatem. Aquilo autem, quia non longè à nebis efflat, ſuam ſeruat naturam; eſt autem omnium ventorū ſaluberrimus; ſicuti Auſter ad eos, qui Antarctico accedunt; nobis tamen contrarius eſt Auſter, qui duplex eſt, alius cum pluuijs, & humidus; alius autem cum ſqualore: vnde primo Epid. ſiccitates vocat Auſtrinas, eſt tamen ſemper humidus potentia.*

Quinta adnotatio. *Quòd venti, non ſolum manifeſtis qualitatibus nos afficiunt; ſed occultis, & malignis; nam ſeu animalium mortuorum deferens halitum, ſeu ex hiatibus terræ, montiumve diuiſionibus effletur aura maligna; ſeu impreſſione ſiderum infectetur, magnas calamitates mortalibus afferre ſolet.*

APHO-

APHORISMVS SEXTVS.

Cum æſtas ſit veri ſimilis, &c.

CVM in quarto aphoriſmo dixiſſet morbos autumnales quouis alio tempore fieri poſſe, ſi ſeruet autumni qualitates; nunc docet quoad ſolutionem morborum idem contingere. cõnexio.

Cùm Aeſtas fuerit veri ſimilis ſudores in febribus multos expectare oportet. Intentio.

Vt demonſtret morborum tempora, non ſolum ad gignendos; ſed etiam ſoluendos morbos vim habere, & quando maximè per ſudorem. Rō intentionis.

Non eſt hic neceſſaria ob ſententiæ breuitatem. Diuiſio.

Quo tempore maximè vigeãt ſudores, eò illos in febribus expectare oportet. Demõſtratio.

Sed cum Aeſtas fuerit veri ſimilis, maximè vigent cauſæ ſudoris.

Ergo eo tempore ſudores in febribus, maximè expectare oportet.

Maior de ſe nota eſt. Minor probatur; nam ſudoris cauſa efficiens calor eſt, materia humiditas; prima, Aeſtate dominatur; ſecunda ex ſuppoſito conceditur: ergo in Aeſtate humida, maximè vigent cauſæ ſudoris.

Quòd ſudoris, & vrinæ eadem eſt materia; eſt enim vtrumque ſeroſum excrementum, vrina tamen hepatis, ſudor membrorum; cauſa efficiens calor eſt, qui tranſmutat aquoſum humorem in vaporẽ; ille autem ad cutim perueniens denſatur, & fit rurſus aqua; in ſanis itaq; ſudoris materia aquoſum eſt excrementum membrorum, in ægris autem bilis, uel pituita attenuata, vnde Hip. naturam admirãs laudat, quæ per occultos corporis meatus humorum calidorum exhalationem perficit. 1. adnotatio. Lib. de arte.

Quòd ſudoris differentiæ, vel quantitate determinantur, vnde multus, paucus, mediocris, vel qualitate, & iſtud dupliciter; prima, vnde dicitur calidus, aut frigidus; ſecunda, vnde ſalſus, amarus, aut dulcis; tempore, qua ratione criticus dicitur, aut ſymptomaticus: ſubiecto ſic, vel vniuerſalis, vel particularis, ille in toto corpore, hic in parte illius cuẽtu, quia quidam optimus, alius bonus, alius malus, alius peſſimus. 2. adnotatio.

Quòd Aeſtas poteſt comparari ad reliqua tempora, quoad ſudores tribus modis; primo, abſolutè, & ſic dico, quòd magis fiunt ſudores in æſtate, quam in reliquis temporibus, id, quod experientia monſtrat; & ratio, adſunt enim caloris copia, & humoris tenuitas; quę ad ſudorem requiruntur: ſecundo modo fieri poteſt comparatio ætatis ad reliqua tempora, quando humida fuerit, qua ratione etiam æſtate magis, quàm in cæteris temporibus ſudores fiunt: tertio comparari poteſt æſtas humida ad ſeipſam, cũ fuerit ſicca, & tunc magis ſudores gignit cum humida eſt, quàm cum ſicca; at: 3. adnotatio.

dices

dices propoſitio videtur falſa; quia in vere abſolutè, cum adſit vtraque qualitas ſudoris, magis quàm æſtate ſudores fient; nam æſtate caliditas, adeſt, & ſiccitas; vnde magis in halitum fit diſſolutio. Dic æſtate ſuam naturam ſeruante plures eſſe ſudores numero, quam in vere, non tamen in quantitate.

4. adnotatio. *Quòd cum ſudor duplex ſit; Criticus, & Symptomaticus, de vtroq; hic loquitur Hip. ſed præcipuè de Critico. Dixit verò expectandos in febre ſudores, non quòd alijs in morbis non ſint expectandi; ſed quia in æſtate frequentior morbus eſt febris; & quia febres potiſſimum ſudores iudicare ſolent; cæterum futuri ſudoris indicia ſunt aucta caliditas, anxietudo, difficultas ſpirandi, facies inflammata, vndoſus pulſus, cutis rara, tempus calidum, & humidum.*

APHORISMVS SEPTIMVS.

Magnis ſiccitatibus febres fiunt acutæ, &c.

Connexio. *CVM de mutatione qualitatum actiuarum, in quarto Aphoriſmo egiſſet, nunc de ea, quæ fit in paſſiuis agit, accipiens ſiccitatem in temporibus dominantem.*

Intẽtio. *Duplex proponitur concluſio; prima, Magnis ſiccitatibus febres acutæ fiunt; ſecunda, qualis fuerit in anno temporis ſtatus, tales expectandi morbi.*

Rõ intentionis. *Vt Medicus, & prædicere, et præcauere poſſit morbos, qui in ſiccitatibus fiunt, & in vniuerſum intelligat morbos ſequi conſtitutionem temporum.*

Diuiſio. *Eſt textus in duas partes, iuxta duas cõcluſiones prædictas; prima pars continet morbos, qui in ſiccitatibus fiunt; ſecunda verò quaſi corollarium eſt primæ concluſionis.*

Demõſtratio primæ *Quo tempore bilis dominatur, febres fiunt acutæ.*

At magnis ſiccitatibus dominatur bilis.

Ergo eo tempore febres acutæ fiunt.

Maior probatur, quia acuti morbi plerumque vel ex bile fiunt, vel ex ſanguine ad bilem vergente. Minor etiam oſtenditur, nam ſiccitas ad calorem diſponere ſolet humores: vnde ſcripſit Hip. caleſcente ſanguine exhalare humorem aquoſum, relinqui autem pinguem, qui febris eſt alimentum, ſicut aquoſus infeſtiſſimus, & contrarius.

Secunda concluſio, ex prima deducitur hunc in modum.

Demonſtratio ſecundæ. *Siccis temporibus febres acutæ fiunt.*

Ergo qualis fuerit annus, tales morbi expectandi.

Antecedens iam probatum eſt, conſequens deducitur: nam ſi ſicco anno ſicci fiunt morbi; ergo humido, humidi, calido, calidi, & frigido, frigidi;

di, & ſi conſtans, conſtantes, ſiue varius, varij.

Quòd ſiccitas vel eſt Auſtrina, vel Aquilonia: rurſus vtraque iſtarũ, vel eſt valida, vel debilis; iterũ ſi valida, vel extrema; vel nõ extrema, Aphoriſmus verus eſt, de quacunque valida ſiccitate. At dices, ſi ſiccum incraſſandi vim habet; ergo non magis bilẽ, quam melancoliam gignet; at ex Melancolia longi fiunt morbi. Dic ſictitatem ſemper reſoluere humores; ideo, vel bilem gignere, vel adurere, vnde atra; ſed acris, & aſſata gignitur bilis; quæ, & ipſa acuti morbi ſolet eſſe cauſa. Vel dic ſiccitatem magis diſponere ad calidum, quàm ad frigidum, ſanguis enim, & bilis calidę ſunt: quare etiam ſi dominetur ſiccitas, remanet caliditas; vnde acuti fiunt morbi. 1. adnotatio.

Quòd febris acuta duplex eſt, alia quæ viſcerum ſequitur abſceſſus; alia vero humores in uenis calefactos, quæ verò ſequitur humores in uenis; aut eſt ſimplex, aut putrida, aut maligna; omnes iſtæ febres in ſiccitatibus fiunt; ſed in auſtrinis, atque extremis peſtilentes, & malignę fieri ſolent, licet enim ſiccitates imbribus ſunt ſalubriones, ſi tamen vbi ſiccitas Auſtrina eſt, vel admodum exceſſiua, peſtis gigni ſolet; quia humor per eam exuritur, qui carbunculorum, & peſtis materia eſſe ſolet: vnde Hip. peſtilentem deſcribens conſtitutionem præceſſiſſe illam ſqualores ſcribit; at ſi ſiccitas fuerit valida: non tamen extrema, neque Auſtrina, febres fient acutæ, non mali moris; quas ſimpliciſſimas appellauit 3. Prognoſt. libro. 2. adnotatio.

Quòd morbus ſiccus apud Hip. dupliciter dicitur, vel quia crudus eſt; qua ratione ſiccam appellat Pleuritidem, cum nil expuitur, aut parum, & crudum, aut quia ſit ſua natura ſiccus: intelligit potiſſimum ſecundo modo. At dices, ſi acutæ febres omnes fiunt cum periculo; quare ſalubriores ſiccitates imbribus infra ſtatuit? Dic, quia humiditatis morbi longè ſunt periculoſiores. At rurſus inſurges ex Hip. dicente ſiccum magis retinere morbos, & magis dolere, humidum verò minus, & rationem addidit: quia in ſicco morbus ſtabilior eſt, in humido autem diffluit. Dic veram eſſe ſententiam, ſi morbos humorum ad membrorum affectiones compares, attamen ſiccum ea ſaltem ratione ſanius eſt, quia ad putredinem minus eſt aptum. 3. adnotatio. 1. Acut. De locis in homine.

Quòd verbum in ſecunda concluſione additum magna ex parte ſignificat non eſſe neceſſarium tales fore morbos, qualis temporum conſtitutio indicat: quia Victus ratio, & alia repugnantia poſſunt id prohibere, quare ſcripſit infra, in omnibus temporibus omnes fieri morbos poſſe, licet in quibuſdam quidam magis fiant. 4. adnotatio.

Quòd licet Aer ſemper exſiccet corpus noſtrum in quacunque ſit diſpoſitione ea ſaltem ratione, qua lumine, & vi ſolis caleſcit; tamen nil prohibet humectare, quia humiditas inducta à vaporibus maior eſt; ideo ab- 5. adnotatio.

ſolute humectare dicitur,licet ſemper habeat aliquã exſiccãdi vim: vnde medius aer vna ex cauſis neceſſario calidum noſtrũ exſiccantibus ſtatuit.

APHORISMVS OCTAVVS.

Certis temporibus ſuam tempeſtiuitatem &c.

Cõnexio. *CVm in antecedentibus Aphoriſmis, de hac,vel illa temporis mutatione in particulari egiſſet, & in vltima præcedentis Aphoriſmi parte, tales fore morbos ſtatuerit, qualis temporis conſtitutio fuerit,nunc id ipſum magis explicat aſſumens omnes mutationes.*

Intentio. *Duplex proponitur concluſio, Prima eſt. Conſtanti tempore conſtantes fieri morbos, ac iudicatu faciles: Secunda, vero huic contraria, Inconſtantibus temporibus inconſtantes fieri morbos, & iudicatu difficiles.*

Ratio intentionis. *Vt ex anni conſtitutione, qualis futura ſit morborum natura prædicere Medicus poſſit,ac proinde accuratus ſit in prædicendo in eiuſmodi morbis, quippe qui ſæpe fallant.*

Diuiſio. *In duas partes partitur præſens ſententia: in prima ponit Hipocrat. vnam concluſionem: in ſecunda verò alteram.*

Demonſtratio, *Quo tempore valida eſt natura, humores ſimplices, & vniformes in corpore, conſtantes, ac boni iudicij morbi fient.*

Sed in conſtantibus, ac tempeſtiuis temporibus virtus valet; humor vnius generis dominatur.

Ergo in conſtantibus, ac tempeſtiuis temporibus morbi fient conſtantes, & boni iudicij.

Maior clara eſt; nam robur naturæ, & humorum ſimplicitas morbos facit vniformes.

Minor oſtenditur: quia tempora ſuam naturam ſeruantia, ſeruant etiam noſtram, & humores gignunt ſibi peculiares; Ver ſanguinem. Aeſtas bilem; Autumnus atrambilem, Hiems pituitam; At econtra, vbi inæquale, & inconſtans eſt tempus, robur naturæ diſſoluitur, Varij humores gignuntur: vnde neceſſe eſt morborum fieri diuerſas formas, & praua iudicia, quod ſtatuitur in ſecunda concluſione.

Prima adnotatio. *Quòd conſtantia anni in tribus conſiſtit, in primis qualitatibus, vt ſeruent, vel non ſuas qualitates, in uentis, vt ſuos proprios habeant ventos, ſuas tranquillitates, in pluuijs, & ſerenitatibus; cum itaque annus ſuam in iſtis ſeruauerit naturam, & perſeueret, dicitur conſtans, ac tempeſtiuus, uerum cum defecerit in omnibus, uel in aliquibus inconſtans, & intempeſtiuus: Vndè hunc annum deſcribens ait Hip. Cum in Perinto abundauerit aliquid, aut uenti ſicci, aut non uenti, aut aquæ, aut ſiccitates, aut ardores, aut frigora.*

2. Epidē. lect. 1.

Quòd

Quòd tempeſtiuus dicitur annus, qui ſuam naturam ſeruat; conſtans uerò ubi illam retinet; ideo iunxit iſta duo, conſtans, & intempeſtiuum, poteſt autem annus eſſe, uel inconſtans, & intempeſtiuus, uel econtra, aut tempeſtiuus, ſed non conſtans, uel econtra Hip. itaque intelligit de primo & ſecundo ſignificatu. 2. adnotatio.

Quòd morbus dicitur inconſtans tripliciter; numero, quando uarij, ac diuerſi morbi gignuntur, immo contrarij, ut Phrenitides, & Zetargi. Forma, quando non ſeruant ſua ſimptomata, ut febris ardens cum ſomno, & ſine ſiti, tertio in tempore, quando non ſeruant ordinem; nec in uniuerſalibus, nec in particularibus proximis, in uniuerſali, ſi mox uideātur mites; paulò poſt inſurgentes, mox coctionis, mox cruditatis indicia appareant, exacerbationibus, ſi diem, nec horam ſeruent determinatam. 3. adnotatio.

Quòd facile iudicium dupliciter conſideratur, ſicuti & difficile, uel quia facile à Medico iudicatur, aut econtra, uel quia bonum ſit, aut malum iudicium, utroque modo intelligere oportet, bonum: nam in conſtanti morbo bonum ſolet eſſe, ac facilis dignotionis iudicium, in inconſtantibus uerò malum, ac difficilis cognitionis. bonum itaque eſt iudicium quod fit in effectu per dignam euacuationē, uel abſceſſum, ſignis coctionis apparentibus in die iudicatorio: unde morbus, uel in totum, uel magna ex parte tollitur: contrarium malum, & recidiuas, & mortes, & dolores ſignificat, infidum eſt, ideo cognitu difficile. 4. adnotatio.

Quòd Autumnus habet hoc peculiare, ut ſua natura inconſtans ſit ſemper: ideo morbos incōſtantes gignat, igitur dabitur tempus, quod ſeruans ſuam naturam morbos inconſtantes gignit, quod abſurdum eſt: nam cum non ſeruabit conſtantes gignet. Dic inconſtantem morbum dici dupliciter, uel reſpectu illius temporis, in quo fiunt, ſic Autumnales morbi conſtantes dicuntur, uel inconſtans dicitur reſpectu aliorum temporum; ſic morbi Autumnales inconſtantes dicuntur, & mali iudicij: quia comparata ad morbos reliquorum temporum tales habentur. 5. adnotatio.

APHORISMVS NONVS.

Autumno in vniuerſum morbi acutiſſimi, &c.

Dupliciter necti pōteſt Aphoriſmus cum pręcedentibus: primo cum quarto, in quo dixit fieri morbos autumnales, cum eodem die uiget modo calor, modo frigus, quare nunc, qui ſint iſti morbi, declarat: ſecundo, cum antecedenti, in quo dixit morbos conſtantes conſtanti fieri tempore, inconſtantes autem inconſtanti, cumque Ver tempus conſtans maximè ſit, autumnus uerò inconſtans: ideo nunc de Autumni, & Veris natura agit. cōnexio.

Intentio. *Duplex proponitur concluſio; prima eſt Autumno morbi fiunt acutiſſimi, & pernicioſiſſimi: ſecunda, ver ſaluberrimum eſt, & minime exitioſum.*

Rō intentionis. *Vt cognoſcat Medicus, quæ tempora ſint morboſa magis, & quæ ſalubria, ac perinde, vel ex ipſo tempore, de euentu morbi bono, vel malo iudicare poſſit.*

Diuiſio. *In duas partes ſecari poteſt præſens Aphoriſmus: prima continet, quæ ſit autumni natura: ſecunda vero, quæ veris.*

Demōſtratio primę. *Quo tempore vires languent magis, & maior humorum prauitas, eò acutiſſimi morbi fient, & pernicioſiſſimi.*

Sed Autumno, languor virium maior eſt, & Cachochimia maior.

Ergo eo tempore acutiſſimi, & pernicioſiſſimi fient morbi.

Maior clara eſt, ſi quidem, languor virium, & prauitas humorum acutiſſimos parit morbos.

Minor probatur; nam virtus eo tempore debilior eſt, tum ob æſtatem præcedentem, tum ob temporis inęqualitatem, tum quia corpus denſatur, nec etiam ſpirat, Cachochimia autem maior, quia bilis abundat, ob præcedentem Aeſtatem; pituita verò ob fructuum eſum, & frigidè potum, & crudarum herbarum ingluuiem. Melancolia, quia Autumni propria eſt, tunc fit, vt Autumno magis, quàm in cęteris temporibus vigeat humorum prauitas: vnde ſcripſit Hip. ſic ſe habere ad annum Autumnū; ſicut veſpertinum tempus ad diem, & exacerbationem ad febrem.

Secunda concluſio facile à contrario deducitur: Ver enim ſaluberrimum eſt; quia vires valentes ſunt, & calor innatus viget: humor autem, qui abundat, benignus ſanguis, motus non ad intra, ſed extra fit, mutatio non ad frigidum, vt in Autumno, naturæ inimica; ſed ad calidū amica.

1. adnotatio. *Quòd tempus dupliciter agit in nos, vel qualitate manifeſta, uel qualitate occulta: primo modo parum diſtat Ver ab Autumno, ſi quidem ambo tempora mediocria ſunt, ac temperata: at ſecundo modo longe differunt: quia vel ob ſolis acceſſum, vel alia quauis ratione; Vere omnia rident, & pullulant: atque veſtiuntur plantæ; at Autumno ſqualent omnia, & areſcunt: vnde fit, vt Hip. adduxerit hanc mutationem, vt potentiorem, quam eam, quæ fit æſtate, vel hieme, licet adeo in eis primę vigeant qualitates. At contradices ex Hip.* De aere, & aquis. *Solſtitia periculoſiora ęquinoctiis, maximè ęſtiuum: vnde ęquinoctia, ſed magis Autumnale, quare videtur poſſe colligi Aeſtatem pernicioſorem Autumno. Dic intellexiſſe ſecundum manifeſtam qualitatem, attamen non ſecundum occultam, & alias cauſas, quæ in Autumno ſunt.*

2. adnotatio. *Quòd Ver, vt cumque conſideretur, ſeu in ſe, ſeu in reſpectu aliorum temporum, naturam habet calidam, & humidam, ſemper enim calefit à ſole: nec ſequitur, quod infert Gal. (contendens eſſe temperatum) quod*

eſſet morboſum: quia id de calido humido intelligitur excedente, non mediocri, quale eſt veris, nec ſequitur, quod infert, ſi reſpectu aliorum temporum, quòd eſſet frigidum, & ſiccum ver ratione æſtatis: quia ratione æſtatis non dicitur frigidus, ſed minus calidus, & humidus. Cum igitur multa uigeat hieme humiditas, in Vere excaleſcat ſemper aer, aſſerēdū eſt eius naturam calidam, & humidam cum Hip. & antea dixit ſudores multos æſtate generandos eſſe, ſi æſtas veri ſimilis fuerit, quod ſi temperatum dicitur aliquando ver: id ita intelligi debet, quia antiqui eam tēperiem mediocrem dixerunt, ſic Hip. pueros ex calido, et humido tēperatos appellat. Lib. de dieta.

Quòd ſanguis in temperie, veri reſpondet, ob diuerſas tamen conſiderationes uariè qualificatur; nam ſecluſo innato calido, frigidus eſt, & ſiccus, ut uero dicit aggregatum omnium quatuor humorum, temperatus nuncupatur: quia in eo non uidetur aliqua excedere qualitas: at ſi comparetur ad hominem temperatum, dicitur calidus, & humidus, ſi uero in temperie ad iuſtitiam, temperatiſſimus eſt, ſpiritus autem quoad cutim calidiſſimus eſt, quoad iuſtitiam, vt inſtrumentum temperatus. 3. adnotatio.

Quòd morbus acutus dupliciter dicitur, uel ratione breuitatis, uel ratione ſimptomatum prauorum, primo modo acutiores ſunt morbi æſtiui: quia breuiores; at ſecundo modo autumno: quia maiores, ideo iunxit iſta duo Hip. morbis autumni, ut ſint acutiſſimi & pernicioſiſſimi, cum enim interficiunt, celerrime id faciunt, cum uero uincuntur, non niſi longo tempore decedunt, quare dicuntur morbi autumnales, uel longi, uel mortales, qui uero ſint autumnales morbi infra oſtendet Hip. 4 adnotatio.

APHORISMVS DECIMVS.

Autumnus tabidis nociuus.

CVm in antecedenti damnaſſet autumnum, quòd morbos gignat acutiſſimos, & lętales, nunc alia ratione illum uituperat, quòd tabi, & alijs eius generis ſit nociuus. Autumnus tabidus nociuus. Cōnexio. Intentio.

Vt oſtendat uno propoſito exemplo unius morbi longi, ac peſſimi, omnibus morbis longi nociuum eſſe autumnum: vnde acutis, & longis perniciosum colligatur tempus illud, hinc ad malum euentum prędicendum tempus illud magnam vim habere. Rō intentionis.

Tempus inæquale frigidum, & ſiccum tabidis nocet.

Talis eſt Autumnus. Ergo tabidis nociuus eſt. Demonſtratio

Maior probatur, quia tale tempus innatum calidum debilitat, quare nutritio fieri nequit, auget proinde ulcus frigiditate, ſiccitate autem febrem, & conſumptionem inæqualitas uero non ſolum debilitat calorem, ſed fluxiones concitat.

Prima ad notatio. *Quòd tales in ſua vniuerſali ſignificatione idem eſt, quod conſumptio, conſumitur autem corpus, vel ſecundum totum, vel ſecundum partẽ: rurſus totius corporis conſumptio, aut pendet eſſentialiter ex humidi conſumptione, vt in Ectica, vel ex aliquo membro, vt in Atrophia, & Cachochimia, pendente malo ex iecore, aut liene, aut alio quouis membro. Hip. itaque hinc de omni conſumptione loquitur, ſed potiſſimum, de illa, quæ fit vitio pulmonis vlcerati, cum febri conſumpta: nam Autumnus, & pulmoni ipſi, & vlceri, & febri repugnat.*

3. adnotatio. *Quòd Autumnus licet ratione ſiccitatis conferre videatur vlceri, magis tamen nocet tum ratione frigiditatis, tum febris, tum inæqualitatis: nota tamen Hip. non modo Autumnum tabidis, ſed & principium Veris tabidis nocuum cenſere; id verò ob inæqualitatem indicauit fieri, non tamen Ver ipſum abſolutè, quia ſaluberrimum eſt tempus. Hic vero difficultas naſcitur ex Hip. primo Epidem. prima, ubi mori ſcripſit magis cos tabidos, quibus natura ad tale malum prompta erat, quod videtur repugnare Aphoriſmo 35. Secundæ Sect. Dic minus periclitari hominem à cauſa proportionata, cum cauſa diuerſa fuerit, non tamen à cauſa eadem, calidum enim, eodem gradu ſi lædat frigidum & calidum, magis lędet calidum, quia ſupponit Hip. maiorem eſſe ſolere cauſam, quæ mutat corpus contrarium, quam ſimile, ſit autem in vniuerſum tueri ſententia illa poteſt, quàm cum Gal. eam ſolum de morbis in intemperie intelligere.*

6. Epid.

3. adnotatio. *Quòd tabidi omnes, & qui longo morbo iam affecti ſunt, non ſolum in Autumno peius habent, ſed eo tempore potiſſimum moriuntur, cauſa eſt uirtutis caſus, quæ ſola ſuſtinet uitam, & licęt ratione frigiditatis, & ſiccitatis morbus conferat Autumnus calidis, & humidis, magis tamẽ nocet in uniuerſum ob cauſas iam prædictas: unde Hip. talem proportionem habere Autumnum ad annum ſenſit, qualem acceßionis tẽpus ad morbum.*

2. Epid.

APHORISMVS VNDECIMVS.

Inter anni partes: ſi Hiems ſicca, &c.

cõnexio. *CVm hactenus multa de temporis mutationibus, quaſi in uniuerſum diſputaſſet Hip. nunc de mutatione agit in particulari plurium temporum, quatenus ſibi inuicem ſuccedentes morbos gignunt uarios.*

Intentio. *Præcedente Hieme ſicca, & Aquilonia; Vere autem ſequente pluuioſo, & auſtrali, Aeſtate febres fient acutæ; ophtalmię, & diſſenterię mulieribus præſertim, & uiris natura humidioribus.*

Rõ intentionis. *Vt oſtendat, quomodo Medicus ex temporum diuerſa conſtitutione poſſit prædicere, & pręcauere morbos in longiori tempore, & itidem doceat ob temporum pręcedentium conſtitutionem multos fieri poſſe morbos in aliqua anni. parte, etiam ſecundum naturam habente.*

Cum

Cum aphoriſmus contineat unicā concluſionē non admittit partitionē. Diuiſio.

Quòd oculos, & inteſtina debilitat, humiditatem aggregat, & feruorem inducit, acutas febres pariet, ophtalmias, & diſenterias. Demonſtratio

Sed talis eſt temporis conſtitutio præſcripta.

Ergo tales fient morbi in Aeſtate.

Maior oſtenditur, nam ex debilitate partium fit diſpoſitio ad ſuſcipiendos morbos, humiditas apta materia eſt ad fluxionem, feruor ebullitionem facit; & colliquando humorem accendit.

Minor autem declaratur, ſiquidem per Hiemem frigidam ſiccam lęduntur oculi, frigidum enim oculos mordet; lædit etiam inteſtina eadem ratione ſua natura exanguia; Veris humiditas accedit, vt materia, feruor ęſtatis, vt efficiens: nam vt ſcribit Hip. terrā madidam adueniente ęſtate calorem ſuſcipere, ac feruere: vnde liquata in uenis materia febres acutę fient, cum verò tranſmutatur ad oculos, lippitudines facit, quod enim toto corpore, febris, oculis, ait Ariſt. lippitudo eſt, at fluente humiditate ad inteſtina, vtpote calida, & acris, ac ſalſa, mordet illa, & incitat diſenterias. De aere, & aquis.

Quòd prædictos morbos non Hieme fieri dixit: quia deeſt materia, ſupponitur enim ſicca, neque vere: quia deeſt calor, & quia humiditas illa corrigit præteritam ſiccitatem, ſed quia elongatur ad æſtatem vſque; ideo tunc abundans magis, quam conuenit, ebullitur à calore ęſtiuo. At dices, ſi Hiems eſt adeo longa, Ver verò ita breue, quomodo ſuperabundat humiditas: immo corrigere poſſe videtur præcedentem ſiccitatem. Soluitur tamen: quia ad correctionem intemperieī non requiritur ęquale tempus, ſed intentio: nam medicamentum ſemel applicitum, ſed validum & intentum, tollere poteſt intemperiem etiam multò antegenitam. 1. adnotatio.

Quòd quemadmodum hi morbi ex aeris mutatione pendent, ex feruore inquam, ęſtatis, & humiditate Veris: ita, & per aeris mutationem contrariam ſolui conſueuere, quare ſi Eteſię venti illi frigidi anules ad caniculam ſpirauerint, ait Hip. ceſſare iſtos morbos: ita etiam ſi per artem locus alteretur, ceſſabunt, & pręcauentur, pręcauentur quoque in contrariam victus rationem, exſiccando corpus ipſum. Sed dices, Hip. vult ceſſare hos morbos non ſolum ſi ſpirauerint Eteſię, ſed ſi pluat in Aeſtate, quod videtur repugnare, ſiquidem humida conſtitutio à pluuia non videtur corrigi poſſe. An quia refrigerando feruorem attēperāt? Adde, aquā illam eſſe tempeſtiuam, & temporis naturalis conſtitutio tantum poteſt, vt etiam morbos ſimiles curare valeat, non ſecus ac patrius aer, addit autem Hip. loco citato, quòd niſi à ventis illis & aquis corrigatur præcedens aeris qualitas, fore, vt ex illis morbis, & pueri, & mulieres emoriantur, non ita tamen ſenes, vel ſi ſuperſtites euadant, in quartanas incidant, & ex quartanis in hidropes, mulieres enim, & pueri, quia humidi ſunt, ideo à prędictis morbis magis patiuntur, at ſenes, quia frigi- 2. adnotatio. De aere, & aquis.

 diores

diores non ſimiliter acutis febribus corripiuntur.

ſ. adnotatio. *Quòd febris acuta eſt in duplici differentia, vel colerica, quę maximè in ſiccitatibus fit, vel ratione ebullitionis, quæ maximè tempore calido, & humido inuadit, de qua maximè hinc intelligit. Nota verbum illud (neceſſe eſt) ex Gal. ſignificare nobis ſcriptos eſſe hos aphoriſmos experientia; ſed ſecundum demonſtrationem.*

APHORISMVS DVODECIMVS.

Si verò Hiems auſtrina, pluuioſa, &c.

cõnexio. *CVm in præcedenti aphoriſmo morbos ęſtiuos aſſumeret, qui ad frigidam, & ſiccam Hiemem, humidum autem Ver, accidunt, nunc contrariam conſtitutionem aſſumens morbos ęſtiuos numerat, qui ad auſtrinam Hiemem, borealem vero ſequuntur vernũ Hieme pręcedẽte auſtrali, & pluuioſa, ſi ver ſiccum, & aquilonium ſuccedat, abortus, & difficiles partus ad Ver fiũt, diſenterię ophtalmię ſiccę, et ſenibus catarri pernicioſi.*

Intentio.

Rõ intentionis. *Vt demonſtret, quo pacto pręd icere, ac pręcauere Medicus poſſit pręſcriptos morbos: ſecundo, vt doceat ad contrarias temporis conſtitutiones non ſolum contrarios fieri morbos, ſed etiam ſimiles: tertio, vt cognoſcamus ob cauſarum magnitudinem morbos accelerari: nam cum pręcedenti Aphoriſmo, ęſtate fieri dixiſſet, nunc vere fieri dixit.*

Diuiſio. *Hinc non eſt neceſſaria, qđ vnã cõcluſionem totus habeat aphoriſmus.*

Demonſtratio. *Quo tpe concitatur humorũ fluxio ad vterum, inteſtina, oculos, & magnas venas fient abortus, partus debiles, diſenterię, ophtalmię, et catarri.*

Sed vere iſtę fluxiones concitantur exiſtente frigido, & aquilonio, vbi pręceſſit hiems pluuioſa, & auſtralis.

Ergo tali exiſtente conſtitutione temporum fient in vere abortus, partus debiles, diſenterię ophtalmię, & ſenibus catarri peſſimi.

Maior declaratur; nam ex fluxione concitata ad vterum fluxiones, abortus, & partus debiles fient, quia laxantur ligamenta vteri, & pueri valde patiuntur, cum verò debilis ſit vterus ob geſtationem, ad partem debilem fluet materia, inteſtina quoque, & oculi debilitatem habent lęſa à frigiditate veris, quare expreſſionem facile ſuſcipiunt: vnde diſenterię, & ophtalmię, pituita enim putreſcens mordet inteſtina, tempus autem frigidum, et ſiccum prohibet, quo minus in oculis quidpiam effluant: vnde ſicca lippitudo, & ſenibus excitantur fluxiones ad pulmones, & venas magnas: vnde peſſimi catarri exoriuntur.

Minor propoſitio facilis intellectu eſt, quia hiems pluuioſa, & auſtralis corpus humoribus impleuit, ſubſequente uero, Veris frigiditate exprimens, illas fluxiones concitat: vnde morbi prędicti.

Quid

Quòd duplex eſt fluxionis cauſa efficiens, altera calida colliquando humores, altera frigida exprimēdo, de prima dixit in antecedenti ſententia: nam calor æſtatis colliquans materiam veris, prædictos concitauit morbos, de ſecunda cauſa exprimente hic agit, frigiditas namque verna cerebrū, quaſi ſpongiam pro hiemem factum, exprimit, dixit autem fieri morbos non expectata æſtate, ſicut in antecedenti, ſed in ipſo uere, ſaltem abortus, & partus difficilis, quia mulieres maximè grauidæ debiliores ſunt, & quia iſta conſtitutio eſt magis præter naturam. Dixit autem Hip. fieri ad æſtatem etiam præter hos morbos, hidropes, & longas diſenterias. hepate refrigerato, poterit autē medicus euitare hos morbos corpus exſiccādo, uacuando, aerē corrigendo, ut exſiccet per hiemē, calefaciat autem per Ver. 1 adnotatio. Lib de aere, & aqu.

Quòd aſſerens Hip. cauſam catarri in ſenibus per iſtam conſtitutionem, ait fieri ob varietatem, & colliquationem venarum, quod non capiens interpres, vertit, denſitatem venarum: ideo notandam, quòd raritas duo ſignificat, aut pororum amplitudinem, quæ multa eſt in iuuenibus, ſi ad pueros conferantur, quæ fit ob calorem validum, aut ſignificat cauitates plurimas, & carnium ex oſſibus ſeparationem ob alimenti defectum, quę ſeni bus peculiaris eſt; vnde carnes diſfluunt circa oſſa. & venę cauę ſunt, quo fit ut catarri deſcendentes in eas facili recipiantur, & interceptionem faciant, ad quam ſequitur apoplexia, aut paraliſis, tacuit autem febres in iſta conſtitutione, quia deeſt cauſa ebullitionis, non enim hic calor, vt in pręcedenti fluxiones concitauit, ſed frigiditas. 2 adnotatio. Lib. de aere, & aqu.

Quòd triplex eſt cauſa, quare morbi accelerant magis, quàm expectet tertiam conſtitutionem, uel ſecundam, prima cum magna eſt mutatio, & praua; ſic ſcripſit Hip. in canone ęſtate humida carbunculos factos eſſe, ſecunda diſpoſitio corporum, nam debilitas facit, vt citius morbi arripiāt: ita hic mulieribus in vere non expectata ęſtate abortus, & difficiles partus fient, cuius exempla habes, in qua cum hiems multa in uere fieret, plurimæ mulieres grauiter ex partu laboraſſe ſcribit, & poſt partum grauiter egrotaſſe, tertia qualitas temporis non naturalis, & peregrinæ, atque inconſtantes, & variæ, maxime autem omnium peſſima eſt humida, & calida conſtitutio, & auſtrina, vbi diu perſeuerat, cuius exemplum adduxit tertio, Epidem. tertia. 3. adnotatio. 2. Epidē. 3. 1. Epid. 3.

APHORISMVS DECIMVSTERTIVS.

Aeſtate vero frigida, & aquilonia, &c.

CVm Hip. in præcedentibus duabus ſententijs, duas celebres temporū conſtitutiones poſuiſſet, ex quibus per uariam ſucceſsiònem diuerſi contingunt morbi, nūc tertiā aggreditur non minus contēplatione dignā, & quemadmodum in antecedentibus hiemem, & ver aſſumens morbos æſtatis cōnexio.

quus eſt dolor,ſi fuerit totius capitis Cephalea nuncupatur, dimidiæ vero partis hemicrania,cauſas habet varias,vt intemperiem,humoris copiam, vel grauantem,vel rodentem, aut flatum diſtendentem, hic autem fieri dicendum eſt à multa materia grauante frigida, & humida.

Quòd per humidam conſtitutionem inter cæteras corporis partes maximè caput repletur;tum quia ex ſuprema corporis parte fit: vnde vapores effumant ab vniuerſo corpore; tum quia figuram habet cucurbitæ ſimilem,quæ trahit ex toto;tum quoniam eſt veluti glãdula laxum cerebrum. Quare veluti ſpongia repletur, cum itaque à frigido, vel calido mouetur humor,fluxiones ad partes infernas fiunt, quas ſeptem ſcripſit Hip. ad nares, aures, oculos, guttur, gulam, ſpinalem medullam, & denique in ſanguinem,ſeu craſſas venas: vnde fere omnium morborum origo naſcitur,ſunt & articuli,ad quos maximè effluere ſolet;maximè autem laborare iſtis fluxionibus eos eſt veriſimile, qui capita debilia habent, non autem eos,quibus robuſtum eſt cerebrum,ac ſiccum. 4. adnotatio. Libro de glãdulis.

APHORISMVS DECIMVSQVARTVS.

Aquilonio vero, & ſicco Autumno, &c.

TAm arctè coniungitur hic aphoriſmus antecedenti, vt ſcribat Gal. ex duobus vnum eſſe faciendum:nam ſupra poſuit frigidam,& ſiccã æſtatem, Autumnum uero humidum,hinc eandem ſupponens æſtatis conſtitutionem,autumnum ſiccum,& aquilonium quoque ſtatuit. cõnexio.

Duæ ſunt concluſiones: prima æſtate ſicca aquilonia, & autumno in ea permanente,commoditas parabitur naturis humidis: ſecunda uero naturis ſiccis,ophtalmiæ ſiccæ fient,& febres partim acutæ,partim longæ,nonnullis quoque melancoliæ. Intentio.

Vt quid ſequatur ad duorum temporum ſimilem conſtitutionem oſtendat, ac perinde etiam præcauere & prædicere poſſumus morbos ex ea eminentes. Ratio intentionis.

In duas partes diuidi poteſt præſens ſententia,in quarum prima,iuuari ait naturas humidas ex ea conſtitutione:. in ſecunda uero morbos addit, qui in ſiccis naturis expectandi ſint. Diuiſio.

Simile male ſe habet ad ſimile,ubi excedit,benè autem ad contrarium. Ergo æſtate,& aumno ſiccis, & aquilonijs benè habebunt mulieres, & viri natura humidi. Antecedens declaratur; quia licet aliquando ſimile benè ſe habeat ad ſimile, id non contingit, niſi cum paruus eſt exceſſus, at hinc ſupponitur magnus: quia duo tempora in eadem conſtitutione permanentia,magnum faciunt exceſſum. Conſequentia manifeſtè patet: nã mulieres ratione ſexus humidæ conſtituuntur, at qui ex Veris humiditate Demonſtratio primæ.

miditate abundant eadem ratione à temporis contrarietate exſiccati ſani degent.

Demonſtratio ſecundæ. *Quæ conſtitutio in ſe cauſas retinet ſiccæ ophtalmiæ, febrium, & acutarum, & longarum, nec non Melancoliæ eos pariet morbos.*

Sed exiſtentibus æſtate, & autumno frigidis, & aquilonijs, cauſæ prædictorum morborum adſunt in naturis ſiccis.

Ergo in illis prædicti morbi gignentur.

Maior de ſe manifeſta eſt. Minor declaratur: nam Boreale tempus oculos lędit: vnde ad recipiendũ diſponit, hinc lippitudo ſicca: quia aeris frigiditas denſat partem, tum quia humor ſiccus eſt, & non facile effluit, acutæ febres fiunt bile exuperante, ſed ubi pars ſanguinis exhalat tenuis, longè fient: inde atra bilis gignitur & melancolici morbi.

1. adnotatio. *Quòd ex quibuſdam codicibus adduntur grauedines in iſta conſtitutione fieri, nec perinde ſi admittatur, id ſequetur aliquod inconueniens: quia ſicuti lippitudo duorum eſt generum, ſicca, & humida: ita etiam grauedo altera humida eſt, cum aquoſus humor ad nares effluit: altera uero ſicca, ubi humor ſiccus ibi conereſcit, & ueluti cruſtas inducit, adeo ut aliquando occludat, & intercipiat uias narium, quę grauedines accidunt, ubi cerebrum nimis exſiccatur.*

2. Adnot. *Quòd Hip. Lib. de Aere, & Aquis aliam ponit conſtitutionem huic contrariam, vbi enim ait, humida fuerit æſtas, ſimiliſque ſequatur autumnus, pituitoſis ad hiemem febres fient ardentes, ijs præcipuè, qui ætatẽ conſiſtentem habent, ratio eſt quia putris eſt in illis ſalſa pituita, ſunt enim calidiores, & vires non ita fortes habent, ut iuuenes, at naturis biliofis in ea ipſa hieme ait fieri pleuritides, & peripneumonias: nam bilioſi maximè lateris inflammationibus corripi ſolent; ideo, qui acidum eructant (ut puta) pituitoſi non admodum fieri ſcripſit pleuriticos, accedit hiemis frigiditas pectori, & pulmoni inimica, adde etiam pleuritidem, & pulmonis inflamationes inter conſiſtentiæ morbos infra connumerari.*

6 Aphor. aph. 33.

3. adnotatio. *Quòd mutatio temporis, uel ſecundum naturam conſideratur, uel præter naturã: ſi primo modo, de illa ſcribit Hip infra 20. 21. 22. 23. nec aliã conſiderationem hẽt tpis naturalis conſtitutio, quã eã exponẽs, qui morbi in unaquaq; fiant: ſi uero ſpectetur innaturalis mutatio, uel ea pertinet ad eum annum, uel ad partem illius, de mutationibus igitur totius anni innaturalibus egit in libro Epidem. & de illis etiam, quæ ſecundum anni partẽ fiunt licet indefinitè: hic uero de illis mutationibus agit, quæ ſecundum anni partes innaturaliter fiunt, ſed ſcientificè colligens præcipuas: nam hæc mutatio, uel conſideratur in vno tempore cum ad contraria mutatur, vt qui morbi ſequantur ad hiemem, ſi fuerit calida humiea, & de hac non egit hic quia raro facit morbos, niſi multũ excedat, uel deniq; iſta mutatio in varijs temporibus ſpectatur ſecundum combinationem contrariam,*

aut

aut ſimilem quattuor qualitatum, ex qua octo naſcuntur combinationes comparando hiemem ad ver, & alias octo, æſtatem ad autumnum, harũ Hipp. quinque poſuit; ſexto Libro de aere, & aquis inſigniores, & frequentiores, ex quibus de alijs coniecturam facere Medicus poterit. Harum mutationum tabulã placet ſubſcribere, vt facile diuiſio prædicta concipiatur.

Tabula mutationum Temporis.

- Mutatio tẽporis vel eſt.
  - Naturalis infra.
    - Aphoriſmo 20. Veris.
    - Aphoriſmo 21. Aeſtatis.
    - Aphoriſmo 22. Autumni.
    - Aphoriſmo 23. Hiemis.
  - Præter naturã.
    - Secũdum totum annum.
      - In Epidem.
    - Secũdum partes.
      - In vna parte de qua quidem.
        - Secũdo Epidẽ. hic omittit.
      - In duabus partibus.
        - Hiemis & veris
          - Secũdũ cõtraria ponit duas.
            - Aphoriſ. 11.
            - Aphoriſ. 12.
          - Secũdũ ſimilia omittit
            - Vtraque pluuioſa, & auſtralis.
            - Vtraq; ſicca, & aquilonia.
        - Aeſtatis, & Autũni.
          - Secũdũ cõtraria
            - Aphoriſ. 13. vna omittit alias.
          - Secundum ſimilia.
            - Aphoriſ. 14. vtraq; ſicca, & aquilonia.
            - Vtraq; humida, & auſtralis, libro de aere, & aquis

Quòd Hip. auctore Galeno veritatem harum propoſitionum in regione tẽperata intelligit, temperata autem regio dupliciter contingit, vel per ſe, 4. adnotatio.
vt quæ eſt in climate temperato, quale eſt quartum, & quintum ratione ſolis, aut per accidens, ratione maris, aut ventorum, & ſitus: at neſcio qua ratione non debeant eſſe veræ prædictæ ſententiæ in omni regione: nam vt ſcribitur tertio Prognoſtico, quę ſcribuntur ibi, vt hæc, uera debent eſſe vbique mundi, & in Scytia, & in Ethiopia, quia propoſitiones ſunt ad ſcientiam, & artem pertinentes.

APHO-

tis. Sed dices, intemperies humida facilè tollitur, at ſicca difficile: non itaque erit ſalubrior hæc, illa. At non ſequitur: quia hinc non ſolum repugnantia qualitatum conſideratur, ſed magis, quòd ratione materiæ in corpore efficiant: nam ſiccitas ad ſanitatem, & robur diſponit corpus, humiditas verò ad debilitatem, & putredinem.

Quòd cum tria ſint excrementa iuxta coctiones tres, feces primæ in ventriculo, vrina ſecundæ in hæpate, ſeroſum, ac fuligonoſum excrementum, tertiæ in membris, dicendum in tempore humido omnia excrementa magis abundare, quam in ſicco, exceptis his, quæ ad aluum pertinent, quia in humido ſolutior eſt: nam fuligines, & excrementa tertiæ coctionis facilè diſſlantur in ſicco tempore tum per exercitia, quæ commodius in ſiccò fiunt, quàm humido tempore. 3. adnotatio.

APHORISMVS DECIMVS SEXTVS.

Aſſiduis imbribus morbi ferè fiunt, &c.

N*Ectitur hic Aphoriſmus præcedenti ſicuti effectus cum ſua cauſa: nam hinc quaſi ab effectu oſtendit, quod in præcedenti ſcriptum eſt, ſiccitates eſſe ſalubriores imbribus.* cõnexio.

Duæ proponuntur concluſiones, prima eſt, morbi humiditatum ſunt, febres longę, fluxiones alui, putredines, Epilepſiæ, Apoplexiæ, Anginæ: ſecunda: morbi ſiccitatis ſunt, tabes, ophtalmię, articulorum dolores, urinę, & inteſtinorum difficultates. Intentio.

Vt demonſtret per morbos cuiuſque temporis veritatem antecedentis ſententiæ, & vt Medicus poſſit prædicere, & præcauere morbos humidæ, & ſiccæ conſtitutionis. Rõ intentionis.

Aphoriſmi ſectio eſt in duas partes, iuxta duas concluſiones, quarum prima pertinet ad morbos qui ex aſſiduis imbribus contingunt, ſecunda verò ad illos, qui in ſiccitatibus accidunt. Diuiſio.

Quo tempore virtus debilis eſt, materia multa, corporis tranſpiratio impedita, febres longę fient, putredines, alui fluxus, Epilepſiæ, Apoplexię, & Anginæ. Demonſtratio primę.

Sed in aſſidua humiditate virtus debilis eſt, copioſa materia, ac tranſpiratio impedita.

Ergo aſſidua humiditate tales contingent morbi.

Maior probatur, nam debilis virtus ad morbos longos occaſionem prębet; multa materia, ad coctionem multum temporis requirit, febres longę impedita tranſpiratione, putredines tum impedita tranſpiratione, tum humiditate diſponente, alui fluxiones laxatis inteſtinis. Apoplexiæ, Epilepſiæ, & Anginæ ad materiæ copiam, membrorum laxitatem referendæ

rendes ſunt excitata fluxione. Minor per ſe clara eſt; nam humidum, & Auſter enervat corpora, & materiam auget, & excrementa, tranſpiratio nem impedit, meatibus pituita repletis.

Demonſtratio ſecundæ. *Quòd conſumit corpora, oculos debilitat, & articulos, veſicam, & inteſtina mordet, morbos tabificos creat, ophtalmias, articulorum dolores, vrinæ, & inteſtinorum difficultates.*

Sed talis eſt diuturna in temporibus ſiccitas.

Ergo in magnis ſiccitatibus tales fient morbi.

Maior clara eſt, nec probationem vllam expoſcit. Minor declaratur, quia ſiccitas cum omni conſumptioni repugnet, tabificos creabit morbos, oculos debilitat ſiccitas, quia ſua natura ſunt humidi, inde ſiccæ ophtalmiæ fient, articulos lædit conſumens natiuam illorum humiditatem, ex bilis verò acrimonia, quæ per ſiccitates augetur, difficultates inteſtinorum, & vrinæ fieri, eſt veriſimile.

Prima adnotatio. *Quòd febris longa illa dicitur, quæ dies 40. tranſit, quod verò dicitur ſupra, vere pluuioſo, & auſtrali fieri acutas febres non contradicit huic ſententiæ: quia ibi ſupponitur conſtitutio calida humida, & calor æſtatis adiuuans ebullitionem, at hinc ſupponitur ſola humiditas, quæ cum multam materiam aggreget, multum quoque tempus requirit ad coctionem.*

2. adnotatio. *Quòd putredo duas ſignificationes habet, aut enim febres putridæ intelligũtur fieri in humiditatibus, quales ſunt maximè malignæ, putrefactis humoribus ad interna corporis, aut putredines intelligit humoribus malignis ad cutem vergentibus: vnde vlcera ſæua, & depaſcentia fiunt, qualia tertia ſect. 3. lib. Epid. ſcripſit Hipp. igitur intelligit vtraſque putredines fieri in temporibus humidis.*

3. adnotatio. *Quòd per alui fluxum intelligit tum lienteriam, tum diarream, tum diſenteriam, primæ duæ laxatis inteſtinis, & ob prauas coctiones. Diſenteria verò putreſcente pituita.*

Sed dices ex Hip. qui aluos humidas habẽt, non admodum corripiuntur
Lib. de aere, & aqu. *acutis morbis, at hic ſupponitur aluus humida. Dic ijs, qui aluum humidam habent non aduenire non tamen omnibus accidit. vel dic, licet habeant aluos humidas, eas eſſe ſimptomaticas magis, quàm criticas: quia non liberant homines à prædictis malis.*

4. adnotatio. *Quòd Epilepſia, & Apoplexia apud Gal. eaſdem cauſas habent, obſtructionem ventriculorum cerebri in Apoplexia integram, in Epilepſia verò imperfectam, refert item Hip. hæc mala ad uenarum interceptionem.*
4. Acutor. *Epilepſiã tamen probabile magis eſt fieri ex flatu, tanquam coniuncta cauſa, inde commoueri humores ad obſtructionem. Angina, non illa, quæ æſtiua eſt, & ex bile fieri ſolet, ſed qualis hiberna, ex multa pituita ad fauces irruente fieri per hanc conſtitutionem eſt veriſimile.*

5. adnotatio. *Quòd in morbis, quos ad ſiccitates refert, eſt difficultas propter Gal. nã*

tabes

tabes magis per calidam, & humidam conſtitutionem fieri docet. Sed dicendum, vel per tabificos morbos intelligere Hecticas conſumptiones ſine vlcere pulmonis, vel intelligere etiam pulmonis vlcus, ob bilem acredine ſua erodentem, ſicuti enim ophtalmia, & grauedo aliquando humidæ ſunt, aliquando ſiccæ: ita de tabe dicendum ſiccas tabes fieri per hæc tempora, putredines autem ſiccas appellat Hippocr. vnde humor paucus emanat, ophtalmię, & articulorum dolores exſiccatis illarum partium natiuis humiditatibus, diſenteriæ, & vrinę difficultates ad bilem referendę ſunt.

APHORISMVS DECIMVS SEPTIMVS.

Quotidianæ tempeſtates Aquloniæ, &c.

CVm per morbos, qui fiunt in tempore ſicco, & humido in antecedenti probaſſet, quòd 15. Aphoriſmo ſcriptum eſt, ſiccitate imbribus ſalubriores eſſe, nunc aſſumens duos ventos, alterum ſiccum, alterum verò humidum, videtur eandem rem probare. cõnexio.

Ventus ſiccus hũmido eſt ſalubrior. Intentio.

Vt oſtendat non ſolum ſiccitatem aeris eſſe ſalubriorem humiditate, ſed etiam ſiccos ventos conferre magis ad ſanitatem, quàm humidos; vndè non repetit hic, quæ quinto aphoriſmo ſunt ſcripta. Ratio intentionis.

In duas partes ſecari poteſt pręſens ſententia, in quarum prima concluſionem ponit ad Aquilonem ſpectantem: in ſecunda verò alteram ad Auſtrum attinentem. Diuiſio.

Aquilo eſt ſalubrior Auſtro. Demonſtratio

Ergo ventus ſiccus eſt ſalubrior humido.

Conſequens facilè ſequitur. Antecedens verò probatur per duas concluſiones in Aphoriſmo poſitas, quia ſi vtriuſque venti Auſtri ſcilicet & Aquilonis iuuamenta, & nocumenta conſiderentur, longe ſalubriorem Aquilonem eſſe inueniemus, in Aquilone corpus denſatur, ſenſus; & motus roborantur: at iuuamentum Auſtri ſola eſt alui humiditas, verum ſi nocumenta conſideres vtriuſque venti, longe plura, & maiora Auſtrina reperies: nam Aquilo aluum indurat, & dolores lateris, ac tuſſes excitat, quę leuia admodum ſunt mala, verum in Auſtro corpus totum languet, & ſenſus omnes hębetantur, ac motus.

1. adnotatio. *Quòd Aquilo veluti biems calidum innatum roborat, & corpus firmat; vnde ſenſus omnes, & motus expediti fiunt, quare & naturalis, & vitalis virtus eo tempore maximè valent, per verbum autem illud (coloratiora) naturalem virtutem robuſtam eſſe oſtendit; color enim per id tempus præcipuè in facie apparet, nec obſtat, quòd frigidum intus pellat calorem: quia regreditur ad partes externas ſanguis, cum verò auditum valere per id tempus, & motum dicit, animalem facultatem ſignificanit, in ſiccitatibus enim ſenſus omnes, medium, ac ſpiritus ſunt puriores, & tenuiores, & articuli roborantur. At dices ſupra dixit ſiccitates efficere articulorum dolores? Dic, magnam ſiccitatem intelligere non eam, quæ Aquilonis eſt, quę cum frigore eſt coniuncta, vt hic, omnes igitur operationes Aquilo roborat, uerum in carnoſis intelligere oportet, & boni habitus hominibus, licet in omnibus eandem efficiendi potentiam habeat, aut omnia iſta, aut aliqua.*

2 adnotatio. *Quòd Auſter contraria ratione omnes operationes debilitat, ſenſus enim, & ſpiritus, & medium incraſſat, & humectat, cerebrum replet, articulos liquat; vnde & ſenſus, & motus debilitantur. At dices, ſenſatio paſſio eſt, at humidum, quam ſiccum ad patiendum aptius videtur: nam in humido facilior fit impreſſio. Dicendum non omnem humiditatem ad ſenſationem aptam eſſe, ſed illam, quæ aerea eſt, cum qua ſiccitas ſtare poteſt, vel dic, quòd licet in humido facilior fiat impreſſio, iudicium tamen melius in ſicco fit; vnde mentem ſiccam prudentiſſimam poſuere philoſophi, & Gal. lib. Artis Med. ſiccum cerebrum ſenſibus valere dixit: nam ad ſenſationem non ſolum receptio requiritur, ſed iudicium de receptis, quod melius fit in ſicco, vtpote, in quo puriores ſunt ſpiritus, & excrementorum inopia.*

3. adnotatio. *Quòd Hippocrates ſexto Epidem. carnium denſitatem humidiorem efficere aluum ſcripſit, è contrario raritatem ſicciorem, ratio in promptu eſt, quia in denſo corpore non ita tranſpirant excrementa, & ideo maior copia ad ventrem confluit, quòd in raro non accidit, ſed in Aquilone corpora denſantur, ergo non videtur verum, quod ſcribit Hippocr. hic, exſiccare aluum Aquilonem. Dic, ſi comparemus homines rari habitus ad illos, qui denſas carnes habent, ſicciores habere aluos, at quia exſiccans cauſa in Borea valida eſt; ideo fit, vt vincat denſitatem illam ad aluum humectandam, uiget enim per id tempus calor conſumens, & attrahens ab inteſtinis, quę potentior eſt ad exiccandam aluum, quam aſtrictio cutis. Sed*

1. Aph. 15 *dices. Gal. ſcribit, excrementa per hiemem eſſe copioſiora, & vrinas*

nas maiorem habere hipoſtaſim; ergo aluus humectior erit per Aquilonem, qui hiemi correſpondet. Dic differre humiditatem hiemis ab Aquilonia; illa enim cum humore coniuncta eſt, hęc autem cum ſiccitate, hiemis item frigiditas ſegnis eſt, at Aquilonis maximè penetrat, differt autem hic Aphoriſmus à quinto multipliciter: primo: quia ibi ſolum de nocumentis Aquilonis, & Auſtri loquitur, hic verò etiam de iuuamentis, rurſus ibi in ęgris loquitur, hic in ſanis: iterum ibi longas conſtitutiones intelligit, hic verò quotidianas.

Quòd vbi Medicus ad aliquam ciuitatem accedit Hippocr. auctore debet primo illius ſitum conſiderare, an .ſ. expoſita ſit ad auſtrum, vel potius ad Aquilonem vergat, deinde aquas, quibus vtitur an locuſtres vel fluminum, vel fontium: tertio Dietas, quibus illud genus hominum vtitur: quarto, anni conſtitutionem; Si itaque ciuitas malè poſita ſit ad ventos, & ſolem; procurare debet per artem ſaltem, locum, & domum eligere, quę ventorum malignitati repugnet, aquę item, ſi malę ſunt corrigendę. Dieta item, ſi praua ſit, mutanda, anni conſtitutio, ſi pręter naturam fuerit per contraria oppugnanda, hinc fiet, vt pręcaueat morbos, & ſanitatem conſeruet: nam qui hęc conſiderauerit ait Hippocra. non ſolum cognoſcet ſtatim, qui morbi ſint in illa regione peculiares, etiam ſi nunquam in ea fuerit, ſed prędicet, & pręcauebit cum maxima artis Medicęq; gloria; quæ cum negligant medici, ac ciuitatum etiam gubernatores, in cauſa ſunt, cur multi homines ęgrotent, & pereant, quod tamen non contingeret, ſi ijs; quantum fieri poſſit occurrerent per medici prudentiam. Cum autem ciuitatum ſitus maximam ſanitatis cauſam incolarum contineat, deberent ciuitatum conditores Medicos peritos conſulere, vt ſitum eum eligerent, qui maximè eſſet ſalubris, multum enim intereſt, ſi vnum tantum ſtadium interponatur, vt ſcribit Hippocrates loco citato.

4. ad notatio. Lib. de aere, & aqu.

APHORISMVS DECIMVSOCTAVVS.

Quò ad tempora verò attinet, Vere, & prima Aeſtate, &c.

CVm in tertio huius libri Aphoriſmo ętates ad anni tempora comparaſſet Hippocr. interpoſitis ſententijs multis clariſſimis, ad temporum

cõnexio.

porum conſtitutionem pertinentes: nunc ad ætates accedit explicans quo modo ſe ad tempora habent.

Intentio. *Tres ponuntur in textu concluſiones; prima talis eſt. Pueri, & ijs ætate proximi vere, & prima æſtate optimè degunt; ſecunda ſenes æſtate, & ad aliquam partem Autumni valent maximè; tertia Hieme, & aliqua Autumni parte, mediæ ætatis homines.*

Rō intentionis. *Vt demonſtret, quomodo peculiariter vnaquæque ætas ſe habeat ad anni tempora, ex qua etiam particulari comparatione, facilè Medicus colligere poſſit, quomodo ætates ad reliqua ſe habeant, uictum ſcilicet, & regiones.*

Diuiſio. *In tres partes ſecari poteſt præſens ſententia, iuxta tres allatas concluſiones.*

Demonſtratio. *Vnico medio omnes illæ concluſiones in hunc modum demonſtrari poſſunt.*

Tempora benè ſe habent ad ſimilia; intemperata ad contraria.

Ergo Pueri ad Ver, Senes ad Aeſtatem, Iuuenes ad hiemem benè ſe habebunt, & maximè ualebunt.

Antecedens probamus; nam intemperata correctione indigent, temperata verò conſeruationem poſtulant. Conſequens probatur: nam pueri, & adoleſcentes temperati ſunt, Ver autem, & prima Aeſtatis pars temperata dicuntur: ſenes frigidi ſunt, quare ad tempus calidum, quale eſt æſtiuum benè ſe habent; ſicuti ad primam Autumni partem; ſed iuuenes, vt robuſti, & calidi ad hiemem, & vltimam partem Autumni, quæ hiemi correſpondet, rectè degunt.

1. adnotatio. Primo de Diæta. *Quòd cum dico temperatam eſſe pueritiam, & pubertatem, non intelligere oportet ad pondus, ſed ad iuſtitiam; nam corpora generationi propinqua calidiſſima vocauit Hippocr. ſed quia calido innato talia ſunt, ideo temperata; quia conuenientiſſima ad vitam & incrementum. Ver quoque non abſolutè temperatum eſt, cum calidum ſit, & humidum, ſed quia accedit ad noſtram naturam. Nota autem pueris proximos eſſe puberes ad decimum octauum annum, ſicuti autem pueri ad Ver; ita & illis proximi, ad primam Aeſtatis partem bene ſe habent.*

2. adnotatio. *Quòd inter omnes ætates illa rectè temperata dicitur, quæ eſt ad finem iuuentutis, & incrementi: nam & calor eo tempore terminum habet medium, & ſiccitas in eo ſtatu medium nanciſci videtur; ideo æqualitate numerica, ætas illa temperata eſt. At Adoleſcentia, quàmuis inæqualitate ad iuſtitiam ſit magis temperata, quæ vitam reſpicit: non tamen abſolutè, ſi conſiſtentiæ comparetur*

tur

tur temperatior eſt, ætas tamen adoleſcentiæ ea ratione minus ægrotat, & ſuffert errata: quia temperies abſoluta qualitatum non eſt probanda magis, ad vitam, quàm illa, quæ multo ſanguine, & optimo abundat, & robur virium habet maximum, præſertim naturalium.

Quòd ætas tribus modis ſe habet ad tempora; vel in ratione vniuerſali reſpectu vitæ, quomodo omnis ętas benè ſe habet ad Ver, malè vero ad Autumnum: quia Ver ſaluberrimum eſt, Autumnus autem inſalubris: ſecundo modo in ratione caloris, qua ratione fit, vt omnes ætates robuſtæ melius ſe habeant ad hiemem, quia per illud tempus calidum innatum roboratur: tertio, quò ad temperiei correctionem, aut conſeruationem, quomodo hic loquitur Hippocr. 3. adnotatio.

Sed dices, cum ſenes ſicci ſint, natura deberent lædi à ſiccitate æſtiua.

Sed dicendum maius eſſe iuuamentum, quod ex calore percipitur attemperante illorum frigiditatem, & excrementa, quibus abundant exprimente: quàm nocumentum ex ſiccitate.

APHORISMVS DECIMVSNONVS.

Omnes morbi, in quibuſuis temporibus fieri poſſunt, &c.

CVm hactenus varias temporum conſtitutiones peregrinas ſcripſerit, & morbos explicaſſet, qui ad eas ſequi ſolent, nunc concluſionem ponit valdè vtilem, tum ad præcedentem, tum ad futuram doctrinam. Cōnexio.

Duæ proponuntur concluſiones: prima, quòd omnis morbus in omni tempore fieri poteſt: ſecunda, quòd morbi quidam in certis temporibus magis fiunt. Intentio.

Vt doceat, referente Gal. non ita pendere à temporibus morbos, vt ex alijs cauſis non pendere poſſint, & vt oſtendat, quod in primo Aphoriſmo dictum eſt, potiſſimam cauſam morborum eſſe aeris mutationem. Rō intentionis.

In duas partes partiri poteſt iſta ſententia: ita vt in prima doceat, in quolibet tempore poſſe fieri quemlibet morbum, in ſecunda autem eſſe cuiuſcumque temporis peculiares quoſdam morbos, & proprios. Diuiſio.

In omni tempore poteſt adeſſe cauſa cuiuſcumque morbi. Demōſtratio primę.
Ergo quilibet morbus, in quolibet tempore fieri poteſt.

Conſequens manifeſtè deducitur. Antecedens autem probatur: quia omnis morbus, aut ad intemperiem pertinet, aut malam conformationẽ, aut continui ſolutionem: Sed omnium iſtorum cauſæ in quolibet tempore adſunt: quia alterans, & deſtruens ex victu, exercitio, ſomno, & vigilia, & alijs violentibus ſemper præſto adeſt.

Demonſtratio ſecundæ. *Tempus potiſſimum agit in nos.*

Ergo vnumquodque ſuos peculiares morbos habebit.

Antecedens ex primo Aphoriſmo huius libri facilè patet. Conſequens probatur: quia vnaquæque temporis mutatio peculiariter ad morbos quoſdam magis diſponit corpora.

1. adnotatio. Hip. lib. de Flatib. *Quòd morbus apud Antiquos eſt quicquid moleſtiam, & dolorem corpori affert; nec diſtinguebant inter morbũ, cauſam, vel ſimptoma. Apud Iuniores quicquid moleſtiam affert corpori dicitur res præter naturam, quæ in morbum, cauſam, & ſimptoma diuiditur, dicitur autem morbus, conſtitutio non naturalis actionem primo lædens: nam cætera, cauſa, & ſimptoma ſecundario lędere actionẽm dicuntur. Morbi tria ſunt genera, ſimilaris, organicus, & communis. Similaris vel pertinet ad qualitates primas; vel ſecundas, vel tertias. Organicus ad partis figuram, magnitudinem, numerum, & ſitum, quomodolibet vitiata. Communis eſt ſolutio continui, quæ multas habet ſpecies, fracturam, rupturam, vulnus, puncturam. Iſtæ igitur ſunt omnes morborum ſpecies, per eſſentiales eius differentias adinuentę; Accidentales verò differentiæ ſunt, per quas dicitur morbus magnus, aut paruus, vel mediocris, malignus, aut benignus, breuis, vel longus, Epidemius, Endemius, aut Sporades, puerilis, aut ſenilis, æſtiuus, aut vernalis. Cum itaque Hip. ſcribit omnes morbos fieri in omni tempore, de omni ſpecie, & differentia intelligit: quia omnes in quolibet tempore fieri poſſunt.*

2. adnotatio. *Quòd morbi cauſa apud Medicos duplex eſt, efficiens, & materia, eſt verò efficiens principalis, & quam præcipuè Medicus intendit: hæc duplex eſt, vel nobis inſita à generatione, vel poſtea acquiſita, rurſus, quæ poſtea accedit, aut interna eſt, aut externa. Interna duplex, vel antecedens, vel coniuncta, cauſa verò externa euidens dicitur, quæ vel neceſſariò nos afficit, vt aer, & reliquæ res non naturales, vel non neceſſariò, vt* 4. de morbis. *caſus, aut venenum, & quæ fortuitò nobis nocere ſunt aptæ. Hip. verò omnem morbi cauſam reducit ad acrem victum, & violentiam: quia iſtę ſunt potiſſimum, quæ morbos creant.*

3. adnotatio. *Quòd licet à victu, & exercitio, aut alijs, morbi gignantur, tamen id nõ fit niſi potiſſimum aer accedat diuerſimodè corpora diſponens, hinc fit, vt calidum tempus, calidos morbos creet, frigidum verò frigidos, & æſtas peculiares ſuos habeat morbos: hiems item ſuos, ſed quia aliquando alię cauſę magis poſſunt, quàm aer, nec tempora ſemper ſuam naturam ſeruant,*

uant, hinc fit, vt in omni tempore omnis morbus fieri poſſit.

Quòd ſententia hęc poteſt diffundi ad temperies, ętates, loca, victus genera, ſexus, quòd omnes morbi in illis fieri poſſunt, licet vnumquodque illorum magis quoſdam proprios habeat, differt enim natura, à natura, ac tempus à tempore, & ętas ab ętate, & quilibet iſtorum ſuas affectiones congenitas habet. Illud verò, quod ſcribit, quoſdam morbos in quibuſdam temporibus magis fieri, & irritari, ſignificare videtur, morbos non ſolum magis fieri in quibuſdam temporibus, vtputa tertiana in æſtate, ſed in ea magis irritari, non tamen ſequitur, vt pericoloſior ſit per Aphoriſmum 34. libri ſecundi. 4. adnotatio.

APHORISMVS VIGESIMVS.

Vere Melancoliæ, Epileſiæ, &c.

Valde manifeſta ratione coheret pręſens Aphoriſmus cũ ſuperiori, cum enim in eo ſcriptum ſit, quoſdam morbos eſſe proprios cuiuſque temporis, modo id explicare aggreditur, aſſumens Ver, & illius peculiares morbos. cõnexio.

Verni morbi ſunt inſania, melancolia, epilepſia, fluxiones ſanguinis, anginę, grauedines deſtillationes, tuſſes, leprę, impetigines, vitiligines, puſtulę vlceroſę plurimę, tubercula, articulorum dolores. Intentio.

Vt cognoſcat Medicus, & prędicere poſſit morbos, qui ad Ver fiunt ſecundùm naturam ſe habens, & illos pręcauere, & curare cõmodius poſſit. Ratio Intentionis.

Quo tempore magna eſt humorum plenitudo, & fuſio, necnon corporis raritas, prędicti morbi fient. Demonſtratio

Sed in Vere iſta adſunt. Ergo eo tempore pręſcripti morbi fient.

Maior probatur: nam exiſtẽte in corpore Pletora, & calore fundẽte, neceſſe eſt commoueri humores, & fluxiones concitari, ſi igitur natura victrix fuerit, vacuans humorem, hemorargias faciet, ſi verò non ita valida, per abſceſſum tranſmittens ad cutim, facit exantemata, lepram, impetiginem, vitiliginem, & puſtularum genus omne, ad articulos, aut podagras, & chiragras; at ſi natura à plenitudine vincatur, tunc tranſmittens ad partes nobiles, inſania fit, melancolia, epilepſia, angina, raucedo, & grauedo.

Minor propoſitio probatur: quia eo tempore, tum ſanguis abundat maximè, tum alij humores, per hiemem, & autumnum pręcedentem geniti, adeſt & calor iam pullulans, qui fundit humores, & fluxionum origo eſt.

Quòd Ver, vt ſupra annotauimus dupliciter conſideratur, quòad morborum generationem, vel ratione ſui ipſius, vel ratione temporum præcedentium: 1. adnotatio.

cedentium: ratione temporum præcedentium multos creat morbos, & prauos, vt epilepſiam, inſaniam, & melancoliam, at ſui ratione paucos, & ſalubres, ob quam cauſam dictum eſt ver ſaluberrimum, & minimè exitiale: vnde opera veris comparantur à Gal. naturæ operibus, & exercitationibus; nam illæ, niſi quid prohibeat, ſanitatem conſeruant, vel materiam, & excrementum in totum euacuando, vel ad ignobiles partes tranſmittendo, & profundum corporis expurgando: at ſi vincatur natura, & exercitium fiat indecenter, multi morbi creantur.

2. adnotatio. *Quòd epilepſia, inſania, melancolia in melancolico humore fiunt per autumnum præcedentem aſſeruato, & hiemis frigiditate latente: attamente verni dicuntur illi morbi: quia per ebullitionem fiunt grauedines, diſtillationes, tuſſes à pituita originem ducunt hieme aſſeruata, & calore veris commota: at ſanguinis fluxiones, & lepræ, & reliquæ cutis deſœdationes, proprij ſunt verni: quia natura per ea ſolet corpus expurgare, euacuatione enim ſeu per nares, ſeu menſtrua, ſeu hemorroides plenitudo tollitur; at per impetigines, vitiligines, lepras, puſtulaſque, ac tubercula, ſanguis expurgatur feruens: non ſecus ac muſtum: ſi igitur ver corpus inueniat bene diſpoſitum, illud conſeruat, neque alicuius morbi cauſa eſt; at cum eſt malè diſpoſitum, inquantum poteſt expurgat.*

3. adnotatio. *Quòd cum dicit, in vere prædictos morbos fieri, non ita intelligendum eſt, vt omnes neceſſario in eo tempore fieri debeant, ſed quòd ſi fiant erit aliquod ex prædictis: morbus quoque Gallicus proprius ipſius Veris eſt cenſendus: quia per illud tempus, ſe manifeſtare ſolet. Sub doloribus articulorum, podagra continetur, quæ & ipſa eo tempore ob plenitudinem, & fuſionem vigere ſolet, ſicuti & cæteri morbi, quibus fluxio origo eſſe ſolet, hinc eſt, quòd iſtas duas cauſas ſcripſerit Gal. medio Vere parum, & rarò eſſe nutriendum, licet alioqui ratione temporis multum alere deberemus.*

APHORISMVS VIGESIMVSPRIMVS.

Aeſtate verò nonnulli horum, &c.

Cõnexio. *CVm in antecedẽti Aphoriſmo de morbis Veris proprijs determinaſſet; nunc ad æſtatem accedit, illius quoque peculiares morbos exponens: ſequitur enim æſtas ver ipſum.*

Intentio. *Duæ ponuntur in Aphoriſmo concluſiones, quarum prima eſt: Aeſtate aliqui morbi uerni fiunt: Secũda Aeſtatis morbi peculiares febres ſunt continuæ, & ardentes, tertianæ plurimæ, & quartanæ, alui fluxus, ophtalmiæ, aurium dolores, oris vlcera, genitalium putredines, & ſudationes.*

Rõ intentionis. *In prima concluſione eſt, ut demonſtret non eſſe inconueniens vnius*

temporis

temporis morbos in alio fieri poſſe: in ſecunda verò vt exponat peculiares æſtatis morbos, quo illos Medicus, & prædicere, & curare, & præcauere commodius poſſit.

In duas partes poteſt ſecari iſta ſententia, iuxta duas concluſiones in aphoriſmo poſitas. Diuiſio.

Veris finis cum æſtate coincidit. Ergo aliqui ex vernis morbis in æſtate fient. Demonſtratio.

Antecedens declaratur: quia vnumquodque tempus in tres partes diuiditur, iuxta principium, medium, & finem; quarum prima, cum antecedenti tempore conſpirat: ſecunda verò ſuam ſeruat naturam: tertia autem cum ſubſequenti, ſic ver in prima ſui parte cum hieme conuenit, in media ſuam ſeruat naturam exactè, in ultima cum æſtate coincidit. Conſequentia facilè ſequitur, quia ſi vtraque tempora in qualitatibus communicant, eoſdem poterunt creare morbos, erunt autem ex vernis morbis æſtati communes, ſanguinis fluxiones, furores, & qui defectu caloris in vere non pullulant, ad æſtatem emergunt.

Quo tempore bilis copia eſt multa, & caliditas, ac ſiccitas uiget, febres fient continuæ, ardentes, &c. Demonſtratio 2.

Sed æſtiuo tempore adſunt prædicta.

Ergo in æſtate prædicti morbi maximè fient.

Minor clara eſt. Maior probatur: quia cum omnis febris, uel ex bile fiat, aut ex humore, qui bilis naturam aſſequitur, tunc fiet, vt quo tempore præcipuè illa abundat, omne genus febris eluceat; eadem autem bilis cum ſuperiora petit, uomitus facit, & aurium dolores, ac lippitudines, & oris ulcera acrimonia ſua, at ſi infra tendat, diarreas creat, ſeu alui fluxus, ſeroſa verò bilis humiditas ad cutim tranſlata, ſudores facit, & maximè ad partes obſcenas: quia humidæ ſunt; vnde putredines: quia caliditas æſtatis ad putredinem eſt aptiſſima, ob defectum innati calidi. Hip. lib. de Natu. humana.

Quòd febris calor eſt extraneus in corde accenſus, cum vero calor triplex ſit, alter elementaris, ſeu ſimplex, alius vero putridus: tertius malignus; ideo ſtatim tres naſcuntur febrium ſpecies, ſimplex, putrida, & maligna, rurſus ſimplex tria habet genera. Effemeram, Sinochum, ac Hecticam: quia unus ſolum calor excedit. Putrida uel fit ab humoribus in magnis venis putreſcentibus, uel in aliqua parte extra venas, maximè ad iecur, uel lienem, uel uentriculum, aut in teſtina, & meſereon: prima putredo facit continuam febrem: ſecunda intermittentem: continua, ſi eſt in ſanguine, putridam ſinochã parit, ſi vero in bile, tertianam continuam: ſi in pituita, quotidianam, ſi uero in atra bile, quartanam: à quo eodem humore fiunt & intermittentes: quintana uero, ſeptana, & nonana ad pituitam, uel melancoliam reduci poſſunt, ſua quantitate, uel qualitate: ita euariantes, ut ſuam periodum non ſeruent, intermittens autem febris, uel Prima adnotatio.

eſt

eſt exquiſita, cum ſuam exactè ſeruat naturam, uel Notha, ſeu confuſa, cum ex duobus humoribus ſimul admixtis naſcitur, aut compoſita, quoties in diuerſis locis putreſcunt humores non inuicem commixti.

2. adnotatio. *Quòd febres continuas intelligit omne genus febris, quæ ad infebricitationem non venit, qualis ſinocha eſt, & ardens, quę duo febrium genera nullam manifeſtam habent acceſſionem vſque ad iudicium, per tertianias, intermittentes intelligit: quartana febris æſtatis propria dicitur, vel quia per calorem ſanguis exſiccatur; vnde fit atra bilis, quod magis ad æſtatis finem continget, uel quartana Notha, ob malam victus rationem, ob cruditates, quia per illud tempus, natura malè coquit ob paucitatem caloris.*

3. adnotatio. *Quòd vomitus maximè fiet in pricocolis, alui fluxus in ijs, qui parte inferna bilioſi ſunt, ophtalmiæ ſiccæ, aurium dolores, attenuato humore, & penetrante ad ſenſorium, leuitas inteſtinorum, & à bile, & à cruditatibus, diſenteriæ etiam bile mordente, putredines, non ſolum, ſi æſtas humida fuerit, ſed ſi ſuam naturam ſeruauerit: nam morbi, ex putredine citius in æſtate occidunt, tardius in hieme, vt ſcripſit Hip.*

De capitis vulneribus

APHORISMVS VIGESIMVS SECVNDVS.

Autumno æſtiui etiam morbi multi, &c.

cõnexio. *CVm in præcedenti aphoriſmo peculiares æſtatis morbos numeraſſet; nunc ad eos, qui in autumno fiunt, accedit, qui tertium locum habet inter anni tempora.*

Intentio. *Duplex concluſio in aphoriſmo habetur; prima, quòd in autumno multi æſtiui morbi fiunt: ſecunda, in autumno febres fiunt quartanæ, & erraticæ, lienis tumor, æqua inter cutim, tabes, urinæ difficultas, inteſtinorum tum lęuitas, tum difficultas, coxę dolores, angina, anhelatio, inteſtinorum coarctatio, epilepſia, inſania, melancolia.*

Rõ intentionis. *Vt morbos peculiares autumni enumeret ad prędictionem, pręcautionem, & curationem, & ut oſtendat ex iſta multitudine morborum, quod ſupra ſcriptum eſt, autumnum inſaluberrimum eſſe inter reliqua anni tempora.*

Diuiſio. *Iuxta duas allatas cõcluſiones bifariã ſecari põt pręſens Aphoriſmus.*

Demonſtratio primę. *Autumnus cum Aeſtate coincidit.*

Ergo plurimi ex ęſtiuis morbis in eo fient,

Antecedens probatur, quia in prima ſui partē ęſtati correſpondet, & multa abundat bilis. Conſequens manifeſtè ſequitur, ſupra tamen de ęſtate loquens ait nonnullos procreare vernales, hic tamen plurimos ęſtiuos in autumno fieri dicit, ratio eſt: quia, autumnus maiorem

vim

vim habet ad morbos gignendos, quàm ęſtas. Demonſtratio ſecundæ.

Quo tempore melãcolia abundat, & multa in corpore eſt cachochimia, mea tuum perſpiratio impedita, & motus humorum ad uiſcera, tales fient morbi, quales deſcripti ſunt.

Sed in Autumno illa adſunt. Ergo in eo prędicti morbi fient.

Maior probatur: nam quartanę febres, & erraticę, melancolia item, & epilepſia, ac inſania, atram bilem ſequuntur, ſicuti, & lienis tumores, ad quos hidropes conſequi ſolent, motus humorum ad inteſtina, leuitates inteſtinorum, & diſenterias, & i leos facit, ad ueſicam diſurias, ad pulmonem anhelationes, & tabes, ad guttur anginam, ad coxam inchiadas.

Minor etiam probatur: nam in autumno magna adeſt humorum prauitas: quia bilis per ęſtatem genita in eo aſſeruatur, pituita quoque multa ex copioſo aquę potu, & fructuum eſu, atra bilis propriè in eo tempore viget, motus humorum ad interna eſt, cutis conſtringitur ob frigiditatem iam vigentem.

Quòd quattuor iſti morbi, quartana febris, erratica, lienis tumor, & Hidrops ſe inuicem conſequuntur, quartana vero dupliciter accidit, aut febri continuę ſuccedit per abſceſſum, & tunc pręcedit erratica febris, aut fit ex melancolia nullo pręcedente morbo: fit vero erratica, uel ob motionem bilis cum atra bile, uel ſequitur melancolicum humorē, qui cum non ęqualiter putreſcat ob ſuam craſſitiem, ac tenacitatem: primo facit erraticas febres, inde vero quartanas. Appellat autem Hip. quartanam, quintanam, ſextanam, & nonanàm, omnes febres erraticas, quę maximè in autumno fieri ſolent Epid. ad has febres ob aquę potum, & quia per eas maximè lien patitur, tumores eius fient: vnde hidropes communicato malo ipſi hepati. 1. adnotatio. 3. Prognoſticorum.

Quòd coarctatio inteſtini ileon ſolet efficere peſſimum malum, ſeu obduratis fęcibus Aquilone iam flante, ſeu multa cachochimia ex inflammatione confluentibus humoribus ad inteſtina, diſenterię quoque valdè prauę, ex atra bile fieri per hoc tempus eſt veriſimile, angina illius ſpeciei, quę ex bile fit, ac mordaci humore, de qua quarto acutorum ſcripſit. Tabes per id tempus peculiaris eſt ob fluxiones, ſicuti, & aſthmata. Sed dices Hip. in vere poſuit etiam inſaniam, & melancoliam, & epilepſiam, quas hinc repetit, quaſi idem morbus fieri poſſit peculiaris, & affinis duorum temporum. Verum non eſt inconueniens, ſiquidem in autumno propria temporis ratione fiunt, in Vere autem ob humores autumni per hiemem aſſeruatos. 3. adnotatio.

APHORISMVS VIGESIMVSTERTIVS.

Hieme pleuritides, peripneumoniæ, &c.

cōnexio. *EXplicatis trium temporum, Veris ſcilicet, ęſtatis, & autumni morbis, nunc ad hiememe accedit, & qui in eo vigeant morbi docet.*

Intentio. *Hieme vigent pleuritides, peripneumoniæ, lætargi, grauedines, raucitates, tuſſes, pectoris, laterum, & lumborum dolores, cephalangiæ, vertigines, apoplexiæ.*

Rō intentionis. *Eadem eſt, quæ in ſuperioribus, explicare, quinam morbi hiemis proprij ſint ad prædictionem, præcautionem & curationem commodiorem.*

Demonſtratio. *Quo tempore pituita multa eſt, aer vero humidus, & frigidus, pleuritides fient, pulmonię &c.*

Sed in hieme abundat pituita, & natura hiemis frigida, & humida eſt.
Ergo per illud tempus morbi prędicti abundabunt.

Minor de ſe clara eſt. Maior probatur: nam per tempus frigidum, & humidum, pectus, & caput, & cerebrum debilitatur, ſi quidem frigidum illis membris inimicum eſt, aer enim potiſſimum ad pulmones, & caput attrahitur, cutis quoque denſatur, at cum multa ſit pituita in corpore, nec tranſpiret, ſi commouentur fluxiones, pulmonię fient, & pleuritides, grauedines, raucitates tuſſes; materia autem in cerebro retenta, lætargi, cephalgiæ, vertigines, apoplexiæ, laterum, & lumborum dolores à flatu coarctatis vijs, & reſolutione impedita.

1. adnotatio. *Quòd mirandum videtur, cur Hip. non dixit in hieme fieri etiam aliquos autumni morbos, ſicuti ſupra autumno æſtiuos, & æſtate vernos. Reſpondet Gal. ſubaudiendum eſſe: quia hiemis principium cum fine autumni communicat; Vel dicas tacuiſſe id Hip. quod pauci ex autumni malis in hieme fiant; nam autumni finis facillimè tranſit in hiemis naturam ob frigiditatem, non ſic autumni principium detrahit de ęſtatis fine, immo in æſtatis naturam tranſit.*

2. adnotatio. *Quòd cum pleuritides, & peripneumoniæ ſint uel nothę, uel exquiſitæ Hip. de omnibus intelligit. Ac dices, uidetur potius ſolum fieri per hiemem debere notham pleuritidem à pituita, immo non contingere per illud* 6. Aphor. *tempus, ſiquidem, ſicuti qui acidum ructant, & pituitoſi ſunt, non admodum fiunt pleuritici: ita etiam per hiemem, pituitoſum tempus, pleura vigere non deberet. Dic viſcera per hiemem multo ſanguine abundare: ideo per illud tempus membranam, & calere, & humeſcere maximè, penetrat autem humor: quia ſanguini admiſcetur bilis, aut ſeroſus humor; adde laterum dolores: quia frigido fiunt, fluxiones concitare, nec valet conſequentia à tēperamento pituitoſo ad tempus frigidum, & humidum.*

Quòd

Quòd calidum inſitum per hiemem quantitate maius eſt; Aeſtate autē qualitate excedit, ac proinde, quod refert Ariſt. rigores maiores per Aeſtatem fieri; quia calidum diſſipatur, non ſequitur illam cauſam, ſed potius bilis quantitatem; nam rigor magis fit ex bile, quàm à frigiditate, nec etiam quod ſcribit ardentiores eſſe acutas febres per hiemem quàm per Aeſtatem omnino recipiendum eſt; nam calor intus attractus, cum ſit humidus, magis per illud tempus, non deducit hominem in eum ardorem, ad quem ſiccus calor Aeſtatis eum deducet, verum tamen eſt febrem ardentem, quæ hieme fit, maiorem habere cauſam, quàm æſtiuam, ſed non ob id erit ardentior, quàmuis periculoſior: quia hiemalis cauſon ferè abſceſſum ſequitur, non tamen æſtiuus. 3. adnotatio 20. Probl. 29.

Quòd quemadmodum anni tempora ſuos peculiares habent morbos: ita, & vnaquæque regio ſuos habet peculiares, prout exponitur ad ſolem, & ventos, & prout aquis paluſtribus, aut alijs vtitur, vel diuerſa victus ratione, illos autem hic tacuit, & libro de aere, & aquis, de quibus tamen in fine huius mentionem faciemus breuiter illos colligentes. 1. adnotatio. De aere, & aquis.

APHORISMVS VIGESIMVSQVARTVS.

Secundum ætates autem hi morbi fiunt, &c.

CVm de peculiaribus cuiuſque temporis morbis hactenus tractaſſet Hipp nunc ad illos accedit, qui in vnaquaque ætate contingere ſolent; nam à principio diximus Hippocr. in hoc libro de illis mutationibus acturum; quæ, & ratione temporis, & ætatis in nobis fiunt. Cōnexio.

Paruis, & recenter natis puerulis, peculiares morbi ſunt: oris vlcera, vomitus, tuſſes, vigiliæ, pauores; vmbilici inflammationes, aurium humiditates. Intentio.

Vt demonſtret, qui morbi in prima illa tenella ætate contingant, quò Medicus, & prædicere illos, & præcauere commodius poſſit, & doceat etiam hominem inter cætera animalia morbis maximè obnoxium eſſe, ſiquidem nulla ferè ætas eſt, quæ plurimis, & maximis non abundet morbis, quare magna cura habenda nobis eſt, ne ægrotemus, & præcipuè in pueris, qui ſuas affectiones exprimere nequeunt: neque remedia ſuff erunt valida. Rō intentionis.

Qua ætate cauſæ adſunt prædictorum morborum, veriſimile eſt, tales produci. Demonſtratio.

Sed in prima illa tenella ætate prædictorum morborum cauſæ adſunt.
Ergo in ea ætate tales morbi maximè creabuntur.
Maior non eget probatione. Minor in ſequentibus annotationibus declaratur,

Quòd

Prima ad notatio. *Quòd omnes iſti morbi pendent, tum ex mutatione alimenti, tum ex mutatione loci; tum ex violentia partus, tum ex temperie humidiſſima illorum, oris itaque vlcera Aphtæ à Græcis dictæ, à feroſitate lactis procedunt, continua ſuctione, & reliquijs lactis in ore putreſcentibus. Adde, cutis mollitiem; vnde facile exeditur illis os, quod genus mali non contemni debet, ſed cito curari, ne vires acquirat. Eſt alterum aphtarum genus malignum, quod adultis magis aduenit, per humidam, & calidam conſtitutionem putreſcentibus ſuccis in capite, aut per Gallicum morbum: illud autem rectè hic notat Olerius in regionibus frigidis vbi lac non itabileſcit, ſicut in regione Hipp. Aphtas non ita fieri, ſed magis vlcera ſerpentia per faciem, caput, & poſt aures, quæ Hipp. inter morbos non connumerat, quòd per hæc corpus purgetur, ideò ſcripſit mundos pueros magis epilepſiæ eſſe obnoxios, minus autem impuros, ſi vtrique à ventre non fuerint expurgati, quia illi intus continent mali cauſam, hi verò extra mittunt.*

Lib. de morbo ſacro.

2. adnotatio. *Quòd vomitus fit in illis vel ob voracitatem, vel copiam, uel acrimoniam, aut ventriculi imbecillitatem: adde inaſſuetum alimentum: ex vtero enim per vmbilicum, & ſanguine nutriebantur, extra verò per os, & lacte: qui igitur ob copiam, & voracitatem reuomunt, & ſeniores ſunt, & coloratiores, nam uentriculus meliorem partem lactis amplexa, reliquam euomit, at qui ventriculi imbecillitate, aut malo lacte reuomunt, minus ſunt vitales, & dignoſcuntur: quia graciles ſunt, & mali colorati: prima reuomitio inter morbos connumerari non debet, ſed ſecunda: modus autem lactandi puerulos bis, aut ter in die eſſe ſolet. Tuſſes ait Valleſ. ob debilitatem pectoris ijs non ita contingere; ſed potius ſi magna fuerit fluxio, ſuffocantur, & Gal. omiſit, non tamen negandum eſt puerulos tuſſes habere, maximè cum ad ſeptimum menſem extendatur iſta ætas, cuius cauſa eſt defluxio humoris à capite, & aeris frigiditas: Vigilię, ſeu potius excitationes crebræ, ac planctus tum ob cruditates, tum vapores mordentes, tum ob dolores ventris, & vmbilici, tum ob diſſuetudinē loci; tum ob ſordes, & excrementa. Pauores ex tetris vaporibus mordentes cerebrum, & os ventriculi ex lacte corrupto, qui maximè per ſomnum fiunt; vnde excitantur, & quia ſe deſtitutos putant mutato loco, quaſi ex alto ſint caſuri. Inflammationes vmbilici, quando nutricis incuria non rectè ſecatur. Aurium humiditates ex abundanti in cerebro humore, qui licet per nares exeat, non iudicatur morboſus. Epilepſia etiam multos interficit ex nuper natis, quare mirum eſt, cur Hipp. omiſit eum morbum. Sed quia in ſequenti ætate frequentius accidit, & vſque ad ſeptimum annum, ideo ad ſequentem reſeruauit Aphoriſmum.*

3. adnotatio. *Quòd ætas dicitur illud vitæ curriculum, quo corpus à calore interno mutatur, & varias ſuſcipit mutationes, & diuiſiones, pro diuerſa intentione:*

tione; vnde hic diuidit minutiſſimè ætates Hipp. præſertim primum curſum, qui eſt ad vigeſimumquintum annum, quem in quattuor diuiſit ętates: ſpatium autem ab illo termino ad finem vitæ in tres: quia illa diuiſio aptiſſima erat ſuo inſtituto, eſt autem temperamentum duplex, innatum, & ætatiuum, cum autem temperamenti mutatio, & maximè ętatis pariat morbos, tunc magis pariet, vbi cum innato coincidet, vt qui natura humidus eſt magis ægrotabit in infantia, & pueritia, minus in iuuentute, & ſic de alijs, fuit autem Hipp. diligentiſſimus in explicandis ætatum morbis, & præcipue primarum, diuidens illas, vſque ad minima, quia ſi quę ętas eget auxilio Medici, cum ęgrotat, illa ſanè eſt, quàmuis vulgus hominum ob ignorantiam Medicorum, illis morbis curandis ad nutrices currat, non minus ignaras.

Quòd cum iſti morbi magna ex parte ex lacte dependeant, & alijs cauſis, quas diximus, Medicus maximè debet eſſe ſollicitus de nutrice, & 4 adnotatio. *vbi prauum fuerit mutare illud, aut corrigere: Item quia ex loco cognato, & calido, & leni exit, vt ait Hipp. ideò veſtes mundiſſimas, & leuiſſimas inuenire oportet, lauandi quoque multoties, ob ſordes: quia iſtę potiſſimum vigiliarum, & fletus cauſę ſunt, aer quoque frigidus vitandus, & caue, ne vllo pacto terreantur ioco: quia ex terroribus conuulſiones. Epilepſię, & apoplexiæ illos facile corripient.*

APHORISMVS VIGESIMVSQVINTVS.

Aduentante dentionis tempore; &c.

CVm primæ ætatis morbos, eius nimirum quæ ad ſeptimum menſem extenditur, enarraſſet in antecedenti, in præſenti modo ad illos accedit: qui ab eo tempore incipiunt, cum ſcilicet primum dentes apparent, & ad tertium aut quartum annum extenditur. Cõnexio.

Dentientibus pueris, gingiuarum accidunt pruritus, febres, conuulſiones, alui profluuia. Intentio.

Vt explicet, quàm laborioſa ſit humano generi dentium emiſſio, & peculiares eius affectus, quò Medicus, & prædicere, & præcauere, & curare melius eos poſſit. Rō intentionis.

Diuiditur Aphoriſmus in duas partes: in prima concluſionem ponit intentam: in ſecunda explicat in quibus magis illi morbi ſint ſpectandi. Diuiſio.

Dentientibus pueris cauſæ adſunt gingiuarum pruritus, febrium conuulſiones, &c. Demõſtratio primę.

Ergo prædicti morbi in eo tempore fient.

Conſequens certum eſt. Antecedens probatur; nam cum primum erumpunt dentes, pruritus fit paruus ob punctionem, qui cum ſit conti-

nuus

nuus fluxionem concitat, inde inflammationes, inde febres, ob quæ mala vigilant, & cruditates illis fiunt, à quibus conuulſiones, & alui fluxus, bileſcente lacte ob prædictas cauſas.

Quòd dentes natura homini dedit in magnam neceſſitatem, ad attritionem alimenti, ad loquelam., ad arma, horũ triplex eſt generatio Hip. prima in vtero à ſanguine menſtruo: ſecunda, ex lactè: tertia, à ſolidiori alimento; primi decidere ſolent, nec eos ſubſtinere poteſt mollities oſſium, dentes autem, ſecundo, & tertio modo geniti, firmantur, & ad ſeptimum menſem conſpiciuntur, quibuſdam tardius, alijs verò citius pro formatricis robore, & alimenti, ac oſſium ſoliditate: primi in lucem veniunt inciſorij, anteriores: inde ad duodecimum menſem canini, primi molares ad ſecundum annum, vltimi ad ſeptimum.

2. adnotatio. *Quòd iſtos morbos magis accidere dixit Hipp. quando dentes canini exeunt, ſunt enim teretes, & radices craſſas habent, & cum difficultate exeunt, & maximè oculos reſpiciunt; vndè etiam ad eorum ægritudines,*
4. Epid. *maximè ad ſupernas partes fieri ſuppurationes ſcripſit Hipp. molares licet latiores ſint, radices tamen habent plures, & auctiores, & pluribus aciebus perforant gingiuas, & non ita tenella adueniunt ætate. Addit etiam tales morbos eſſe magis metuẽdis ijs, quibus aluus eſt ſiccior, & meritò: quia in iſtis maior exindè plenitudo in corpore eſt, & eadem cauſa craſſioribus puerulis magis iſta accidere eſt veriſimile. Sed & alui fluxus, ubi durioribus fiet, & maior, & diuturnior erit.*

3 adnotatio. *Quòd per conuulſionem hic illam intelligit, quæ fit ex repletione; nam pueri raro ex ſiccitate conuelluntur, ob corporis humiditatem, ſit autem pueris his duplex conuulſionis genus, & comitiale, & febrile, tranſmiſſis humoribus ad neruos in illis perquam debiles, eſt autem communiter pueris ad ſeptimum annum peculiaris morbus conuulſio, illam tamen*
Hipp. 3. Progn. *huic ætati magis dedit Hipp. quia in iſta ætate iam calor magis dilatat venas, & fluxiones concitat, non tamen ita potens eſt, vt prohibere, & diſſoluere poſſit illas.*

4. adnotatio. *Quòd iſtæ affectiones adeò dentium emiſſionem comitantur, vt ineuitabiles ſint, quantumuis opera Medicus illas prohibere nitatur: quare benè quidem leniri poſſunt, & nequaquam in totum remoueri, cum verò pueri ob dolores, & febres vigilent, & clament, nec alia ratio ſit leniendi dolorem, quàm præbendi vbera, & ex ea ſuctione cruditates magis augeantur; ideò difficile eſt admodum talia tractare.*

5. adnotatio. *Quòd dentes, ſicuti & reliqua oſſa non ſentiunt per ſe, niſi per neruum, qui ad radicem eorum eſt, nec ſtupor, qui in illis ſentitur ita illorum proprius ducendus, quin alijs partibus aduenire non poſſit, ea tamen textura fabricauit natura vngues, ac dentes, ut licet in ſe non ſentiant citiſſime tamẽ affectiones communicent, & calidum, & frigidum, ſicut metal-*

la,

la, licet duriſſima, tamen facillimè calorem tranſmittunt, hinc fit, vt per frigora, & calores, potiſſimum vnguibus, & dentibus doleamus.

APHORISMVS VIGESIMVS SEXTVS.

Ipſis verò grandiun ſulis, &c.

SVperiori Aphoriſmo infantiæ morbos explicauit Hipp quare rectâ ratione accedit nunc ad illos, qui ab ea ætate ad decimumquartum annum fiunt, & pueritia dicitur. cõnexio.

Morbi pueritiæ familiares ſunt tonſillarum inflammationes, vertebræ, occipitis luxationes, internæ anhelationes, calculi, lumbrici rotundi, aſcarides, verucæ penſiles, ſatiriæ, ſtranguriæ, ſtrumæ, & alia tubercula. Intentio.

Eadem, quæ in ſuperioribus, vt familiares pueritiæ morbos proponat, quòd Medicus illos prędicere, & præcauere, & curare commodius poſſit. Rō intentionis.

In pueritia cauſæ adſunt iſtorum morborum.

Ergo in ea proprij erunt illius ætatis, & in ea fient. Demonſtratio.

Conſequens manifeſte ſequitur. Antecedens per ſingulos percurrens, & ſubſequentibus annotationibus declarabitur.

Quòd omnes iſti morbi pendent ex tribus cauſis, materiei multitudine, ob voracitatem, calore iam emergente, & vaſorum amplitudine, cum enim ætas iſta ſit media inter infantiam, & adoleſcentiam medio quodã modo ſe habet ad illa, in infantibus obruitur calor ab humiditate, & venarum anguſtia: In adoleſcentibus iam diffunditur, & potens eſt ob uenarum latitudinem; at in pueris medio quodam modo ſe habet, cum medij ſint inter eas ætates, igitur abundante multa materia emergente iam calore, & vaſorum latitudine, fluxiones fiunt ad fauces, & collum; vnde tonſillarum inflammationes, luxationes vertebrarum, & ſtrumæ, ad cutim tubercula, ad aures ſatiria, ad pulmonem aſthmata, cum autem multa ſit materia, & calor, & cruditas, hinc in inteſtinis lumbrici, in veſica calculi fient, & ſtranguriæ 1. adnotatio.

Quòd varioli, & morbilli ex illis morbis ſint, qui hanc ætatem maximè infeſtant, quamobrem mirum eſt, cur Hipp. illarum mentionem non fecerit. Dic in fine Aphoriſmi per verba illa (& alia tubercula) comprehendiſſe illud morbi genus, aut non fuiſſe fortaſſe tempore Hippocr. tale quidpiam. Sed nouum eſſe morbum, vt Gallica lues, quod ſi ſanguinis impuritas illi principium dedit, non videtur cur inter veteres morbos non ſit numerandus, ſi verò acris putredo illi principium dedit, inter nouos connumerari poterit. 2. adnotatio.

Quòd tonſillæ, glandulæ ſunt ad fauces emunctoria cerebri, ſicut, & reliquæ colli glandulæ, illis autem pituita repletis tumor fit, cum verò 3. adnotatio.

iſtę humor ad membranas poſt aures currit, ſatiriaſinos efficit; ita enim accipere oportet vocem iſtam, non vt elefanticum morbum, vel oſſium temporum eminentiam, aut pudendi erectionem ſignificat, cum pueris iſtę affectiones non eueniant; at cum ad colli glandulas venit humor, ac tumores duros efficit, ſtrumæ fiunt, peſſimus colli morbus. Verum inflammatis ligamentis, vertebræ, accipitis facilè ad interna feruntur, maximè verò ex conuulſionibus, quæ familiares ſunt pueris: vbi verò in pulmones effluit materia; aſthmata fiunt, ſeu ſpirandi difficultates, quæ etiam ex vertebrarum luxatione fieri eſt veriſimile.

4. adnotatio. *Quòd calculi generatio familiaris eſt, tum pueris, tum ſenibus: quia vterque illorum humoribus craſſis abundat, ſed pueris magis in veſica fiunt: quia renes eorum ob caloris copiam, & teneritatem, & validam expultricem, tranſmittunt etiam craſſam materiam, quæ in veſica, ob diu turnam moram concreſcit, & lapidem efficit; ideo ſcripſit Hipp. pueris poſt mictionem magis fieri calculos, quæ cauſæ cum in renibus ſenum non ſint; ideò fit, vt illis, & in renibus, & in veſica concreſcant lapides, quod verò ſcribit Fernelius omnes veſicæ calculos à renibus habuiſſe originem, licet in adultis probabile ſit, in pueris tamen id hic negat Hipp. cęterum ex lactè bilioſo pueris maximè fieri calculos ſcripſit Hippocr. quare vinoſæ mulieres, & bilioſæ, cauendæ ſunt à nutritione infantiũ Stranguriæ, & ad calculos, & ad debilitatem muſculi veſicæ accedunt: Cæterum non ſolum in hac ætate pueritiæ, ſed in antecedentibus calculum fieri poſſe voluit Hippocr. cum ait lac bilioſum ad calculum gignendum vim habere, tacuit tamen iſtum morbum in illis: quia ex alimento potius, & non ratione ętatis fit, aut, quia non ita frequenter.*

5. adnotatio. *Quòd lumbrici, animaliuncula ſunt, quæ in inteſtinis gignuntur; ac triplici differentia conſtant. Lati, quorum generatio rara admodum eſt. Teretes rotundi ad palmi magnitudinem, & Aſcarides qui paruuli ſunt vermes, & maximè recto inteſtinó familiares equis. Iſtorum generatio non à maligna putredine in pueris fit, ſicuti in grandioribus, ſed à cruditatibus, & ſanguinis ebullitione quaſi per coctionem: hoc genus morbi, ferinum appellat Hippocr. & proprium Autumni, ſicuti ferinum appel-*
2. Epid. sect. 2. *lat omne vlcus depaſcens, & malignum. Cæterum latos lumbricos in vtero fieri; & per tota inteſtina diſtendi ſentit Hipp. ſeu illud fiat membranula interna in illud animal ſe tranſmutante, ſeu potius à pituita per tota inteſtina adhęrente, & putreſcente, quod probabilius eſt, & ſolet decidere fruſtulis quibuſdam cucurbitę ſeminibus, aut etiam maioribus, nec mirum, ſi quidem in regione Braſilica vermis quidam incipiens à calcaneo, niſi cito extrahatur totum corpus permeat non diſſimili ratione.*

APHORISMVS VIGESIMVSSEPTIMVS.

Grandioribus autem, &c.

Explicatis peculiaribus pueritiæ morbis in præcedenti ſententia, venit modò ad eos, qui pubertatis ſunt, quæ ætas à decimo, vel duodecimo, aut quartodecimo anno ad vigeſimumſecundum extenditur. cõnexio.

Duplicem concluſionem ſtatuit, in altera dicit. Ad pubertatem accedentibus fieri multos ex pueritię morbis. In altera cum proprios dicit eſſe eius ætatis, febres diuturniores, & fluxiones ſanguinis è naribus; ideò in duas partes ſecari poteſt Aphoriſmus iuxta duas prædictas concluſiones. Intentio.

Vt oſtendat, quibus morbis corripiatur ætas illa, quæ à pueritiæ fine ad decimumquintum annum procedit, & vt cognoſcat Medicus illam omnium ætatum ſalubriorem eſſe, quòd pauciſſimis morbis laboret. Rõ intentionis.

Pubertatis initium coincidit cum fine ipſius pueritiæ. Demonſtratio. 1.

Ergo laborabit etiam multis ex ſuperioribus morbis illi ætati affinibus.

Antecedens patet, ſicuti enim in temporibus fines, & principia coincidunt, & ideo Verni morbi aliqui in Aeſtate fiunt, & Aeſtiui in Autumno, vt ſuprà dictum eſt: ita in ætatibus contingit. Quod verò Valeſ. ait Hipp. hic non connumerare ętates integras, ſed tempus, quod eſt à medio prioris ætatis ad medium poſterioris, recipiendum mihi videtur: quoniam eas inſerit ad inuicem, & id prouenit, quia ętates non exactè per annorum numerum diſtingui poſſunt, & maximè ea ratione, qua hic conſideratur. Conſequens manifeſtè ſequitur: quia ſi præcedens ætas cum præcedenti adeò communicat, non eſt mirum fieri poſſe ambarum morbos communes, ſed pueriles morbi magis in principio pubertatis fieri eſt veriſimile.

Quo tempore ſanguis abundantior eſt, & calidior, & virtus aliquanto debilior: tunc fient è naribus hæmorargiæ, & febres diuturniores. Demonſtratio. 2.

Sed in pubertate iſta adſunt.

Ergo in illa fient prædictę affectiones.

Maior probatur: quia abundantia ſanguinis, & caliditas faciunt ad hæmorargiam; at debilior virtus, quàm in pueris ad longiores febres.

Minor probatur, ſanguis enim abundantior eſt: quia non ita conſumitur in augmentum, ſicut in priore ętate, calidior quoque; quia, & hęc ætas illa magis calet, & venæ latiores ſunt: debilior autem virtus quodammodo eſt: quia ob Venerem ſuperfluam languent magis puberes, quàm pueri, & cruditates proinde aggregant magis. Febres igitur in pueris

ſunt breuiores; quia virtus in illis coquens robuſtiſſima eſt, & expellens; vnde à grauiſſimis morbis ad miraculum vſque liberantur: adde corpus tenue, & molle facilius alterari; ideò febres illis acutiores, quàm puberibus.

1 adnotatio. *Quòd tunc dicuntur pubeſcere homines, cum pilos edant, ſeu ad mentum, ſeu ad genitalia, quo tempore ſemen edunt mares, & fœminę menſtrua fundunt: id, quod ad annum decimumquartum fieri ſolet, quibuſdam citius, alijs autem tardius: calidi enim citius, frigidi tardius pubeſcunt. At dices, Ergo mulieres quippe frigidiores, deberent pubeſcere tardius, quàm mares, contrarium tamen apparet, ſi quidem illæ, & citius ſapiunt, & pubeſcunt, quàm mares. Dic citius pubeſcere: quia breuioris ſunt vitæ, & ætatis; idcirco in illis cito tranſeunt: adde, quòd cum citius creſcere deſinant, citius quoque ad genitalia menſtrua deſcendunt: adde corporum denſitatem; vndè minus exhalant, & ideo cum pluribus abundent excrementis, citius natura per menſtrua expulſionem quærit.*

2 adnotatio. *Quòd abſolutè omnis hæmorargia præter naturam dicitur, illa excepta, quæ fit per menſes in mulieribus, dicuntur autem iuuare ex accidenti, ratione alicuius morbi, vt quæ ex naribus fit, aut hemorroidibus: dixit autem per nares potius propter ſanguinis feruorem, quo ad ſuperiora tendit. Sed ex naribus intelligere oportet: quia ſeminis ad menſes eunt, niſi retineantur magis, quàm decet, tunc enim, & ſemen ad ſuperiora vergens, poterit etiam per nares venire.*

APHORISMVS VIGESIMVS OCTAVVS.

Pueris maximam partem, &c.

cõnexio. *CVm morbos pueriles vſq; ad pubertatem hactenus numeraſſet Hip. cumque pubertatis ætas potiſſimum omnes præcedentes morbos finiat; ideo occaſionem arripiens, docet in præſenti ſententia, quomodo per ætates ſoluantur morbi.*

Intentio. *Duplex proponitur concluſio: prima aſſerit morbos pueriles iudicari, vel quadraginta diebus, vel ſeptem menſibus, vel annis ſeptem, aut denique ad pubertatem: ſecunda docet eos morbos, qui ad ſeminis, menſium ve effuſionem non ſoluuntur inueteraſcere, & ad mortem comitari: hinc*

Diuiſio. *fit, vt iuxta iſtas duas concluſiones Aphoriſmus in duas partes meritò diuidatur.*

Rō intentionis. *Multiplex eſt, prima, vt doceat ętates, ſicut etiam anni tempora non ſolum procreandi, ſed etiam ſoluendi morbos uim habere magnam, ſecundo, vt doceat auxilium maximum in his, à mutatione ætatis petendum:*

tertio,

tertio, ad prædictionem, quarto, vt oſtendat quantum inter cæteras ætatis mutationes faciat pubertas, & in ea illud tempus maximè, quo venerem exercent homines.

Quadrageſimus dies, ſeptimus menſis ſeptimus annus 14. magnas efficiunt mutationes. Demonſtratio 1.
Ergo pueriles morbi in iis iudicabuntur.

Antecedens probatur: nam quadrageſimo die iam roboratus puer dolores partus ſpernit eo quoque tempore primum ridere incipit, ſeptimo menſe dentes innaſcuntur, ſeptimo anno omnino perficiuntur, decimoquarto, apparent pili, menſes, & ſemen. Conſequens probatur: quia pueriles morbi in plurimis ab intemperie fiunt, ea verò per dicta tempora in contrariam mutantur; at magnæ mutationes contrariæ maximè morbos indicant.

Omnes naturæ conatus ſunt ad pubertatem,
Ergo, qui morbi per illud tempus non ſoluuntur inueteraſcunt.

Antecedens probatur: quia maxima omnium mutatio eſt, quæ per venereus fit, & illa eo tempore fit. Conſequens manifeſtè ſequitur: quia ſi quo tempore natura maximè nititur, non poteſt ſoluere, Demonſtratio 2.
Ergo neque poſtea poterit.

Quòd cum morbi quidam breues ſint, alij longi. Hipp. præcipuè intelligit longos. At dices, etiam acuti morbi in iis ætatibus fiunt. Dic eos etiam intelligere, vel quia extra quadraginta dies terminantur, vel quia diſpoſitiones ad illas per illa tempora finiuntur: rurſus cum iſti morbi, vel ex ætate, vel ex victu, aut cuiuſquam morbi vitio fieri poſſint, intelligere oportet morbos cum ratione ætatis fiunt: quia qui ex victu procedunt; aut alicuius membri particularis vitio, eum terminum non habent.

Quòd iudicari in morbis apud Hipp. abſolutè eſt ad bonum, & ſic intelligit hic, finire ſcilicet pueriles morbos, aut maximè leuari in tradicta tempora. Sed dices; num iſti dies, & menſes, & anni à die morbi, vel natiuitatis ſint numerandi, Dic numerandos etiam à natiuitate, quia licet abſolutè quartus dies, & ſeptimus menſis, & annus ſeptimus, & decimuſquartus ſint iudicatorij, non tamen id eſt ratione ætatis, de qua intendit nunc. Intellige autem iſtos morbos per ea tempora finiri, ſeu ab vtero contracti ſint, ſeu poſt vterum: maximè verò intelligit illos, qui per circuitum redeunt, vt Epilepſia, oculorum mala, lombrici, ſtrumæ: lapis autem ætate non corrigitur, quàmuis diſpoſitio ad illum corrigatur; vnde iudicare intelligit, quod non modo ſoluantur, ſed non amplius fiant. 1. adnotatio.

Quòd cũ pubertatis duę ſint partes: prima cum menſes effluunt: ſecũda, vſq; ad 25. annũ extendatur. Hip. de vtraq; intelligit: ſed quia potiſſima 2 adnotatio.

eſt prima pars ad ſoluẽdũ; ideo dixit, ſi non ſoluũtur ad venas, ſolere inueteraſcere: de epilepſia tamen id ſcripſit vſq; ad vigeſimũquintum annum; quod tempus cum ſupergreſſi ſint morbi, non ideo inſanabiles abſolutè iudicauit; ſed plerumque: quia, quod beneficio ætatis (licet alioquin maximo) curare non potuit, arte, & medicamentis ſanari non eſt impoſſibile: & maximè cum vſque ad quadrageſimum annum vires corporis, & calor augeantur.

APHORISMVS VIGESIMVSNONVS.

Iuuenibus ſanguinis ſpuitiones, &c.

cõnexio. *CVm in vigeſimoſeptimo morbos connumeraſſet; qui in pubertate fiunt, ſub qua etiam adoleſcentiam complectitur, nunc iuuentutis morbos recitat à vigeſimoquinto anno, ad trigeſimũquintum, vel quadrageſimum annum, in qua ætate magna pars pubertatis etiam comprehenditur: ita vt à decimo octauo, ad trigeſimumquintum annum morbos enumeret.*

Iuuenibus ſanguinis ſputa, tabes, febres acutæ, Epilepſiæ.

Intentio. Rõ intentionis. *Eadem eſt, quæ in ſuperioribus, numerare ſcilicet proprios morbos iſtius ætatis, quò & prædicere, & præcauere & curare illos medicus commodè poſſit.*

Demonſtratio *Quo tempore ſanguis abundat, & bilis, minusque ſibi cauent homines, ſputa ſanguinis fient, &c.*

Sed in prædicta ætate iſta adſunt: Ergo in ea maximè tales fiẽt morbi.

Maior declaratur; nam abundantia ſanguinis, & acrimoniæ, nec non inordinata victus ratio facili negocio prædictos creant morbos; nam febres acutæ ad bilem, & ſanguinis ardorem ſequi ſolent, ruptiones venarũ ex abundantia ſanguinis, eroſiones ex acredine illius, reſerationes ex ſubtilitate, ac tenuitate ſanguinis. Tabes ad ſputa ſanguinis ſequi conſueuere. Epilepſia ea, quæ ex melancolico humore naſcitur, aut fieri, aut ſaltẽ exacerbari per illud tempus ideò ſolet: quia tunc maximè atrabiliarium corpus fit.

Minor probatur: quia in ea ætate deſinente iam augumento, ſanguis multus adeſt, acrior quoque ẽſt ob calorem maiorem; ſicuti bilis multa, errores autem per iuuentutẽ committunt homines: vndè facilius iſtorum morborum generatio prodijt.

1. adnotatio. *Quòd hęc ętas, ſeu illam adoleſcentiam, ſeu iuuentutem appelles a vigeſimoquinto, ad quadrageſimumſecundum annum extenditur, ſed melius eſt legere iuuenes, quàm adoleſcentes: quia vt diximus adoleſcentes ſub pubertate comprehenſi ſunt, ſanguinis autẽ ſputa, ac tabes, cum à deci-*

decimo octauo, ad trigeſimumquintum annum fieri dixiſſet: ideo veriſimile eſt, etiam partem adoleſcentiæ comprehendere, quæ ab eo tempore eſt, dixit autem ſanguinis ſpuitiones, & non fluxiones alias: quia licet & aliæ fiant, tamen hæc huic ætati peculiaris eſt, quia paratior ad venarum pulmonis ruptionem, apertionem, & eroſionem, quare non eſt dubitandum calorem potiſſimum cauſam eius morbi eſſe ſeu fluxiones concitans, ſeu ſanguinem quoquo pacto effundens.

Quod febres acutas intelligere oportet, ardẽtes, ſinocas, tertianas quoque, quæ in iſta ætate fieri multæ conſueuere: at de Epilepſia dubitare contingit, quare cũ puerilis hic morbus ſit, & in iſta ætate calidiſſima fieri ſcribat. Dic, vel de ea, quæ per conſenſum fit intelligere elata aura, ſeu vapore quodam ex aliqua parte corporis, vtero ſ. ventriculo, vel eam intelligere, quę calida eſt et poſt vigeſimumquintum annum venit, quæ ex mala ratione victus, ſeu ex morbo quopiam procedit, aut quòd Epilepſia licet rarò in iſta ætate fiat, irritari tam magis, & affligere, quàm antea. 2. Adnot.

Quòd in fine Aphoriſmi ſcribit alios morbos præter hos huic ętati conuenire, intellige, & præcedentis, & ſubſequentis ætatis: ſed illud etiam memoria habito, ætatem illam, quæ eſt à decimoquarto anno, ad quadrageſimumſecundum, omnium morborum eſſe feracem, vt ſcripſit Hipp. Rectè igitur ſibi conſulent iuuenes, ſi per hanc robuſtam ætatem bonam victus rationem ſeruarint, & maximè, quia tabi ſunt obnoxij, non ſolum autem ad tabem, quę verè phtiſis eſt, ſed ad maraſmum parati ſunt, eſt hęc ætas ob acutas febres, & calorem abundantem. 3. adnotatio. In Conc.

APHORISMVS TRIGESIMVS.

Vltra hanc ætatem prouectis, &c.

Explicatis in præcedenti ſententia morbis, qui iuuentutis ſunt, nunc ad illos, qui in conſiſtentia fieri ſolent accedit, quæ ętas à trigeſimoquinto anno incipiens, vſque ad ſexageſimum extenditur, & primum ſenium amplectitur. Cõnexio.

Proprij conſiſtentiæ morbi ſunt aſthmata, pleuritides, peripneumonię, letargi, pleuritides, febres ardentes, diuturna alui profluuia, colerę, diſenteriæ, lienteriæ, hæmorroides. Intentio.

Eadem eſt, quæ in ſuperioribus, nobis inquam, ante oculos ponere, quibus morbis ætas conſiſtendi ſit ſubiecta ad commodiorem illorum dignotionem, præcautionem, & curationem. Rõ intentionis.

Quæ ętas multos aceruat humores, & varios, nec illos facilè conſumit, prædictos morbos pariet. Demonſtratio.

Sed talis eſt ætas conſiſtendi. Ergo in ea ætate aſthmata fient, & cæteri prædicti morbi.

Maior declaratur; nam pleuritides, phrenitides, cauſones, coleræ, diſenteriæ, & bilioſorum cacochimia procedit, ſuntque magis proprij primæ partis huius ætatis, & finis ipſius iuuentutis, at verò Aſthma, letargus, pulmonia, diuturna alui profluuia, ad pituitæ abundantiam fiunt: verum hæmorroides, & perinde lienes, quartanæ, melancoliæ, & cæteri morbi huiuſmodi, quos ſub hæmorroidis comprehendere licet ob melancolicum ſuccum eius ætatis valdè familiarem.

Minor propoſitio, quòd ſcilicet iſti omnes humores abundent in conſiſtentia probatur, ſi quidem ob iuuentutem præcedentem, & calorem, multa abundat bilis, at ob cruditates, & malam victus rationem pituita viget, & melancolia iam eius ętatis peculiaris eſt, nec humores abſumuntur ob caloris iam defectum, & virtutis primariæ imminutionem.

Prima adnotatio. *Quòd hæc ætas conſiſtendi ſimilis eſt Autumno, & quemadmodum Autumnus omnium ferè magnorum morborum ferax eſt, ita in iſta ætate maximè, & quamplurimi morbi abundant magis, quàm in reliqua, & acutiſſimi, & valde pernicioſi: adde errata, quæ fiunt per hanc ætatem, non ita ſufferri poſſe, quemadmodum in iuuentute: vndè diſponitur corpus ad illos morbos magis: quare homines per hanc ætatem maximè errata cauere debent, tum eorum, quæ ad comeſtiones, tum labores, tùm venus pertinent: ita enim fiet, vt ad ſenectutem iam perueniant, & incolumes.*

2. adnotatio. 6. Ed. & Lib. de aere, & aqu. *Quòd Hippocr. dicit hanc ætatem corripi acutis, & magnis morbis, ſed addit habere diuturna alui profluuia, & hæmorroidas, verum quæ hæc habent, vt ipſe non ſemel refert, non ſolent talibus morbis corripi. Dic non fieri ijs, qui aluos habent humidas, ſeu hemorroidas, verum cæteris quibus talia non adſunt, aut ijs quibus hæc adſunt, cum ſupprimuntur, tales fieri morbos. Rurſus dices, cur Epilepſiæ non meminit in hac ætate, cum in illa abundet atra bilis, quæ Epilepſiæ potiſſimum cauſa eſſe poteſt? aut ſi ob calorem non fit, cur eius mentionem fecit in antecedenti? an quòd, & huius ætatis quò ad irritationem proprius morbus ſit Epilepſia, ſed magis in antecedenti poſuit: quia hæc cum multis morbis fit abundans, aut aluum habeat fluidam, vel hæmorroidas, & maximè ſubiecta ſit quartanis, quæ ab illo morbo, aberant; ideò eius mentionem non fecit.*

6. Epid. Libro 6. Aphor. 17 *Huic argumento ſi afferas Aphoriſmum Hipp. quo ſcribit à quadrageſimo, ad ſexageſimum aunum fieri maximè apoplexias, dic apoplexiam etiam huius ætatis eſſe maximè propriam, & connumerandam inter hos morbos, ſicuti quartanam, & melancoliam comprehendi ſub hæmorroidibus.*

APHO-

APHORISMVS TRIGESIMVSPRIMVS.

Senibus ſpirandi difficultates, &c.

Explicatis iam omnium ætatum morbis, vſque ad primum ſenium, in hoc Aphoriſmo vltimæ ætatis affectiones narrare intendit, eius ſcilicet, quæ decrepita eſt à ſexageſimoquinto anno ad mortem vſque. Cōnexio.

Morbi, qui ex decrepita ætate fiunt, ſunt ſpirandi difficultates, diſtillationes cum tuſſi, ſtranguriæ, diſuriæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexia, malus corporis habitus, Cachexia Grecis dictus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alui, oculorum, & aurium humiditates, viſus obtuſior, glacomata, auditus hebetior. Intentio.

Vt enumeret ſenectutis mala & dolores, quibus illa ætas abundare ſolet, quò illis, quantum fieri poſſit. Medicus occurrat, nec vlla eſt ætas, quæ plurium morborum ſit ferax, & cumulatior, quàmuis præcedentis ætatis affectiones in vniuerſum ſint grauiores. Rō intentionis.

In ſenectute adeſt calidi defectus, excrementorum abundantia, membrorum infirmitas, ac ſiccitas. Demōſtratio prima.

Ergo prædicti morbi in ea ætate maximè fient.

Antecedens vt notum ſupponitur, ſunt enim ſenes, & præcipuè vltimi frigidiſſimi, & caloris innati pauciſſimum habent; ac perinde membrorum ſiccitatem magnam concipiunt, ſed ob frigiditatem multa aceruant excrementa pituitoſa, & ſeroſa. habēt quoque debiles partes maximè frigido inimicas, vt caput, pectus, veſicam, articulos. Conſequens facilè ſequitur; nam fluente pituita ad pectus diſtillationes facit cum tuſſi, & aſthmata, ad aluum, oculos, aures, eas partes magis, quàm decet humectat, ad renes, & veſicam nephritides, & ſtranguriæ; at ſi pituita in capite retineatur, facit apoplexiam, malus corporis habitus ex frigiditate contingit, non potente rectè ſanguificare, at ex denſitate cutis, & abundantia fuliginum, & excrementorum putredo innaſcitur; vnde vigiliæ pruritus: at defectu eiuſdem caloris ſenſus omnes hæbeteſiunt, glauci oculi fiunt, conſumpto chriſtallino humore: tot igitur malis hæc ætas expoſita eſt, quos abſolutè vitare non poſſumus, licet quibuſdam magis, alijs minus hæc accidant, citius, aut tardius.

Quòd ſenes, quò ad temperiem, duplicem conſiderationem habent, vel ſecundum partes ſolidas, vel ſecundum nutritionem: primo modo dicuntur frigidi, & ſicci, quia ſemper ſolidarum ſubſtantia exſiccatur vſque ad mortem; at ſecundo modo dicuntur frigidi, & humidi, tum quia ſanguis illorum pituitoſus eſt, tum quia multis excrementis abundant: habent autem venas latiores, & carnes circa oſſa diſtantes; vndè Prima adnotatio.

facilè

facilè in illis fluxiones magnę fiunt, qualis eſt paraliſis; nam apoplexia licet in hac ætate etiam fiat, proprior tamen eſt præcedentis ętatis à quadrageſimo, ad ſexageſimum annum, quàmuis Gal. de illa intelligat, quę ex pituita fit huius ætatis propria, ſicuti quæ ex melancolia præcedentis. Cardanus, hic paraliſes intelligit: quia eo nomine aliquando Hippocr. illum morbum ſolet appellare. Sed dices, quæ nam eſt ratio, ſi ſenes tot malis ſunt ſubiecti, vt minus ægrotent, quàm iuuenes, ex ſecundo Aphor. libro dicente Hip. ſenes magna ex parte minus quàm iuuenes ægrotare. Dic nō obſtare id, quo minus vera ſit hæc ſententia: quia ibi de acutis morbis loquitur. Vel dic, quòd licet tot malis ſint expoſiti ſenes, tamen ob continentiam minus illis corripiantur. Rurſus repugnat, quod ſcripſis idem auctor, non omnes ſenes habere aluos humidas, niſi illos, quibus à iuuentute ſicca extitit: contra verò hic dicit proprium eſſe ſenum habere aluos humidas. Dic, quòd ibi de naturali loquitur diſpoſitione, hic verò de morboſa.

2. Aph.

2. adnotatio. Quòd dupliciter prouidere poteſt Medicus his malis: primo modo calidum innatum roborando victu calido, & humido, & vſu ſex rerum non naturalium ad illas qualitates vergente: ſecundo modo, facilem reddendo tranſpiratū corporis, in quem vſum balneum, frictiones, & vnctiones, conducunt, quàm maximè, vnde qui uixerat plus quàm centum annos interrogatus vnde robur illud acquireret, reſpōdit, intus mulſo foris, oleo.

3. adnotatio. Quòd non ſolum ad morbos, & gignendos, & ſoluendos vnaquæque ætas diſpoſita eſt, ſed etiam ſunt ætates quibus aliqui morbi nunquā fiunt; nam ante pubertatem, vt ſcripſit Hipp. nec pleuritis fit, nec pulmonia, nec podagra, nec nefritis, nec varix in tibia: at à pubertate ad quadrageſimum ſecundum annum, omnes morbi fiunt, ab eo verò tempore ad ſexageſimum octauum annum, nec ſtrumæ fiunt, neque lapis in veſica, niſi prius extiterit.

In Coaicis.

4. adnotatio. Quòd ſicuti ætates ſuos peculiares morbos habent; ita & regiones, quos morbos appellamus Endemios, ſeu regionales, & pendent tum à ſitu ipſarum ciuitatum ad ſolem, & ventos, tum ab aquis, & victus ratione, qua homines illi vtuntur, quare bene ſe habebit hic exponere ea morborum genera iuxta Hippocr. doctrinam; Qui itaque homines habitant ad Auſtrum, capita habent debilia, qua ratione vinum non ferunt: quia illis maximè repletur caput, alui fluxionibus laborant, mulieres morboſæ degūt, & fluxionibus, ac abortui expoſitæ, viris diſenteriæ, febres longæ, puſtulæ multæ, lippitudines humidæ, paraliſes, & defluxiones prauæ. Quòd verò aluos habeant humidas, raro acutis corripiuntur malis, verum ſi aquas lacuſtres, ſtagnantes vel paluſtres bibant, ſplenetici fient, ventres duri, & calidi, humeris, clauiculis, & facie extenuantur, hidropes quoque illis fient peſſimæ, & læthales, quartanę item, & alui profluuia ad æſtatem, hieme, & iunioribus pulmoniæ, & inſaniæ, ſenioribus autem febres

Lib. de aere, aquis.

febres ardentes propter ventris duritiem, mulieribus tumores oboriuntur ob pituitam albam, & vix in ventre concipiunt, & difficulter pariunt, & fętus magnos, ac tumidos, deinde ex alimentis putreſcentes, nec purgatio commoda à partu contingit, pueris herniæ accedunt, varucę, & vlcera in tibijs & fęminę putant ſe vtero gerere, cum non gerant, quia vteri aqua replentur, quæ omnia mala ad aquas referre oportet.

Quòd ciuitas, quæ ad Aquilonem, & ventos frigidos expoſita eſt, & aquis crudis, duris, & frigidis vtitur, homines ita afficit, vt ventre inferiori ſicci ſint, ſuperiori autem bilioſi, capita verò ſana habentes, venæ ipſis ſępè rumpuntur, & morbi illis vernales ſunt, pleuritides acutæ; ob alui duritiem, ſuppurationes, lippitudines duræ, & vehementes, vt oculos rumpant, ſanguinis verò fluores è naribus ad æſtatem magis, & iunioribus trigintaquinque annis. Epilepſia paucos occupat, ſed vehemens illis eſt, atque hi morbi viris accidunt. At mulieres multę ſteriles fiunt ob aquæ duritiem, purgationes menſium prauæ, difficulter pariunt, & à partu pueros nutrire non poſſunt, quoniam lac aquarum duritie extinguitur: pueris hidropes inteſtinorum, quàmdiu parui ſunt. Verum ciuitas, quæ ad Orientem exponitur, & bonis aquis vtitur, ſalubris eſt, & Veri ſimilis. Econtra quæ ad occaſum, valde morboſa eſt, & homines decolores, & raucoſos facit, & ob aeris impuritatem, ſimilis eſt Autumno, & omnibus participat morbis prædictis. 5. adnotatio.

Quòd cum tot mala, & mutatione temporum, ætatis, regionumq; proueniant, Medicus debet ſe illis opponere, & maximè illos corrigere, qui ex ſitu habitationum contingunt; nam ſitus ciuitatum, aer, & aquæ, ſi bonæ fuerint, non ſolum tuentur ſanitatem incolis, ſed & diutiſſimam vitam præbent; Econtrà malæ, quamplurimos pariunt morbos, & vitam abbreuiant, rectè igitur facerent ciuitatum conditores, ſi Medicos conſulerent ad locum eligendum commodum, & illi qui loca habitant malè diſpoſita, ſi eorum opera nullis impenſis parcentes corrigendas curarent aquas, & aerem ad meliorem reduci formam: quia hæc cura Reipublicæ vtiliſſima eſt, cum ſit conſeruationi hominum dicata. 6. adnotatio.

FINIS.

RODE-

RODERICI A FONSECA,

In Quartum Aphoriſmorum Commentaria.

APHORISMVS PRIMVS.

Prægnantes purgabis, &c.

cõnexio. EXPLICATIS *in præcedenti libro morbis, qui, & ad anni tempora, & ætates fieri conſueuerunt, modo in hoc quarto libro ad particularem tum curandi, tum prædicendi formam accedit: cum verò inter remedia valida medicamentum ſit, & vſui frequens; ideo de pharmaco purganti multa docet, & in hoc Aphoriſmo proponit tempus commodum purgandi grauidam mulierem.*

Intentio. *Duas concluſiones ponit in textu, quarum altera docet purgandas eſſe mulieres à quadrageſimo, ad ſeptimum menſem; altera verò negat id eſſe faciendum, ante, & poſt illud tempus. Et iuxta has duas concluſiones rectè in duas partes ſecari poteſt iſta ſententia.*

Diuiſio. Ratio intentionis. *Vt oſtendat, qua prudentia, & cautione Medicus vti debeat in prægnanti muliere, quo ſcilicet tempore illa, & qua vrgente neceſſitate ſit purganda,*

Demonſtratio. 1. *A quadrageſimo, ad ſeptimum menſem magis hæret fœtus vtero.*

Ergo eo tempore tutius purgantur mulieres.

Conſequens facilè ſequitur: quia timor exhibendi medicamentum in illis eſt propter abortum.

Antecedens probat Gal. fructuum exemplo, qui arbori firmius medio tempore hærent, quàm à principio, & fine.

Secunda concluſio facilè eadem ratione probatur à contrario.

1. adnotatio. Libr. de morbis muliebr. *Quòd mulier grauida, cum ex quacunque cauſa facilè fœtum perdat, maximè abhorret omne medicũ auxilium, & eo magis pharmaci purgantis: nam purgans medicamentum, tum ſua malignitate, & ingratitudine, tum materias ad vrinas, & aluum commouendo, tum partes infernas irritando, tum euacuando, attamen vrgente neceſſitate dandum eſſe monet non omnibus, non quibuſuis temporibus, ſed ſi materia turgeat, & in tempore quàm maximè tuto, vrgentia enim materiæ, morbum acutum ſigni-*

ſignificat, & qui ferè, & fœtum, & matrem, aut ſaltem fœtum ſit necatura; ideo indicatur purgans medicamentum, & ad ſecuritatem, addit à quarto, ad ſeptimum, ſignificans nobis neceſſitatem pharmaci exhibendi ex turgentia materiæ, & cautionem, tum ex turgentia: quia facilius cedit tum ex tempore, quò firmius hæret vtero fœtus.

Quòd multa ſunt, quæ dubitationem faciunt in hac ſententia: primò, an mulier à quarto, ad ſeptimum menſem acuto morbo laborans ſit purganda etiam non turgente materia. Dic quod ſicuti Hipp. illud non negauit: ita aliquando faciendum à nobis, ſed docuit turgentiam illam neceſſario ad id nos compellere, non tamen ſi non turget; ideo ab omni medicamento abſtinendum: ſecundo quæritur, ſi licet purgare ante quartum, & poſt ſeptimum turgenti materia? Dic quod non: diſſimili ratione, ſed hic ad prudentiam Medici confugiendum, poſt ſeptimum etiam turgenti materia purgare plena periculo res eſt: quia ſi ſequitur abortus ad tertium menſem, ſolet emori, & mater, & fœtus; at ante quartum facilè ſequitur abortus, non tamen neceſſario: nam quinto Epid. 50. dierum grauidæ mulieri vxori Antimachi validiſſimum pharmacum datum eſt Elaterium; ex quo mortua eſt vlcerata, & tamen non eſt ſequutus abortus, fortaſſe, quia præoccupauit mors celerrima, attamen turgenti materia etiam ante quartum, purgare licet: Cęterum medicamentum hic non lene intelligere oportet, niſi materia ſit in ventriculo, aut inteſtinis, ſed validum, non tamen ſimplex, ſed correctum, & potius mediocre, quale eſt Diafenicon, vel Electuaria de Pſilio, ſeu de roſarum ſucco: antiquis .n. vtpote validiſſimis vtentibus pharmacis, & ſimplicioribus, non raro medicamenta interficiebant homines, vt patet in muliere prædicta, loco citato, & in Theophilo filio veſicam ſcabroſam habente, qui etiam vi pharmaci extinctus eſt. 2. Adnot.

Quòd vſus medicamenti rarus admodum eſſe debet, & non niſi vrgente neceſſitate exhiberi debet; ideo antiquitas maximè celebrauit Aſclepiadem, referente Plinio, qui Dięta, frictione, vnctione, quiete, cliſtere medebatur, nil violentum naturæ inferens, nec alijs auxilijs ſanitatem ſeruabat in valentibus, quam menſura cibi ad labores, & Hipp. eorum vſum remouet à ſanis, & à debilibus; atque mali habitus hominibus, & ab acutis morbis, maximè in principio, niſi materia turgeret. 3. adnotatio. 2. Aph.

Quòd abortus periculum, vel conſideratur abſolutè, & in vniuerſum, vel in particulari, ratione alicuius morbi: primo modo, ſemper ſecurior eſt fœtus à quarto, ad ſeptimum menſem: at ſecundo modo, vtputa in febre acuta magis reſiſtunt trimeſtres, & quadrimeſtres, quàm maiores: quia magis ferunt inediam in acutis neceſſariam, & minus ſuffocantur à calore febrili; at in vniuerſum debiliores ſunt ante quartum menſem, quia adhuc omnia laxa ſunt, & imbecilla ligamenta; undè facilè decidunt: non 1. Aph. 4. adnotatio. Gal. 3 Epidem. ſect. 3.

excluſit

excluſit autem menſem ſeptimum. Hippocr. ſed illas minus, hoc eſt non ita tuto, ac in antecedentibus purgationem expoſcere à quarto; nam valet eo tempore fœtus licet maturior, & ſi decidat viuere poteſt, neque ita affligit.

APHORISMVS SECVNDVS.

Purgantium medicamentorum vſu, &c.

cõnexio. *CVm in antecedenti docuiſſet Hipp. quo tempore, & qua neceſſitate prægnantem purgare conueniat, nunc arrepta occaſione docet præceptum ad purgationem valde vtile.*

Intentio. Diuiſio. *Duæ proponuntur concluſiones in textu; ideo rectè in duas partes ſecari poteſt: prima docet talia eſſe medicamentis purganda, qualia ſponte prodeuntia iuuant: ſecunda verò ſiſtere ea, quæ ſponte prodeuntia non iuuant.*

Rõ intentionis. *Vt doceat quando in purgatione imitanda ſit natura, & quando corrigenda.*

Prima concluſio per ſe clara eſt; nam Medicus euacuans imitator eſt naturæ rectè operantis: Secunda etiam clarè deducitur; quia cum natura malè operatur: Medicus occurrit, vt corrector; ideo ſi non iuuant ſponte prodeuntia, ſiſtenda ſunt.

1. adnotatio. *Quòd natura in euacuando dupliciter iuuare poteſt, aut ſimpliciter, aut ſecundum quid, primò modo iuuat, cum educit materiam peccantem coctam, & per loca conferentia: ſecundum quid iuuat natura, quoties materiam crudam, ſed turgentem, aut venenoſam à principio educit, tunc etiam ſi tolerantia non ſequatur, neque manifeſta conferentia: quia tamen melius eſt illam materiam extra corpus eſſe, quã intus, non ſiſtenda eſt illa euacuatio; niſi cum adeò vires debilitat; vt de illis neceſſe ſit medicum eſſe ſollicitum; non igitur omnis ſimptomatica vacuatio ſiſti debet; ſed quæ manifeſtè vires lędit; ideò in exantematis febrium malignarum, licet appareant in principio, trahimus, nihilominus ad cutim, quia præſtat materiam extra trahere, quàm intus eſſe. A principio itaque nulla vacuatio bona abſolutè eſſe poteſt; at ſecundum quid bona dici debet; ideo mouente natura materiam turgentem vtiliter, adiuuanda medicamento ſi imperfectè moueat, aut minus: cum non magis, quàm decet mouet, aut quod non decet; ita vt maius malum appareat ex illa operatione, quàm bonum ſiſtenda. Cum verò econtra, adiuuanda, ſic ratione eius, quod magis vrget in colerica paſſione, qua bilis ſurſum, & deorſum ſimptomaticè mouetur, & vomitoria, & aluum ducentia exhibet Hipp. vt tollat morbi cauſam, & nullo pacto talis vacuatio à principio ſiſti debet,*

nec

nec etiam ſiſtenda eſt purgatio, quæ neque lędit, neque iuuat, ſicuti neque adiuuanda.

Quòd hic Aphoriſmus differt à ſecundo, primi libri: quia hic loquitur de materia, quæ eſt in motu; ibi vero in vniuerſum, hic de purgatione ſolum, ibi de omni euacuatione: hic ſiſtendam eſſe vacuationem eorum, quæ prodeuntia non iuuant. Scribit autem ibi ſolùm ex conferentia, ac tolerantia bonam indicat operationem: poteſt autem intelligi Aphoriſmus non modo de materia, quæ actu mouetur, ſed & quieſcente. Verum primus magis eſt accommodatus ad antecedentem Aphoriſmum; in cuius contemplationem hæc ſcripſit. 1. adnotatio.

APHORISMVS TERTIVS.

Si qualia oportet purgari, &c.

HIc Aphoriſmus iam primo libro, ſatis eſt explicatus, quare noſtram hic diligentiam non requirit.

APHORISMVS QVARTVS.

Aeſtatem ſuperiorem potius, &c.

CAeptam de purgatione materiam proſequitur Hipp. & cum in antecedenti de humore peccante indicationem ſumpſiſset, nunc de loco purgationis agit. cõnexio.

Aeſtate ſuperius, hieme inferius purgare conuenit. Intentio.

Vt ſumens ex tempore indicationem oſtendat locum ad purgandum aptum, & perinde tempus non ſolum in purgatione, ſed in omni alio remedio magnifaciendum. Rõ intentionis.

Aeſtate natura ad ſuperiora eleuat humores, hieme ad inferiora. Demonſtratio.

Ergo per ſuperiora Aeſtate, per inferna hieme educere conuenit.

Antecedens probatur, ſiquidem calor ille humores extenuat, & bilem producit, quæ facilè eleuatur, verum hieme frigiditas condenſat, & comprimit; ac pituitam gignit, quæ grauis cum ſit, magis ad inferna vergit.

Quòd ventres ſunt tres, caput, torax, & abdomen, caput humeris terminatur, thorax ſepto tranſuerſo, abdomen dicitur quicquid à coſtis eſt vltimis vſque ad pubem, & pudenda, cæterum verba illa ſuperius & interius, multis modis intelligi poſſunt; primo, vt locum indicet purgationis, vt Aeſtate per vomitum, hieme deiectione purgemus: ſecundo, vt non locum purgationis indicet, ſed doceat Aeſtate purgandum eſſe 1. adnotatio.

magis

magis ſupernum ventrem, hieme autem infernum: tertiò, vt non fiat comparatio æſtatis ad hiemem ex purgationis loco, ſed quod cum in utroque tempore ſupra, & infra purgare liceat, tamen in æſtate magis per ſuperna, in hieme autem per inferna purgandum ſit: manifeſtum autem eſt primum ſenſum eſſe conformem auctoris menti, ſi quidem ipſe ſeipſum exponit in ſexto Aphoriſmo infra dicens, graciles purgandos eſſe per ſuperna, niſi hiems adſit.

2. adnotatio. *Quòd purgatio, vel eſt lenitiua, purgans ſolum humores qui in ventriculo, & propè ipſum reſident, vel eradicatiua ex toto corpore ducens,* Libro de Diæta. *Hipp. loquitur hic de ſecunda, qua totum corpus purgatur; at non de prima: quia vt ſcripſit, per ſex menſes hibernos vomendum: quia pituitæ plus adeſt, & capitis grauitas: in Aeſtate autem commendat cliſteres. At dices, cur bilis in ventriculo non eſt educenda per ſuperna? an quòd timet influxum bilis ad ea loca, ob tempus ipſum, & conſulit ſecuriorem, ac tutiorem modum euacuandi per reuulſionem. Alij ſoluunt contradictionem dicentes, hic de ægris loqui Hipp. loco autem citato de ſanis.*

3. adnotatio. *Quòd in loco purgandi eligendo potiſſimum motus naturæ ſpectari debet; ideo licet hieme, & in ventre inferiori ſit materia, ſi natura ſurſum vergat, ſupra purgare oportet, niſi reuulſionis gratia ad contraria mouere oporteat, ob hanc itaque rationem, non ſemper per ſuperna dixit mouendum in æſtate, ſed vt plurimum, quia ſurſum eleuantur eo tempore omnia. At dices, bilis multa æſtate gignitur, & meatus veſicæ fellis ad duodenum eſt; ergo magis ad inferna mouendum. Dic verum eſſe, at ob* 3. Apho. *hanc rationem fieri æſtate dixit alui profluuia: ſed quia facilè regurgitat ad ventriculum, & flatu ſuperiora petit, & ventriculum bileſcere facit; ideo per ſuperna eſſe ducendum; immo ventriculus ipſe ſua caliditate bilem eo tempore trahit.*

4. adnotatio. *Quòd vomitus antiquis familiaris admodum fuit, neque enim tot ſcripſiſſet Hipp. & in Aphoriſmis, niſi frequenti eſſet in vſu; at noſtro hoc tempore abolcuit, tum quia natura abhorret illam euacuationem, tùm ob conſuetudinem: vndè ſolemus etiam æſtate per inferna purgare, tutior etiam eſt inferna purgatio multis de cauſis; primo, quia humores ſua grauitate magis ad inferna declinant: ſecundo, quia magna vaſa à toto corpore mandantur ad inteſtina, vtpote quæ ad excrementa deſtinauit natura. Adde partes eſſe ignobiliores, & minus ideo offendi; at licet iſta vera ſint, non eſt tamen negandum, vomitum ijs, quibus facilis eſt vtiliſſimum eſſe. tum ad ſanitatem ſeruandam, ſi fiat bis in menſe, tum etiam ad grauiſſimos morbos ſanandos, eos potiſſimum, quibus cruditas origo eſt, quare vix alio remedio longæ febres, & quartanæ ſolui potuerunt.*

APHO-

APHORISMVS QVINTVS.

Sub caniculam, & ante caniculam, &c.

CVm ex æſtiuo tempore in antecedenti ſententia loci purgationis rationem ſumeret; nunc ex eodem rationem aliam conſideratione dignam ad purgationem aſſumit. Cõnexio.

Sub canicula, & ante caniculam difficiles ſunt purgationes. Intentio.

Vt medicus per ea tempora, quoad fieri poteſt, medicamenta purgantia fugiat, nec niſi magna in neceſſitate adhibeat. Rõ intentionis.

Sub cane calidiſſimæ ſunt carnes, & virtus languet: ergo in eo tempore difficiles ſunt purgationes. Antecedens probatur; nam æſtatis illo tempore ob maximum ardorem carnes calidiſſimæ & ſiccæ ſunt; virtus verò languet; quia diſſipatur innatus calor. Conſequens probatur; quia ſicuti in vehementibus febribus, vt ſcripſit Hippocr. cum in illis caro, & venter calidi ſint, medicamentum aſſumunt; & nihil expurgantur; ita per canem calidiſſimum anni tempus; quod fortiſſimis febribus correſpondet, purgantia medicamenta aſſumuntur à carnibus, & bilis ſpargitur; ac non purgatur; hanc ob rationem ſcripſit rarò in acutis morbis medicamento purganti vtendum. Demonſtratio. Lib. de medicamentis purgãtibus. 1. Aphor.

Quòd ortus caniculæ eſt per id tempus; quo ſol Leonem ingreditur; quod ſidus cum ſole Oriens, inflammationem, & ardorem auget; nec ſolum per qualitatem manifeſtam, calefaciendo ſcilicet: ſed per occultam agit in hæc inferiora: ſentiunt enim maria; & elementa, ac animalia illius ortum; canes in rabiem vertuntur; æſtuant maria; aer occultam nocendi qualitatem concipit: igitur ſub ipſo cane, id eſt quo tempore exoritur cum ſole, & ante canem per aliquot dies difficiles dixit purgationes; qui dies ferè quinquaginta numerantur, ortus autem iſtius ſideris ſecundã æſtatis partem facit; & per id temporis Aeteſiæ, venti Boreales flare incipiunt ad temperandum aerem; nam ſol antequam cum cane ſidere oriatur, non habet tantam vim; vt ad polum Arcticum niues diſſoluat; à qua diſſolutione venti illi prodeunt. 1. adnotatio.

Quòd non ſolum caniculæ exortus; ſed omnis ſiderum vehemens mutatio fugienda eſt in magnis remedijs: vnde ſcripſit Hippocr. vitanda eſſe Equinoctia, & ſolſtitia per dies decem ante, & poſt; nec per illa tempora aliquid moliendum; niſi vrgeat neceſſitas; maximè autem ſolſtitia; quia tempora ſunt fortiora; hic verò vno caniculæ exemplo intelligi voluit; & in magnis mutationibus difficile ferri pharmaca; nec ſolum ad tempora, ſed & ad regiones traducenda ſententia; quippe calidiſſimæ, & frigidiſſimæ medicamenta difficilè ferunt; atque vt breuis 2. adnotatio. Lib. de aere & aquã

N. eſt

eſt Hippocr. & ex particularibus colligere ſolet vniuerſalia; non ſolum exemplo medicamentorum purgantium vult nos intelligere; ſed etiam omnia alia magna remedia; vt ſectionem venæ, vſtionem, ſectionem aliamue id generis difficilè ferri in canicula ipſa, & per conſequens in magnis omnibus mutationibus, & calidis.

5. adnotatio. *Quòd licet difficile medicamenta ſint per caniculam, non tamen Hippocr. ideo negauit, & pharmaca per ea tempora, & alia remedia facienda non eſſe, vbi neceſſitas vrget, verum iſta remedia quantum ad temporis conditionem ſpectat (quam quidem magni facere Medicus ſemper debet) difficile ferri: medicamenta igitur eo tempore potius humida, & lenia, qualis eſt caſſia, manna, aut Rabarbarum, & in forma potionis ob ſiccitatem exhibendam, & fortia etiam vbi neceſſitas id poſtulare videatur.*

APHORISMVS SEXTVS.

Graciles, & ad vomendum faciles, &c.

Cõnexio. *Rectè adhæret hæc ſententia ſuperioribus; nam cum de indicatione locutus eſſet, quæ à tempore ſumitur ad locum purgationis eligendum: nunc de illa, quæ ex corporis habitu accipitur illi ſermo eſt.*

Intentio. *Graciles facilè vomentes ſupra purgandi ſunt excepto hyeme.*

Rõ intentionis. *Vt doceat non eſſe ſumendas rationes loci purgationis ſolum ex tempore; ſed etiam ex alijs, ac in primis ex habitu corporis; nec non etiam, vt cognoſcamus magnam eſſe vim temporis ad repugnandam, & coindicandam eam purgationem.*

Demõſtratio. *Vbi natura cum conſuetudine concurrit imitanda eſt, niſi quid magis prohibeat.*

Ergo graciles facilè vomentes ſuprà purgandi ſunt excepto hyeme.

Antecedens declaratur; ſiquidem, ſi natura imitanda eſt, tantò magis cum aſſuetudine coniuncta.

Conſequens probatur: nam gracilis natura multum bilis aceruat, quare ſurſum vergit, igitur eò purgandi: adde ex his ventrem inferiorem extenuatum eſſe, & ad infernas purgationes parum tutum, vt ſcriptum eſt.

2. Aphor. 1. adnotatio. *Quòd graciles ſunt in duplici differentia, quidam ex natura, quidam autem ex morbo. Hippocr. non loquitur niſi de illis, qui ex natura tales ſunt: rurſus gracilis à natura, vel eſt talis cum venarum amplitudine, vel cum venarum gracilitate, primus eſt bilioſus, ſecundus melancolicus. Hippoc. autem de gracilibus bilioſis loquitur, nam melancolicus infrà vehementius purgandos dicit.*

At dices, videntur tales bilioſi habitus etiam facilis vomitionis, cur ergo addit, & facile vomentes? Dic duplicem eſſe bilioſum habitum, vel ad partem ſuperiorem, vel ad ventrem inferiorem; pricocoli ventre ſuperiori facile per ſuperna purgantur, at non qui inferno ventre tales ſunt. 2. Acut.

Quòd ex iſto aphoriſmo colligitur, craſſos eſſe purgandos infra, non tamen valde craſſos; ſed mediocriter carnoſos, vt in ſequenti: nam valde craſſi homines, & ventroſi omnem purgationem difficilè ferunt. Caeterum cum vitandam eſſe hyemem monet in gracilibus, & facilè vomentibus, ſignificauit magnam eſſe eam, quae à tempore ſumitur, indicationem, & ſuperantem tum habitum, tum conſuetudinem; non tamen perinde negat hyeme umquam per ſuperna purgandum: conferenda enim ſunt ad tempus multa, vt ſi facilè vomens, & gracilis laboret per hyemem bilioſo morbo, ſupra purgabitur: at neque etiam ſemper per ſuperna iſti purgandi ſunt etiam extra hyemem, cum inferna purgatio magis aliquando indicari poſſit ob pituitoſum morbum, vel reuulſionem, aut quidpiam aliud. Vtrum autem magis debilitet vomitus, an deiectio, dic vomitum in ipſa operatione magis affligere, at infernam purgationem poſt operationem. 1. adnotatio.

APHORISMVS SEPTIMVS.

Ægrè vomentes, & modicè carnoſos, &c.

H*Ic Aphoriſmus adeò cū ſuperiori cohæret, vt illius pars eſſe videatur, & ex illo conſecutione quadam emanat, tāquàm ex contrario.* Cōnexio.

Aegrè vomentes, & modicè carnoſi infernè purgantur, deuitantes aeſtatem. Intentio.

Vt ex contrario habitu doceat praecognoſcere locum ad purgationem aptum, & praetereà non minorem vim habere repugnandi aeſtiuum tempus deiectioni, quàm hyemale vomitui. Rō intentionis.

Graciles, & facilè vomentes ſupra purgandi ſunt excepto hyeme. Demonſtratio.

Ergo carnoſi mediocriter, & difficilis vomitus infra purgandi, aeſtatem vitando.

Antecedens Aphoriſmus eſt, qui praeceſſit. Conſequens ratione ducta ex contrario facilè colligitur: nam ſicut graciles, quia bilioſi ſuprà purgandi erant, ita craſſi, quia pituitoſi infrà.

Quòd craſſus, & gracilis habitus talis dicitur per comparationem ad mediocre: rurſus vterque tàm gracilis, quàm craſſus, vel ſunt in extremo talis, vel non in extremo; extrema natura ſeu extenuata ſit valde, ſeu craſſa admodum, nullam euacuationem facilè toleret, ideo de his non 1. adnotationis.

 loquitur,

peſſimus morbus eſt, à qua non niſi per per maximam fortunam iberari æger poteſt.

Quòd ſigna eorum, qui parati ſunt ad tabem, ſumuntur ex compoſitio- 1. adnotatio.
*ne, ac temperamento partium, ex ſexu, ætate, & parentibus, quôd igitur
ad temperiem attinet, tabidi obnoxij frigidi ſunt natura, ſeu quod frigidi-
tate poſitiua tales ſint, ſeu priuatiua per calidi innati abſentiam, licet ca-
liditas extranea abundet: habent enim principalia membra debilia, &
præcipuè cor, & pulmonem, id quod ex compoſitione thoracis deducitur,
nam collum habent longum, gracile, guttur eleuatum, anguſtum pectus;
id quod & capitis, & cordis imbecillitatem oſtendit, ſi quidem oſſa, ut ait
Hippocr. ex capite æſtimanda ſunt; nam paruum cerebrum ſequitur par-
uum caput, indè anguſtum collum, & thorax, & ſpina, & reliqua ar-
tuum oßa: cum igitur debile habeant cerebrum, facilè ad fluxiones para-
ti ſunt, & cum cor frigidum habeant, & imbecille, ideò multi flatus
in illis gignuntur, unde pectoris dolores uagi, à quibus rumpuntur venæ:
ſunt etiam tales iracundi, & rixoſi non vera iracundia; ſed potius effœ-
minata ex triſtitia.*

Quod ad reliqua pertinet, dura corpora facilius tabe laborant, quàm 2. adnotatio.
mollia, ea ſcilicet, quæ eſt ex venarum ruptione, ut ſcripſit Hippocr. ſed Primus de morbis.
*mollia magis corripiuntur tabe, quæ ex fluxione fit; ideo uiri magis à ru-
ptura, fœminæ à fluxione periclitantur: fit autem maximè tabes à deci-
motertio, ad trigeſimumquintum annum, quoad regiones attinet, quæ ad* 5 Aph.
Aquilonem uergunt gentes ad tabem ex ruptione promptæ ſunt, eſt ta- Lib. de aere, & aqu.
*men morbus hic hæreditarius, ut ſignum à parentibus, qui tabidi ſint
mortui ualidiſſimum cenſeatur, habent enim eiuſmodi homines ſubſtan-
tiam pulmonis flacidam, & ad putreſcendum paratam.*

*Quòd ſeu legas paratos ad tabem, ſeu actu tales omnes à uomitu ar-
cendi ſunt, tabidis enim morbus exacerbatur, & ulcus in paratis timor ne* 3. adnotatio.
*inducatur. Sed ſicuti ad ſupernas purgationes tabi obnoxij ſunt exce-
pti: ita etiam ad infernam, cum partes etiam infernas debiles habeant,
& in tabdis periculoſus admodum ſit alui fluxus. Sed quid dices Hip-* 7. Aphor.
pocr. qui in tabe helleborum exhibet? dic in uniuerſum prohibendum uomi- 2. de morbis.
*tum, à tabidis; uerum vbi magna eſt fluxio, urgente neceſſitate poſſumus
per ſuperiora purgare, ſi ſint ad uomitum faciles, ſin minus belleboro ni-
gro infra purgandi.*

Quòd ſigna tabis, quædam ſunt antecedentia, quædam iam præſentis 4 adnotatio.
*or biſignificatiua, alij iam conſumati: antecedentia ſunt pectus angu-
ſtia collum longum, & gracile, ſcapulæ altæ caput paruum, tuſſiculæ,
dolores pectoris, flatus, parentes præceſſerunt tales, triſtitia iracun-
dia, ætas adoleſcentiæ. At ſigna præſentis tabis, & pulmonis vlcerati
tuſſis eſt, febricula continua, ſanguinis, aut puris, aut bilis ſputum.*

Conſumatam autem tabem, maxillæ rubor, ſudor, cauitas oculi, & vnguium digitorum, calor, tumores pedum, exappetentia, febris ad noctem exacerbatur, aliaque de quibus dixit in Prognoſt.

APHORISMVS NONVS.

Melancolicos infra, &c.

Cõnexio. *CVm graciles ſint, & bilioſi, & melancolici, & ſupra dictum ſit bilioſos per ſuperna purgandos, nunc de gracilibus melancolicis verba facit explicans qua ratione ſint purgandi.*

Intentio. *Melancolicos infra vehementius purgandi.*

Rõ intentionis. *Vt cognoſcamus ex gracilibus quoſdam per ſuperna, bilioſos nimirum, quoſdam autem per inferna eſſe purgandos ſcilicet melancolicos: ſecundo, vt doceat inter alios humores melancoliam fortius indicare medicamentum; ac perindè bilioſos debilius.*

Diuiſio. *In duas partes poteſt diuidi ſententia, vt in prima concluſionem intentam ponat: in ſecunda verò probationem illius.*

Ratio intentionis. *Melancolia inter alios humores difficilioris eſt eductionis.*

Ergo per inferna vehementius purganda.

Antecedens probatur: quia melancolicus humor ſua natura frigidus, & ſiccus eſt, & pertinax; ideò inter omnes humores ſolet diuturniſſimos De natura humana. *morbos creare, quinimmo vbi medicamento valido quis purgatur ad bilem primo venit bilis ait Hippocr. inde pituita: tertio Melancolia.*

Prima adnotatio. *Quòd melancolicus vel eſt ex natura, vel ex accidente, vel ex morbo, à natura melancolicus multiplex eſt: prima ſpecies dignoſcitur colore nigro, & pilo nigro, & craſſo ſatis denſo, corporis habitus ſiccus, & muſculoſus, & gracilis: ſecunda ſpecies eorum eſt, qui ſunt colore gracili, ſuntque* Lib. de dieta. *vt plurimum ſtupidi, & ignaui, de quibus mentionem fecit Hipp. quod plangunt nemine moleſtante, & oritur ex craſſa pituita, quæ melancolia aliquando dicitur: tertia ſpecies eorum eſt, qui pilo ſunt ruſo, facie etiam ruſa exaduſtione flauæ bilis: quarta ſpecies ex aduſtione ſanguinis, qualis eſt in lentiginoſis. Qui verò ex accidenti ſunt melancolici non ex natura id illis contingit: quia ſanguis, vel bilis aduritur per labores, vigilias, per calidum, & humidum, qui hepate ſunt valdè calido. Melancolici ex morbo ſunt quibus metus, & meſtitia ſine cauſa manifeſta ineſt, de quibus omnibus vera eſt Hipp. ſententia.*

2. adnotatio. *Quòd in ſecunda parte Aphoriſmi, cauſam adducit Hipp cur melancolia debet per inferna vehementius purgari, ducens rationẽ ex bile: quia bilis leuis eſt, & ad ſuperna vergit, melancolia grauis, & ad inferiora.*

Ergo bilis leui medicamento, ſed melancolia, & quicunque craſſus humor,

humor, ſeu pituita, ſeu craſſa bilis per inferna vehementiori medicamẽto purgandi. Attamen dices, melancolici debiles ſunt: Ergo non valdè purgandi; adde bilem atram difficilè cedere medicamentis; ideo potius monent medici per vices purgandam melancoliam: adde quartanarios, & melancolicos maximè per vomitum iuuari. Dic quòd humor melancolicus, quantum in ſe eſt validum requirit medicamentum, & valentius, quàm bilis, ſeu pituita, ſed tamen ob alias rationes fit aliquando, vt moderemur medicamenta, nec omnes melancolici debiles ſunt, cum verò, ob cruditates multa in illis gignatur pituita in ventriculo; ideo vomitus illis quàm maximè confert quartanarijs, habent autem melancolici, ait Hipp. ſanguinem iconoſum; ideo multa abundat pituita videmus tamen in morbis melancolicis, & rebellibus, vt quartanarijs, lienoſis, inſanientibus, melancolicis antimonij vires, & validorum medicamentorum magnam vim habere, dummodo conſtent vires. 6. Epid.

APHORISMVS DECIMVS.

Purgandum in valde acutis, &c.

CVm hactenus Hip. de purgatione multa præcepta tradidiſſet, deſumpta, tum ab anni tempore, conſuetudine, & habitu corporis; nunc de illa agit, quatenus à morbo deſumitur, ac tempore illius. Connexio.

Purgandum in valde acutis, ſi turget materia eodem ipſo die. Intentio.

Vt doceat debere medicum eſſe vigilantiſſimum, in arripienda occaſione; nec differendum remedium, præcipuè in morbis acutis. Rō intentionis.

In duas partes ſecari poteſt præſens ſententia: vt prima contineat cõcluſionem: ſecunda vero rationem illius. Diuiſio.

Differre purgationem turgente materia in ualde acutis malum eſt. Demonſtratio.

Ergo eodem ipſo die purgandum.

Conſequens manifeſtè ſequitur. Antecedens probatur; nam turgens materia: ſtatim vacuanda eſt, antequam rapiatur ad membrum aliquod nobile: præterea circa principia, & fines mouendum, non in vigore: addè materiam turgentem, vt plurimum non indigere præparatione, cum tenuis ſit, & in motu.

Quòd materia turgens dupliciter intelligitur, aut cum hinc inde mouetur, non habens determinatum locum in corpore, aut turgens dicitur, quia mouetur ad aliquam partem ad faciendam inflammationem, antequam firmetur; prima turgentia indicat purgationem eſſe faciendam; ſecunda vero ſanguinis emiſſionem; ideo Aphoriſmus non ſolum ad pharmaciã, ſed ad Chirurgiã inſcribitur, nõ eſt aũt procraſtinãdũ remediũ, ſed eodẽ die, immo eadẽ hora, in ualdè acutis, q celerrimè præoccupãt hominẽ.

2 adnotatio. *Quòd ſcripſit in valde acutis, tum quia in his materia, ut plurimum turget, tum quia hi minus dilationem ferunt, ſunt autem valdè acuti morbi, qui intra ſeptimum terminantur; medicamenta verò purgantia cum præmeditatione exhibenda in acutis monuit, in quibus etiam rarò competere ſcripſit: quia in febribus fortibus, & magnis purgare non*

1. Aph. 24 *oportet, ſed tutius eſt cliſteribus uti, donec febris demittat: quid uiſcera ardentia trahunt medicamenta, & aſſumunt illa, & diffundunt bilem,*

Libr. de medicamēto purganti *neque purgant: uerum inturgentia materiæ conceduntur: quia ipſamet ad huius expulſionem inuitat, eligenda autem ſunt, quæ minus calida exiſtunt, & correcta, non loquitur autem nunc Hippocr. de medicinis lenitiuis, ut Caſſia, Manna Tamarindi, Viola: at de purgatiuis; nam illa non purgantia rectè dicuntur.*

3 adnotatio. *Quòd morbi ualdè acuti ſunt induplici differentia, quidam ſunt ſine inflammatione interna, quales ſunt acutæ febres, ut cauſon: alij ſunt cum inflammatione, quorum febris non uere morbus, ſed accidens eſt, medicamenta purgantia minus competunt in primis, & minus indicantur; quàm in reliquis; at in ſecundis uenæ ſectio principalis eſt: inde uerò purgatio ſi perſeueret morbus, ſed cum moderatione, ac ſecuritate, ut*

4. Acut. *ſcripſit Hipp. de inflammationibus ſepti tranſuerſi, & hipochondrij.*

4. adnotatio. *Quòd Hippocr. uidetur exhibere medicamentum purgans in acuta febre, ſed ante quartam diem, quare contrariam apparet, eius, quod hic*

4. Acut. *dicitur: Dic illam febrem non eſſe adeò acutam: uel dic non ſupponere*

Loco citato. *turgentem materiam, ut hic: Sed dices cum non turgenti materia Hipp. prohibet purgationem à principio. Dic, quòd aliquando intra quintum diem coctio apparere ſolet, & tum adhibet medicamentum; unde ſcripſit, ſi urinæ craſſæ appareant in primo, & nubuloſæ, purgandum eſſe, non tamen ſi tenues, cæterum materia aliquando ſtatim à principio turget, aliquando paulò poſt quocunque tempore turgeat uacuanda eſt nulla expectata mora, turgens enim materia præter alia habet hoc, ut coctionem, ut plurimum non admittat, quod uel uenenoſa ſit, uel ſeroſa.*

APHORISMVS VNDECIMVS.

Quibus termina adſunt, &c.

cōnexio. *CVm de purgatione iam pluribus ſermonem habuiſſet: nunc caſum proponit, quod ſua natura purgationem expoſcere uidetur, ab eamen læditur.*

Intentio. *Vagus uentris dolor, qui medicamētis non cedit, in hidropē ſiccā finit.*

Rō intentionis. *Vt Medicus à iuuantibus, & lædentibus cognoſcat morbi naturam, & euentum, ac proinde non medicamentis purgantibus amplius excruciemus*

mus hominem,& vt ex hoc cognoſcamus magnam morborum partem alteratione potius,quam euacuatione curari.

Dolores circa umbilicum, & lumbos, qui purgationibus non cedunt intemperiem indicant, flatus gignentem perpetuo. Demonſtratio.

Ergo hidropem ſiccam. Antecedens probatur,quia ſi flatus ille, ſeu dolores,& pituita fierent,medicamentis purgantibus tollerentur; at cum non tolluntur ſignum eſt adeſſe intemperiem alicuius membri ventris inferioris; ventriculi,& inteſtinorum, eamque iam factam, & confirmatam, quæ continuo uoluit alimentum in flatum. Conſequens probatur: quia hidrops ſicca diſpoſitio eſt,qua infernus venter tumet cum intemperie alicuius membri ſubſtrati.

Quòd termina dicuntur dolores inteſtinorum,qui ab humore,& à flatu fieri poſſunt: nec non ex ulcere, cum verò dicit circa umbilicum, & lumbos fieri, ſignificauit potius ex flatu procedere: quia vagus eſt, per id vero,quòd à medicamentis non tollitur,ſignificauit,non ex humore,ſed ex intemperie gigni iam facta,& confirmata,alioquin, aut purganti medicamento, aut diſſoluenti dolor tolli poſſet, dixit autem firmari in hidropem ſiccam,non quòd aliquis hidrops abſolutè ſiccus dici poſſit,ſed quoad timpanitis, de qua nunc intelligit reſpectu aſcitis ſeroſæ ſicca dici pōt. 1. adnotatio.

Quòd per hunc affectum lædi ſolent, vel tenue inteſtinum, vel meſereon, aut hepar, aut lien, ſolent autem ad læſionem unius omnes prædictæ conſentire. Ait Cardanus fieri hanc affectionem ex frigiditate ventriculi cum hepati calido apponitur, & ex acutis præcipuè morbis originem trahit, hidropes autem ex acutis morbis omnes lætales prædixit,& incipere aliquando ex hepate,aliquando autem à lumbis, lumborũ nomine intelligit partes abdominis,lateralis, interiores inquam muſculos lumbales, videtur tamen cauſa timpanitis magis ex lumbis, & inteſtinis eſſe,ſicuti a ſcitis, & hepate. 2. adnotatio. Li. Progn.

Quòd iſta intemperies frigida neceſſario eſt, quia omnis hidrops à cauſa frigida eſt,ſed frigiditas ea vel eſt poſitiua,quia ortum ducit ex frigida cauſa,vel eſt reſpectiuè talis:quia,ſ.per calidi humidi priuationẽ frigida dicitur,licet calore ſicco,& præter naturã abundet;nam calidum uel extinctione emoritur,uel reſolutione:igitur refrigeratis,aut præter naturã calefactis partibus nutritionis corrumpi coctionem eſt neceſſe,& multos continuè flatus procreari,qui dolores eos producant. 3. adnotatio.

Quòd hic morbus curationẽ non admittit:quia ſi non potuit ſanari ulla medicamẽti ope,ſignũ eſt fuiſſe inſuperabilem illius naturam: quare non eſt excruciandus æger medicamentis,& maximè purgãtibus: igitur ſñiam ad prognoſticũ,& dignotionẽ morbi ſcribit hic Hip. ualde utilẽ, cæterum hãc affectionẽ,cũ ex cã calidã ꝑgrediatur,ut plurimũ calidis exacerbatur, curari tamẽ dẽt leui exercitio,et his,q̃ urinã ciẽdi vim habẽt,& aduſtione 4. Adnot.

affecti

affecti loci, verum curati in tempore molienda eſt à principio, antequàm firmetur morbus.

APHORISMVS DVODECIMVS.

Quibus propter leuitatem ventres, &c.

cõnexio. *SVpra Hipp. ad tempus comparauit habitum corporis; ac temperiem, & ſuperiorem eſſe dixit, indicationem, quæ à temperie ſumebatur: nunc ad idem tempus comparat morbum, & indicationem, quæ ex eodem ſumitur de purgationis loco.*

Intentio. *Lienterici hieme per ſuperiora purgandi non ſunt.*

Rõ intentionis. *Vt demonſtret vomitũ in lienteria eſſe præſtans remedium: ſecundo, vt indicationem, quæ à tempore ſumitur, ſuperare eam, quæ à morbo doceat.*

Demonſtratio. 1. *Hieme veriſimile eſt, lienteriam à pituita fieri.*
Ergo per ſuperna non eſt educenda.
Antecedens clarum eſt, ſiquidem pituita per hiemem ſatis viget.
Conſequens probatur: quia ille humor amat infermam purgationem, vt grauis: adde tempus ipſum eam expoſcere.

1. adnotatio. *Quòd incontinentia cibi hic intelligitur, vel lienteria vel diarrea, quæ cum ab intemperie, vel humore fiant, purgatio vbi ex intemperie procedit, non eſt neceſſaria, verum ubi humor acris, aut frigidus in cauſa fluxus eſt, tunc indicatur purgatio, ſeu per ſuperna, ſeu per inferna, ſed quia per hiemem veriſimile eſt à pituita fieri; ideò ſcripſit per inferna ducendum magis non quod etiam vomitu, ſi ex bile fiat, purgare non liceat, vt ſi materia in ventriculo ſit. At dices, videtur indicari magis vomitus per hiemem: quia ſi infernè purgamus ſequemur motum naturæ morboſum. Dic fluxum fluxu curari poſſe, & uomitum uomitu, neque inconuenit per ſimilia curationem fieri.*

2. adnotatio. *Quòd vomitus ex lienteria, ſeu diarrea, vbi materia in ventriculo eſt, maximè conuenit: quia reuellit & euacuat: vnde ſcripſit, in longis inte-*
6. Aphor. *ſtinorum difficultatibus ructum acidum bonum, & vomitum ſoluere morbum, uerum hieme ueriſimile eſt, magis ad inteſtina verti materiã; ideo dicit malum eſſe ſupra purgare, fiunt autem alui fluxus, vt plurimum ob cruditates, quæ humoribus vacuatis ceſſant, ſed & in diſenteria aliquando purgamus, & vomitum inducimus, non ſine magna vtilitate, vt ad illum etiam extendi poſſit ſententia hæc, cæterum per hæc docet Hipp. conditionem temporis eſſe potentiſſimam, ad locum purgationis, ſi quidem lienteria, quæ alioqui per uomitum, curari ſolet hieme tamen id faciendum prohibet.*

3. adnotatio. 2. de morbis.

Quòd vomitus exſiccat uentrem, & aluum ſiſtit, & humectat; ideò in vtraque affectione, tum retentionis, tum nimiæ incontinentiæ eſt remediũ inter alia verò ad ſedandum alui fluxum monet Hipp. ut ſemel in die cibum capiat, & per balneum, frictionem, & exercitium, humor alio conuertatur, ventriculus firmetur, caue tamen, ne Criticum alui fluxum retinere tentes, aut eum, quo ſe natura leuat per ſanitatem; ideo non ſtatim ad ſiſtendam currere oportet, ſed ſinere per unam, uel per alteram diem.

APHORISMVS DECIMVSTERTIVS.

Qui ad helleborum non facile, &c.

Cōnexio. Intentio.

CVm de uomitu multa ſcripſiſſet Hipp. docens quibus, & quando conueniat: nunc de præparatione, quæ uomitum antecedit, uerba facit.

Qui non facilè ad elleborum purgantur eorum corpora prius alimento, & quiete humectanda.

Rō intentionis.

Vt doceat, quid faciendum ſit, ut facilis fiat purgatio; ac perinde humectationem magnam uim habere præparandi corpus; atque elleborum ad uomitum efficax eſſe medicamentum, & præparatione indigere.

Demonſtratio.

Corpora purganda prius fluida facere oportet.

Ergo potaturi elleborum, quiete, & cibo ſunt humectandi.

Antecedens regula eſt, quam uniuerſalem propoſuit libro ſecundo.

Conſequens probatur: quia ſi quæ purgatio indiget præparatione, ea invalido medicamento, quale eſt helleborus, & difficile uomentibus debet fieri.

Cęterum cibus; & quies potiſſimum humectandi uim habent, & humectatis laxas reddit uias, & humores fluidos facit.

1. adnotatio.

Quòd per hanc ſententiam multa docet hic Hippocr. primò oſtendit indicationem, quæ à morbo ſumitur ſuperare aliquando naturam, & conſuetudinem, cum etiam difficilè uomentes aliquando purgare per ſuperna deceat, ſunt autem morbi omnes longi, & rebelles uomitu curandi, & in quibus circa uentriculum multæ cruditates adiacent quales ſunt nephritici, quartanarij, melancolici, qui febribus longis tenentur: qui item ſæuiſſimis uentriculi doloribus afficiuntur, qui ex æruginoſa, aut pertinaci bile fiunt, ſecondo, oſtendit uomitũ apud antiquos in magno fuiſſe uſu. & præcipuè inter alia medicamenta helleborum: unde 6. Epid. iuuenes ueratro purgare docet, qui calculo renum laborant: tertio, ut hoc uno exemplo doceat omne ualidum medicamentum uomitorium: aut etiam dictorum, ubi tamen tempus conceditur, requirere præparationem: quia ſic facilis, & cum tolerantia fit purgatio.

Quòd

2. adnotatio. *Quòd præparatio, cum medicamentum omne validum præcedere debeat, maximè requiritur in vomitu, & ex helleboro; nam propter os uentriculi, conuulſionis imminet periculum, & propter concuſſionem illam ruptiones venarum, quod ſi humectabimus id ipſum prohibet, attamen præparatio, vel eſt humoris, uel corporis, uel medicamenti, humor præparatur, vel attenuatione, uel incraßatione, uel extenſione, uel coctione: corpus maximè per humida, & aperientia, medicamentum, cum corrigitur, corrigitur autem quantitate, ſi moderatè detur, ad miſtionem alterius, quod corrigat, ſic helleborus dat ad dragmã ſemis, et præparatur in raphano per infuſionem in oximelite: helleborum autem vtrumque intelligere poſſumus, ad potiſſimum album: quia hoc utebantur antiqui ad uomitum.*

3. adnotatio. *Quòd cibus dupliciter intelligitur, vel abſolutè talis, qui conuertitur in ſubſtantiam uiuentis, ferè non mutans, uel cibus medicamentoſus qua les ſunt potiones, & ſyrupi, & decocta: utroque modo intelligere, oportet; nam per iura, & carnes humidiores, & per potiones medicas humectare corpus decet, & per ea, quæ pinguia ſunt, quibus per tres, vel quatuor dies utimur, quinimo præparatur corpus cibis omnis generis, ut ſtatim euomantur, ſic enim, licet etiam uomitoria exhibere debilia ante helleborum, vt corpus aſſueſcat, quies autem per accidens humectat: quia motus exſiccat: verum ſexto Epid. addit balneum ad humectandum, prohibent quidam balneum, quod non competat corporibus impuris, qualia ſunt, quæ purgatione indigent, & quia atrahit, ad cutim. Sed intelligũt fomenta, quæ hypochõdrijs adhibent, humectandi vim habentia: uerum cũ Hipp. helleborum ad præſeruationem adhibeat, nil prohibet ipſo etiam balneo vti, dummodo tanta non ſit in corpore repletio, aut putredinis timor, ſed ſi balneum die medicamenti exhiberetur, aut ſtatim poſt ipſum, vtique ſiſtendi vim haberet, ſed ſi per aliquot dies ante adhibeatur humectandi uim habet præcipuam, & laxandi corpora, balneum (inquam) dulcium, & calefactarum aquarum.*

APHORISMVS DECIMVSQVARTVS.

Poto helleboro corpus mouendum, &c.

Cõnexio. *CVm de præparatione, quæ ante potionem hellebori fieri debet in antecedenti egiſſet, nunc de illa, quæ iam ſumpto helleboro facilem faciat purgationem, uerba facit.*

Intentio. *Poto helleboro corpus mouendum potius, quàm ſomno tradendum.*

Rõ intentionis. *Vt doceat non ſolum in uomitu, ſed in omni alia purgatione motum accelerare opus medicamenti, quietem vero impedire.*

Diuiſio. *In duas partes diuidi poteſt ſententia: in prima ponit concluſionem intentam:*

intentam? in ſecunda, illius cauſam.

Nauigatio turbat corpus: ergo motus facit ad facilem Ellebori mutationem. Antecedens probatur, nam experientia conſtat nauigationem turbare corpora, & ad vomitum inducendum magnam habere vim. Conſequens probatur ex vna motus ſpecie ad omnes, & operatione Ellebori ad opus omnis medicamenti. Demonſtratio.

Quòd motus in ratione vniuerſali adiuuat euacuationem multipliciter: primò quia defert medicamentum ad venas: ſecundò quia humores fluxiles reddit: tertiò quia illos calfacit, & fundit: in ratione verò particulari vomitui conducit motus inæqualis, qui ſecundum plures differentias corpus mouent, ſicuti nauigatio, cuna, vectio equo, lectica, curru: deiectioni autem magis progreſſiuus. Ai dices motus ad ſuperficiem deducit humores: ergo impediet purgationem, dic validum motum id efficere, & perſeuerantem non leuem, & breuem, qualis hic percipitur, quies itidem contraria facit, & ſiſtit medicamenti opus, ſicuti autem ſe habet motus ad medicamenti opus; ita vigilia, & ſicuti quies, ita ſomnus: ſomnus enim omnes euacuationes ſiſtet, excepto ſudore, quia virtus animalis per id temporis ſopitur. 1. adnotatio.

Quòd motus facilem facit euacuationem, & præcipuè illam, quæ per vomitum fit, non tamen aſſumpto pharmaco debent moueri, quia educeretur ſine operatione: ideò quieſcendum ſaltem per horam, & quòd pharmacum iam ſuam operationem incipiat, numquam tamen dormiendum, poſt vomitorium pharmacum; ſed poſt deiectorium, conducit aliquando per horam, præcipuè ſi vires ſint infirmæ, & pharmacum validum. Cum itaque homo vomiturus vt calorem ſentit circa ventriculum præter naturam, & ſaliuam multam educit: primò itaque venit pituita, inde verò bilis cum pituita: tertiò pura bilis. Sed contrarium accidit in vomitu nauigantium, quibus bilis primò educitur; indè verò pituita, id quod fieri ſentiendum eſt, quoniam ob validam agitationem, ac timorem, vnde tenuis humor prius ſecernitur, cæterum nauigatio non ſolum commotione illa mouet vomitum; ſed odore ipſius maris. 2. adnotatio.

APHORISMVS DECIMVSQVINTVS.

Cum Elleborum ciere vis, &c.

CVm in antecedenti ſententia doceret motum, & vigiliam facilem reddere euacuationem: contrà verò quietem, & ſomnum nunc ex illa doctrina deducit; quid faciendum ſit, cum opus medicamenti ſiſtere, aut augere intendimus. Cõnexio.

Duplex proponitur concluſio: quarum prima docet augendam purgationem Intentio.

tionem per motum: ſecunda verò ſiſtendum per ſomnum, & quietem:
Diuiſio. vbi id requirat medendi ratio: Ideò in duas partes ſecat ſententia iuſta duas iſtas concluſiones.

Rō intentionis. *Vt doceat, quæ potiſſima ſint auxilia ad augendam; vel minuendam medicamenti vim.*

Demonſtratio. *Motus adiuuat opus medicamenti; ſicuti, & vigilia: ſomnus contra, & quies: ergo quoties augere vis purgationem, motum, & vigiliam impera: quoties minuere, ſomnum, & quietem.*

Antecedens ex Aphoriſmo antecedenti ſatis patet. Conſequens manifeſtè deducitur.

1. adnotatio. *Quòd medicamenti quantitas, ſicuti, & victus, & aliorum remediorum admodum incerta eſt; ideò cum per coniecturam medicus illam aſſequatur, ad morbos, anni tempora, ætates, victus, & alia id generis non poteſt ad vnguem præſcribere laudat tamen Hippocr. medicum, qui ad metam, quàm maximè accedit: hinc fit, vt etiam ob fortunam, & occaſionem medicamentum etiã optima ratione datum, magis purget, quàm decet, aliquando nihil, aliquando minus, & propterea medicus in promptu habere debet remedia ad ciendam purgationẽ, vbi minor eſt, quàm decet, & ſiſtendam, ſi metas excedat: inter omnia verò remedia, & prompta, & paratu facilia, & ſecura, elegit motum, & ſomnum, motum ad ciendum, ſomnum ad ſiſtendum, correſpondet autem vigilia motui, & quies ſomno: ſed Hippocr. in Aphoriſmo non oppoſuit motui quietem; ſed ſomno, quia ſomnus maiorem habet vim ſiſtendi medicamentum, quàm quies.*

2. adnotatio. 4. Acut. *Quòd Hippoc. ſolebat ſtatim poſt medicamenti potionem, quod validum eſſet, vt in potione Hellebori, & Peplij exhibere ptiſanæ ſuccum, quo medicamenti reliquiæ, quæ in Eſofago ſunt ad fundum ventriculi pelluntur & acredo medicamenti obtundatur, in media autem purgatione nil exhibendum: ſolent autem medici iam confecta purgatione ius exhibere aliquod, quod non eſt improbandum, dummodo in media purgatione non fiat.*

APHORISMVS DECIMVSSEXTVS.

Helleborus periculoſus ſanas carnes, &c.

Cõnexio. *CVm de purgatione, quæ per Helleborũ fit multa hactenus docuiſſet; nunc medicum cautum facit periculi, quod in eo eſt.*

Intentio. *Helleborus periculoſus eſt ſanas carnes habentibus.*

Rō intentionis. *Vt doceat exemplo Hellebori cauendum omne pharmacum ab his, qui ſanas habent carnes: ſecundo vt peculiariter vitium, quod in helleboro*

eſt

eſt manifeſtet conuulſionem gignendi, quare non niſi cautè, & cum præmeditatione eſſe exhibendum tale pharmacum.

Diuiſio.

In duas partes ſecari poteſt præſens ſententia: vt in prima concluſionem intentam proponat, in ſecunda verò cauſam illius adducat.

Demonſtratio.

Helleborus facilè conuulſionem educere aptum eſt, ſanas carnes habentibus: ergo periculoſus.

5. Aphor.

Antecedēs probatur (nam cōſequens euidens eſt, ſi quidem lethalem eam eſſe ſcripſit) quoniā Helleborus vehementer purgat; ideo communi ratione ob diſſolutionem eſt periculoſus. Secundò peculiari ratione; quia magis, quàm reliqua pharmaca commouet os ventriculi, adde ꝙ vomitu purgat. ſed cum alibi conuulſorium ſit pharmacum, tamen ſanas carnes habentibus præcipuè tale fuerit: nam ſanæ carnes non cedunt medicamento, qua ratione in vniuerſum ſcriptum eſt, ſana corpora difficilè ferre purgationes.

1. adnotatio.

Quòd medicamentum multipliciter inferre poteſt conuulſionem, aut nimis expurgando, vel adducendo prauos humores ad ventriculum, qui mordendi vim habeant, aut ſua mala qualitate, quibus omnibus modis Helleborus conuulſionem minatur: ſolet enim ea conuulſio ſimilis eſſe ſtrangulationi, & peculiaris eſt Hellebori, quia ſtrangulat, qua ratione Seſamoidem miſcebat Hippoc. adde atram bilem expurgare, quæ difficilè cedit medicamentis inter cæteros humores.

2. adnotatio.

Quòd dixit, ſanas carnes habentibus: quia in his maius eſt conuulſionis periculum. At dices, ſi ſanas carnes habent, non indigent Helleboro. Dic vel quòd eo non indigent, ideò tales Helleboro purgandos non eſſe, vel quòd ſunt quædam affectiones, quæ cum carnium ſanitate cum ſint; tamen indigent Helleboro, vt podagra, renū morbi, inſania, morbus ventriculi: ſanum enim corpus ſimpliciter, nulla ratione pharmacum poſtulat, at ſi ſanum ſit carnibus, ægrum autē ſecundum aliquod peculiare membrum, nihil prohibet medicamento indigere, hic verò cum das helleborum ipſum, quoad fieri poteſt corrigito, & corpus prius præparato, ea ratione, qua ſupra dictum eſt, & ſic vitabis conuulſionem. Sed dices ſi periculoſus eſt Helleborus, & conuulſiuus, cur non vtimur aliis medicamentis; quæ, etſi validè per vomitum purgant, non tamen eam habent conuellendi vim, quā Helleborus? Dic fuiſſe id medicamentum antiquis vſitatum, & ſæpè cum iuuamento notabili datum: intelligit autem album Helleborum: habemus nunc Antimonium præparatum; quod ad grana quinque in zuccaro roſaceo exhibemus, & pertinaces morbos ad miraculum vſque curamus.

APHORISMVS DECIMVSSEPTIMVS.

Non ſebricitanti cibi faſtidium, &c.

Cõnexio. *QVibus notis vomitorium medicamentum dare, & vitare opportunum eſſet, cum in ſuperioribus docuiſſet, adnotando tempus habitum, & conſuetudinem, nunc ſymptomata adducit, quæ ſupernam purgationem indicant.*

Intentio. *Cibi faſtidium, cordis dolor, vertigo, tenebricoſa oris amaritudo ſine febre, vomitum indicant.*

Rõ intentionis. *Vt per iſta ſigna cognoſcat medicus bilẽ in ventriculo eſſe collectam, & ideò purgandum vomitu, antequàm morbum aliquem faciat grauiorem.*

Demonſtratio. *Quibus prædicta adſunt ſymptomata, bilis in ventriculo infeſtat: ergo vomitu educenda.*

Antecedens probatur: bilis enim fundendo humores, & intemperie ſua faſtidium inducit, ſua acrimonia mordet os ventriculi, quod cor appellat. Ab eadem bile exuſta niger eleuatur humor, qui vertiginem inducit, ſitis quoque, humor familiaris, eſt acris, amaritudo, quòd amara ſit.

Conſequens probatur, quia cum bilis eſt in ventriculo, & ratione loci, & ratione humoris facile per vomitum educitur.

1. adnotatio. *Quòd verbum illud (ſine febre) additum eſt, aut quia in febre non neceſſario indicant purgationem, quod talia ſine abundantia bilis in ventriculo fieri poſſint, vt ſi biliosus (ait Valeſius) febri ex ira corripiatur, aut quia in febre iſta ſunt ſigna critica, & futurum vomitum indicant naturæ relinquendum, aut quia de præcautione hic loquatur in ſanis, at vbi ſine febre iſta accidunt tunc neceſſariò vomitus indicatur, plerumque etiam & cum febre, ſi adſint id ipſum faciendum. Num verò omnia iſta ſigna ſimul intelligat, an ſeparatim ſufficiat alterum. Dic omnia eſſe accipienda, quia ſingulum non ſufficit: nam cibi faſtidium, & amaritudo oris ex calore febrili fieri poſſunt, at verò vertigo ex debilitate capitis, morbus autem oris ventriculi non tantum bilem; ſed vaporem etiam ex infernis partibus eleuatum pro cauſa habere poteſt.*

2. adnotatio. *Quòd os ventriculi antiquis cor appellabatur, idque duplici ratione, tum ob ſenſum exactiſſimum propter maximos, quos in ſe neruos admittit: vnde à Gal. aliquando tactus inſtrumentum iudicatur: ſecundò cor dicitur, quia facilè illius affectiones cordi communicantur pluſquàm alterius membri, quare ſyncopes facili negotio per dolores illius contingunt, & aliquando in Epilepſiam, & conuulſionem deducunt, nec ſolum cordi,*

ti,cui maximè affine eſt os ventriculi; ſed cerebro citiſſimè veſica malè impartitur,cæterum vbi prædicta ſymptomata adſunt,facili negotio,aut penna immiſſa, aut oxymelite,aliquouè leui vomitorio adduci poteſt, cedit enim bilis,quæ in ventriculo eſt facilè.

APHORISMVS XVIII.

Supra ſeptum tranſuerſum dolores,&c.

CVm in antecedenti ſententia indicationem ſumpſiſſet ad ſupernam purgationem ex ſymptomatibus,nunc dolorem,(ſymptoma ſummum) aſſumens demōſtrat quādo ſupra,& quādo infra purgare cōueniat. Cōnexio.

Duæ proponuntur concluſiones, iuſta quas in duas partes iſta ſententia diuidi poteſt: prima dicit dolores ſupra ſeptum tranſuerſum,qui purgationem poſtulant:vomitum indicare,qui verò infra ſunt,per inferna. Intentio.

Vt ſumpta à loco indicatione, & à motu humoris, vniuerſale deſcribat præceptum ad vomitum,ſeu deiectionem. Rō intentionis.

Dolores ſupra ſeptum tranſuerſum ſurſum ad os vergunt, infra ſeptum ad inteſtina: ergo illi ſupra, hi infra purgandi ſunt. Antecedens patet: ſiquidem qui ſupra ſeptum ſunt, ori ſunt propinquiores, qui vero infra, inteſtinis,cum medium obtineat ſeptum. Conſequens probat: quia facilior eſt purgatio ob loci viciniam,& motum naturæ,quæ enim ad os ventriculi vergunt,facilè vomitu, quæ autem ad fundum, deiectione purgantur, quantum in ratione loci eſt. Demonſtratio.

Quòd ſeptum tranſuerſum, ſeu diaphragma ſimplex eſt muſculus, & rotundus,qui cartilagineis coſtarum notharum extremis annectitur, & dorſo adnaſcitur,dirimit autem cordis, & pulmonis regionem ab infernis membris,quaſi interſectum,inde ſeptum dictum eſt, vſus eius Ariſt. eſt,vt ſeiungat alimenti alitus ab animæ ſede. Platonicum, vt ſeparet vitalem facultatem ab animali: At præcipuus eius vſus eſt ad reſpirationem,cuius præcipuum eſt inſtrumentum: ſecundarius autem ad excrementorum,& fœtus expulſionem, una cum abdominis muſculis,diſtendit autem pectus,quoties ad ſua contrahitur principia ſeptum, unde ratione uacui impletur pulmo, & fit inſpiratio, cum autem ociatur, ſubſidet ad ſpinam, & facit exſpirationem. 1. adnotatio.

Quòd non omnes dolores ſupra,uel infra ſeptum indigent purgatione, non enim inflammatorij dolores, & fixi ſupra ſeptum uomitum ulla ratione indicant; ſed potius miſſionem ſanguinis,ſed neque quæ infra, ſunt eiuſdem rationis, ſed per dolores intelligit morſus,anxietates, cibi faſtidia, moleſtias, quæ vagantur, nec unum habent ſignatum locum, ideò addidit partem illam. Qui purgatione indigent. 2. adnotatio.

O Quòd

3. Adnotatio. Quòd loca ſupra ſeptum tranſuerſum non ſolum, quæ re uera ſupra ipſum, ſed propè ipſum, & quo etiam infra ſunt, dummodò non longè diſtent intelligere oportet, ſic igitur os ventriculi, & gibba hepatis pars immo & renes aliquando inter partes ſuperiores numerantur, re uera tamen os ventriculi ſupra ſeptum dici debet, ſicuti hepar, lien, renes, inteſtina, infra, numquid autem capitis dolores purgatione indigeant per ſuperna, dubitant nonnulli: nam vomitus videtur magis caput lædere concutiens, quàm vlla ratione iuuare. Niſi dicas in doloribus capitis, qui per conſenſum fiunt ex ventriculo, conuenire vomitum, non tamen in his, qui per eſſentiam in eo ſunt, conuenit enim in talibus potius externa purgatio, & cliſteres, Hippoc. tamen indicationem ſumit à loci vicinia, cum purganda eſt materia, quia ſi quid prohibeat, vel magis vrgeat reuulſio per contraria facienda purgatio eſt.

APHORISMVS XIX.

Qui potione medica, &c.

Cōnexio. Cvm de purgationem multa hactenus dixiſſet, modò præceptum tradit, per quod opus medicamenti cognoſcitur.

Intentio. Qui ab aſſumpto medicamento non ſitiunt, purgandi finis non fit, donec ſitierint.

Rō intentionis. Vt demonſtret terminum purgationis eſſe ſitim, cum prius non extiterit, & perinde ſitim quæ medicamenti opus ſequitur non eſſe curandam: paulò poſt deſituram: & tertio vt ex ſiti dignoſcentes, quantum robur habeat medicamentum, uel augere, uel ſiſtere poſſimus iuxta id quod ſupra dictum eſt.

Demonſtratio. Facta purgatione humidum uentriculi iam abſumitur: ergo ſitis finis eſt medicamenti, ſi prius non extitit. Antecedens probatur, quia dum humores purgandi in ventriculo ſunt, ſitis non fit, poſtquam autem euacuati ſunt, reliquiæ medicamenti trahunt humidum roridum ipſius ventriculi. Conſequens probatur, quia natura ad defectum radicalis humidi fames ſentitur, ad defectum autem humidi roridi ſitis.

1. adnotatio. Quòd duplicem ſenſum habet aphoriſmus, primus, quòd qui, dum purgātur, non ſitiunt, illis non ceſſet purgatio, donec ſitiant: ſecundus verò, quòd cum ſitiunt, ſi non prius ſitierant finis eſt purgationis, cæterum hic ſecūdus ſenſus aptior eſt, quia primus non ſemper videtur verus, nec enim neceſſe eſt ſitire à medicamento hominem, vt ſi minus purget, quàm decet, tunc adiuuari debet purgatio donec ſitiant: verum etiam primus ſenſus verus eſt; quòd purgandi finis ideſt perfecta purgatio non eſt donec ſitiant, non quòd neceſſe ſit ſitire ad opus medicamenti.

Quòd.

Quòd licet ſitis aduenire poſſit ante opus medicamenti, aut à qualitate pharmaci, aut labore ventriculi, aut humoris calidi, qui ad eum confluit, non tamen ſententia hæc patitur difficultatem, ita vt intelligenda ſit ſolum de pituitoſis: nam Hippoc. per ea verba, non ſitiunt, iſta genera ſitis aufert. At dices, ſi ſitis ſequitur humidi conſumptionem ipſius ventriculi, cur à medicamento non excitatur fames, ſicut ſitis? Dic, quia ad impediendam famem concurrit calor ventriculi, & horror ex medicamento, & prauis humoribus. Sed rurſus dices, ſi ſitis ſequitur abſumptionem roridi humidi facilius diſſipabilis, quàm radicalis, vnde fames, cur non prius ſitimus communiter, quàm fameſcamus? Dic, quia aquei humidi maior eſt copia, quàm radicalis: adde naturam modo hoc, modo illud humidum trahere pro neceſſitate: inter cibandum verò ſitimus ob raſionem, quam facit in ventriculo cibus. 2. adnotatio.

Quòd finis vacuationis dignoſcitur leui ſiti, depreſſione totius corporis, & vaſorum concidentia, laſſitudo, ſomnus item ſolet ſequi perfectam euacuationem, cæterum perfectam euacuationem ſitis ſequi ſolet, niſi quid impediat ventriculum humectans, ſic dicebat Hippocr. in ardentibus febribus, non pro ratione ſiticuloſos eſſe, quibus ſiccæ tuſſes accidunt, at verò ſuperfluam purgationem ſitis magna ſequi ſolet, & ſuper purgatio alterius humoris non congeniti, & perindè defectiones, denique etiam conuulſiones, quas læthales ſcripſit non raro eſſe. 3. adnotatio.

APHORISMVS XX.

Si citra febrem tormina, &c.

CVm decimoſeptimo Aphoriſmo adeò hic cohæret, vt illius pars eſſe videatur, docet enim, quæ accidentia indicent infernam purgationem, ſicuti in eo docuit, quæ ſupernam indicabant; rurſus dolores infra ſeptum, infernam expoſcere dixit purgationem, ideò hic quaſi illius exemplum habetur. Cõnexio.

Non febricitanti tormina, genuum grauitas, dolor lumborum infernam indicant vacuationem. Intentio.

Vt hoc vno exemplo doceat, qui dolores infra ſeptum purgationem poſtulent, & ſigna vergentis ad inferna materiæ, præſcribat. Rõ intentionis.

Prædicta ſymptomata motum ad inferna ſignificant, & humorum craſſorum: ergo infernam purgationem indicant. Antecedens probatur: quia tormina, manifeſtè indicant moueri ad inferna materiam, dolor lũborum, & genuum non modo id, ſed craſſos humores eſſe in cauſa. Conſequens deducit: quia quò vergit natura, eò ducere oportet per conferentia loca: adde humorum craſſitiem ſua natura deorſum vergere, ideò etiam magis infra ſeptum, & ad inteſtina. Demõſtratio.

1. adnotatio. *Quòd tum locus, quia infra ſeptum eſt, tum humor quia grauis, tum motus qui deorſum eſt, omniaq; indicant infernam purgationem, verum tormen non ſufficit ſolum, quia ex flatu aut vrina fieri poteſt: ſed cum dolent partes ad lumbos, ſeu anteriores, quibus adiacent inteſtina, ſeu poſteriores, quibus magna vena, iam materia ſignificatur, at uerò grauitas genuum non ſolum in venis magnis, ſed iam in paruis, & extra venas fundi materiam ſignificat, igitur ſi talia adſint, pharmaco deorſum uergente purgandum, tum quia ita loci vicinitas & communitas poſtulat, tũ præſeruationis gratia; quia, vel materia in articulos decũbens faciet artritidem, & podagram, vel ſurſum recurrens, peſſimos morbos creabit.*

2. adnotatio. *Quòd iſti dolores, vel adueniunt cum febre, vel ſine febre, ſi cum febre, vel ſymptomaticè, vel criticè. Hippoc. dixit ſine febre: primò quia certior eſt indicatio humorum peccantium, quàm cum febre, quia leuis cauſa cum febre talia poteſt edere ſymptomata: rurſus ſine febre, quia dolores ſi ſymptomaticè fiant, ut in acceſſione, non eam indicant euacuationem: rurſus ſine febre, quia dolores infra ſeptum, & lumborum per febres requirunt etiam ſanguinis miſſionem, præterea cum criticè, talia appareant ſymptomata, natura ſine artis opè poteſt aluum mouere, at cum febre etiam non rarò, ſi talia adſint eandem indicant purgationem, qua poterimus abſceſſus ad articulos deuiare, cum affuturi ſunt.*

3. adnotatio. *Quòd Hippocondrij dolores cum febre purgationem non indicant; ſed potius ſanguinis miſſionem, quæ in ipſis principalis eſt, quia cum inflammatione ſunt, quòd ſi vergente ad hypocondrium lateris dolore, purgat helleboro, aut peplio, ſupponit ibi non ueram inflammationem, aut uagum dolorem, at ſi fixus fuerit, nequaquam: habemus ergo rectam rationem præſeruandi hominem à podagra, & humoris educendi ſuperabundantis ad partes inferiores: at ſine tormine menſium futurorum indicia ſigna ſunt.*

APHORISMVS XXI.

Excrementa alui nigra, &c.

Cõnexio. *CVm de inferna alui purgatione multa hactenus dixiſſet, nunc de alui excrementis ſermonem inſtituit, quæ magni ſunt ponderis, & conſiderationis, ſeu ſponte veniant, ſeu ope medicamenti educantur.*

Intentio. *Duæ proponuntur in tex. concluſiones, quarum prima docet excrementa alui nigra, ſanguini atro ſimilia ſponte exuntia peſſima eſſe: ſecũda uerò minus malũ ſi à medicamento educantur fore excremẽta ſtatuit.*

Rõ intentionis. *Vt per hoc ſignum mors prædici poſſit à medico, tamquam rarum, & admirabile.*

In duas partes ſecatur aphoriſmus, iuxta duas allatas concluſiones. Diuiſio.
Humor, qui inſuperabilem affectionẽ oſtendit in corpore peſſimus eſt. Demonſtratio. 1.
Sed talis eſt nigra deiectio ſponte ueniens, ſeu cum febre, ſeu extra illam: ergo peſſima.

Maior certa eſt. Minor probatur: quia talis humor inſuperabilis eſt, cum ſit uenenũ, uel naturam illius habeat, aut ſit tanquam cinis corporis noſtri: at uero cum prodit per aliquot tempus (id enim ſignificauit uerbum, exeunte) iam peſsima in corpore affectio ſignificatur.

Humor niger ſi medicamento educatur, minus uitroſus eſt, quam ſi ſponte prodeat. Demõſtratio. 2.

Ergo melius eſt educi à medicamẽto. Antecedens probatur, quia melius eſt ſemper, mala à cauſa externa progredi, quàm ècontra. Secundo, quia ſi à medicamento trahitur, ſignum eſt quòd humor ille non tam malignus eſt, quin à corpore retineri poſſit. Contra tamen, ſi ſponte prodit, ſignum eſt iam naturam ſuperari.

Quòd iſta deiectio diſtinguenda eſt à nigro ſanguine, qui aliquando ex iecore, & liene, aut hæmorrhoidibus prodit, quia ſanguis niger congelatur, & non ſplendet: at hæc deiectio liquida eſt, neq; cõgelatur, & ſplendet, & eſt quaſi atramentũ, quo ſcribimus, ac terram radit, & aĩalia illum fugiunt. Gal. addit iſtã deiectionẽ aliquando non eſſe malam, ut ſi poſt coctionem fiat, aut criticè pellatur: quare addit, ſi à principio fiat peſſimam eſſe: unde uidemus in Epid. cũ alui fęcibus, et urinis nigris aliquos euaſiſſe: ſed quod magis eſt à principio: nã qui in Dealcis horto habitabat, tertia die deiecit nigra, & vrinas nigras habuit, & per plures dies perſeuerabant; attamen ſanatus eſt. Dic ſiquando cum nigra deiectione, qualis ſanguis niger eſt, quiſpiam ſanetur, id uirium robori tribuendum eſſe; ſed id cum ſit magna cũ difficultate, & difficilem indicationem fieri. 1. adnotatio.

Quòd addit, ſeu prodeat cum febre, ſeu ſine febre: uidetur autẽ peius ſi ſine febre appareat; nam ſiue humor, uel iecoris, uel lienis corruptionem indicare ſolet, nec. n. generari poſſe uidetur, niſi in calidiſſimis locis, corde. ſ. iecore, aut liene, quia per magnam fit aſſationem, & eſt ſpecies atræ bilis, ea uero in corde cum gignitur, furores, in hepate cancros, carcinomata elefantiaſim, in liene uerò melancolias, & quartanas, nondum tamen ad illum gradum malignitatis peruenit, ad quem cum educitur extra corpus. Sed nota quod debẽt exire per aliquot dies, & plures, alioqui ſi ſemel excernatur, critice fieri põt: at cũ ſequitur talis deiectio, prauum uenenum in corpore eſſe ſignificatur: quare in peſte. & febribus malignis tales excretiones uiſuntur. Gignitur autẽ talis humor aliquando ex aſſatione ualida ꝑ calidos, & acres cibos, ut ſunt porri, cepę, allia, aromata, magna uina, ualida exercitia, aĩ mœrores. Aliquãdo uerò per peſtiferas febres: aliquãdo pinguedo ipſa aduritur & nigredinẽ illã acquirit. 2. adnotatio.

3. adnotatio. *Quòd in prima cõcluſione addidit, & quanto ipſorũ colores fuerint peiores, fuerint plures, eò deteriores: quia cũ aliꝗ ſint deiectiones peſſimꝗ, ut liuidꝗ, uel ꝗruginoſæ, ſi iſti colores exeãt, per quos uariegata apparet, hoc peius eſt, quia plures affectiones ſignificant peſſimas, aut uariam putredinem. Verum dices, ſi Hipp. uariegatam deiectionem mortalem quidem, ſed diuturniorem poſuit, quàm ſinceram, nigram, aut liuidam in Progn. cur hic dicit peiora? Dic, quod ſunt peiora ſaltem ad ſenſum, quia certior eſt ad mortẽ uariegata, quàm ſincera, non quod, ut ait Cardanus talis deiectio extra etiam expelli non poſſit, ut nigra; ſed quia minus erramus circa illas, quia difficile eſt deiectionẽ nigram diſtinguere à ſanguine nigro: at uariegata deiectio facilè dignoſcitur, liuida tamen deiectio non minus lꝗthalis, quã nigra cenſenda eſt: immo lꝗthalior, quia maiorem putredinem ſignificare uidetur; ideo etiam ſi ſimul fuerit nigra, & liuida peius eſt, quàm ſi nigra tantum; non tamen omnis uariegata abſolutè peior eſt, quàm ſincera, ut ꝗruginoſa, & pinguis, aut ramentoſa. Quòd uerò addit melius eſſe educi à medicamento; ſi plures fuerint colores, intellige boni, aut etiam ſi plures fuerint, dummodo nõ ꝗquꝗ peſſimi: quia plures affectiones non peſſimꝗ ſi cum una peſſima conferantur, ſuperantur ab illa in malignitate.*

APHORISMVS XXII.

Morbis quibuſuis incipientibus, &c.

Cõnexio. *CVm de nigris deiectionibus in antecedenti dixiſſet, docens, quid ex illis ſperandum ſit, nunc de humore nigro ſermonem habet, quòd uel deiectione, uel uomitu in principijs morborum excernitur.*

Intentio. *In principio morbi atra bilis ſupra, infrauè ſi exierit, mortale.*

Rõ intentionis. *Vt hoc uno ſigno mors prꝗnuncietur, & gloſſet antecedentem aphoriſmum maximè intelligendum eſſe de deiectionibus nigris, quꝗ in principio morbi accidunt.*

Demonſtratio. *Atra bilis in principio exiens morbum inſuperabilem oſtendit: ergo mortalis. Antecedens probatur; quoniam atra bilis, ſeu ſupra, ſeu infra exeat, in principio nõ poteſt eſſe critica uacuatio, quia à principio: ergo mala: ſed peſſima, quia humoris qualitas, materiam indicat inſuperabilẽ, quꝗ uel calidi innati extinctionem, uel aſſationem extremã, uel uenenũ in corpore genitum indicat, unde aliquod uiſcus eſſe corruptũ colligitur.*

1. adnotatio. *Quòd atræ bilis nomine uarios humoris nigri ſpecies intelligimus. Nã uel ſignificat melancolicum ſanguinem, qui in uenis reperitur, qui ſiccus melancolicus propriè dicitur, uel ſignificat fecem ſanguinis exuperantem; quꝗ à liene attrahitur ex iecore, uel ſignificat omnẽ aſſatum, & exu-*

ſtum

ſtum humorem. Cæterum humor, qui aſſatur, uel eſt bilis, quæ caleſcens uitellina fit, inde magis calens æruginoſa: adhuc cum magis aſſatur Iſatodes fit, & deniq; atra bilis. Vel aſſatur ſanguinis fex, quę à liene attrahitur: aut denique ſalſa pituita, atque hi tres humores cum exaſſantur proprie atram bilem faciunt, reliqui duo melăcholiæ nomine ſunt inſigniti, & ſanguis, qui in uenis eſt, & qui a liene attrahitur. Quòd ad ueram prædictionẽ, diſtinguere oportet ſanguinem nigrum ab atra bile: ſecundo, uidere ne ex cauſa aliqua externa progrediatur, & euidenti, ut ſi ex nigri alimenti, aut corrupti aſſumptione fiat: tertio, ut aliquantiſper duret: eſt autem caſus hic admodum rarus, præſertim in noſtris regionibus: frequẽtior tamen in Aegypto, & calidioribus, quia ex uehementi calore ſolet habere originem hic humor, unde etiam in regionibus Hippoc. non rarò proueniſſe credendũ eſt, cum tot aphoriſmos de eo ſcripſerit. Cardanus ait ſemel ſe uidiſſe hunc caſum in bibliopola, qui quarta die mortuus eſt. Braſauola ait, ſe ſanaſſe hoĩem, qui in hoc ſymptoma inciderat, non niſi poſt ſex menſes, & extrema paſſus erat, at robuſtæ ualde naturæ. Eſt autem tantò peior uomitus, quàm deiectio atrę bilis, quanto magis præter naturam eſt. 2. adnotatio.

Quòd iſte humor niger, uel per uomitum tantũ, uel per deiectionem, uel utroque modo excerni poteſt, & quocumque modo id fiat, mortale eſt, ſi in principio morbi accidat. Narrauit mihi uir fide dignus, & amicus, tres fatres fuiſſe ſub Genuẽſi dominio, quorũ maiorẽ, cum ad 60. perueniſſet annũ, atræ bilis uomitus, & deiectio corripuit, tãta, ut paucis diebus mortuus ſit: ſecundus, cum ad eam ætatem peruenit eodem morbo correptus, mortuus eſt: tertius uerò ad illum terminum accedens, & incidens, iam de morte ſecurus eam ſibi prędixerat; ſed incidit in eundem morbum, ille tamen liberatus eſt. 3. adnotatio.

Quòd nõ ſolũ atræ bilis uomitus, & deiectio in principio morbi lethalis eſt, ſed & ſi liuidus fuerit humor, aut ęruginoſus, & deniq; omnis ſincerus humor ualde malus eſt habendus, quia ferè cum ulcerationibus fit uiſcerum, & ideò ramentoſi ſolent eſſe uomitus, & deiectiones cum fruſtulis carniũ, qua ratione Paulus Baſſiadonius nobilis Genuenſis, et Doctor egregius ex colerica paſſione intra nouem horas mortuus eſt: erãt aũt excreta ſupra, et infra ualdè flaua, et cũ ramentis & fruſtulis carniũ. 4 adnotatio.

APHORISMVS XXIII.

Quibus per morbos acutos, &c.

CVm de nigro humore, qui uel per deiectionem, uel per uomitum educitur in duobus antecedentibus Aphoriſmis dixiſſet, aſſerens eum quocumque modo exeat eſſe pernitioſum: nunc illum ruſus accipit in Cõnexio.

examen non ſine cauſa ualde utili.

Intentio. *Valde extenuatis per morbos, atrabilis ueluti ſanguis niger ſubiens, mortem altera die ſignificat.*

Rô intentionis. *Vt per hoc ſignum non ſolũ mortem prędicere futuram medicus poſſit, ſed etiam illius tempus propinquum aduenire.*

Demonſtratio. *Nigri humoris deiectio mortem ſignificat: Ergo in ualde extenuatis à morbis aut uulneribus, propinquam mortem ſignificabit.*

Antecedens iam in duobus antecedentibus aphoriſmis poſitum eſt: conſequens probatur, quia cum talis humor affectionem indicet inſuperabilem, mortem ſignificat: at quia extenuatis omnibus ob prædictas cauſas uires ſunt imbecilles, ideò citiſſime adueniet & intra tres dies.

1. adnotatio. *Quòd multæ cum ſint cauſæ extenuationis, Hip. tamen poſuit præcipuas acutos morbos, diuturnos, ulcera. ſed addijciẽs ob alias cauſas, etiam comprehẽdit quidquid corpus uehemẽter extenuare poteſt, dũmodo non fiat ex cauſa externa, licèt etiã ubi perſeuerat extenuatio, externę cauſæ ueritatem continuat aphoriſmus; ſolet autem morientibus, & iam mortuis talis humor uideri, aliquando per deiectionem, aliquando per uomitum, quo ſi eijciatur, non minus malũ habendum. Iam uero hic aphoriſmus mortem neceſſariam ſupponit, ſed notat propinquam fore.*

2. adnotatio. *Quod ex hoc patet, quam ſit potens uirium robur ad ſalutem, etiã læthaliſſimis ſignis apparentibus: quia ubi apparent hæc cum debilitate uirium, mors neceſſariò aduenit, ut in extenuatis: uerũ cum fortes ſint uires aliquando euadere poſſent, ſed cum magna difficultate, & per abſceſſum aliquem, ut contingit ęgro, tertio primi Epid. Cęterum rectè hic notat Cardanus, humorem hunc nigrum potius in ruſticis apparere, ob laborũ immoderantiam & æſtum, nec non prauorum eduliorum eſum.*

3. adnotatio. *Quod nigredo nõ modo pernicioſa eſt in deiectionibus, ſed urinis, ſputis, uomitibus, nec minus pernicioſor eſt liuidus color: quod ſi fætor comitetur liuidũ, uel nigrũ excrementi colorẽ ociſſima mors ſolet ſignificari: quia illa duo extinctionẽ innati calidi ſignificãt & putrefactionis robur. Sed dices, quomodo in hõie ſano repẽte humor is peſſimus poſſit deijci, aut uomi, quin prius natura illius noxam nõ ſentiat dum fit, autem cur non pellit antequam fiat. Dic perinde eſſe atque in febribus malignis, in quibus gignitur in nobis paulatim uenenum, cuius uires tales ſunt ac ſi uiperam aut aliud externum aſſumeremus. Sic in canis rabidi morſu, cum diu alteret corpus uis deleteria, non tamen poteſt natura aſſequi ut ſuperet uim illam ueneni, ſed canis rabidi uis magis per alterationem fit in materialem. Dubium eſt de humore nigro: dic includi in cauitatibus corporis, aut membranis tanquam in abſceſſu, quem natura, cum pellere non poſſit, conatur traſmutare, et cũ deniq; ſuperatur, irruit: aut dic trãſmitti ex aliquo membro ignobili, aut de nobili, in quo latebat quaſi anguis in herba,*

ba, non audente natura agredi talem humorem, ut in maligna febre contingit, in qua pulſus & urina apparere ſolent ſimiles naturalibus. Atque illud rectè Fernelius ut cętera omnia conſtitutionem malam partium corporis eſſe morbum, non eam quæ eſt in contentis ſeu humoribus, quia talis eſt cauſa morbi: nam inteſtinorum lumbrici etſi præter naturam ſint, nō numerantur in morbis, ſed morborum ſunt cauſę ſolū, dum lędunt partes corporis, ſed neque humores ſi putreſcant in uenis morbum efficiūt uti partes contagione atingant, quæ actionum ſunt cauſa: ſic intermitens febris, epilepſia, hydrophobia aliįque morbi complures cauſam intus habent in quiete & interuallo otioſam & quæ non niſi cum partes laceſcit morbum excitat: quare fit ut necis cauſa interdum conſopita in nobis contineatur ſine ulla offenſione, ac perinde ſine morbo, quę ubi partes afficit, repente interficit.

APHORISMVS XXIIII.

Dyſenteria ſi ab atra biſe incipiat.

CVm in Antecedentibus de atræ bilis deiectionibus dixiſſet; eas vituperans, & non niſi cum ægri exitio prouenire poſſe, nunc de dyſenteria loquitur, quæ ex atro humore originem ducit. Cōnexio. Intentio.

Dyſenteria ſi ab atra bile incipiat, eſt lęthalis. Rō intentionis.

Vt oſtendat inter omnes dyſenterias peſſimam eſſe illam, quæ ex bile atra procedit, ac perinde etiam doceat iſtum humorem, vt plurimum, ſeu ſupra, ſeu infra, mortem afferre, quia exulcerat membra & viſcera, atque corrumpit.

Morbis quibuſuis incipientibus ſi atra bilis ſuprà infràuè exierit eſt læthale: ergo ſi dyſenteria incipiat ab atra bile erit læthalis. Demonſtratio.

Antecedens eſt Aphoriſmus vigeſimusſecundus huius libri. Conſequens facilè ſequitur, quia ſi abſolute talis humor mortem indicat; quantò magis cum vlcere inteſtinorum, in quibus, cum aliàs difficilè omnia vlcera ſaneſcant, carcinomata excitat, quæ etiam in partibus exterioribus vix igne, & ferro curari poſſunt.

Quòd dyſenteria propriè vlcus ſignificat inteſtinorum, communiter autem, quamcumque ſanguinis deiectionem. Seu igitur primo, ſeu ſecundo modo accipias dyſenteriam, vera eſt aphoriſmi ſententia: verum adhuc certior mors erit, ſi cum vlcere fiat. Solent autem inteſtina vlcerari raro, quia dura admodum ſunt, & ferè ſemper excernendo ſe exercent, & quia pinguedine quadam quaſi vitreantur quæ vim acrem humorum obtundit; frequentius autem, & minus periculoſum eſt vlcus, quod ex bilioſo, ac flauo humore progreditur, indeque ex pituita ſalſa adhùc pericul- 1. adnotatio.

ricůlo-

riculoſior, quem ex bile vitellina, aut æruginoſa, ſeu praſina naſcitur: peſſima omnium, quæ ex bile atra: ſed adhùc peior, ſi ſtatim ab ea incipiat, quia nulla excretio in principio poteſt eſſe bona, at uerò criticè per dyſenterias aliquando atram bilem in peſſimis morbis excerni, nec tamen cum pernicie ægri fieri poteſt, licet ſemper cum magna difficultate: ſunt tamen læthaliora ulcera, quæ ſupra umbilicum dolorem faciunt, quia tenuia inteſtina ulcerata ſunt, quàm quibus infrà.

2. adnotatio. *Quòd diſtinguere oportet atram bilem à ſanguine melancholico, ut in ſequenti Aphoriſmo ad ueritatem ſententiæ: aliquando etiam fit dyſenteria à combuſto ſanguine, iecore ſe expurgante, qui ſanguis atræ bilis ſimilitudinem præ ſe fert. Quamobrem cum ipſemet in hunc morbum incidiſſem, & à tali ſanguine factus fuiſſem dyſentericus adeò ſum exterrefactus propter hunc Aphoriſmum, ut certam mihi mortem prædicerem; habebat enim magnam ſimilitudinem cum atra bile ſanguis, qui excernebatur, reuera tamen non erat; ſed combuſtus à iecore demandatus, & cum per quattuor dies cum febre, & aſſidua excretione laboraſſem uſque ad extremum, liberatus tamen cum Dei optimi auxilio potu aquæ Tettucij, quam aſſumpſi per tres dies. Sed dices, cur dixit, ſi inceperit ab atra bile læthalem dyſenteriam, quaſi ſi in atram bilem deſinat læthalis non ſit, quod abſurdum uidetur. Dic non minus læthale eſſe ſi deſinat in atram, ubi ex bile ortum habuit à principio: uerum quia criticè aliquando ſine ulcere fieri poteſt, & non à principio, ideò addit particulam illam. At uerò rurſus dices, ſuprà dixit læthalem deiectionem atræ bilis, & ſanguinis nigri, ſi in principio accidat morbi; ergo ſuperfluus uidetur Aphoriſmus, quippe qui comprehendatur ſub illo. Dic certiorem mortem ex hoc ſignari, quia cauſa mortis etiam certior eſt: adde poſſe nos ex hoc Aphoriſmo coniectare talem humorem, cum ſuprà, vel infrà pellitur aſſiduè, ex corruptione, & ulcere alicuius uiſceris procedere. Cæterum huiuſmodi dyſenteriæ, ſicuti & excretiones nigri humoris, & atri raræ ſunt, & non niſi peſtilentibus febribus contingere poſſunt, at potius apud villicos, & agricolas, quam in vrbe, & in regionibus calidioribus, quàm frigidioribus, vt ſupra dictum eſt.*

APHORISMVS XXV.

Sanguinem ſupernèquidem efferri, &c.

Cõnexio. M*Aniſeſtiſſimam habet dependentiam Aphoriſmus hic cum ſuperioribus: cum enim læthales dixiſſet excretiones atræ bilis, aut humoris liquidi ſanguini ſimilis, modo ſermonem conuertit ad ſanguinis ipſius excretiones, docens quid ex illis ſperandum ſit.*

Duas

Duas habet concluſiones: prima docet malum eſſe ſanguinem omnem per os excretum: ſecunda verò nigri deiectionem bonum, ideò iuxta duas concluſiones in duas partes ſecari poteſt præſens Aphoriſmus. Intentio. Diuiſio.

Vt doceat, quòd ſentiendum ſit de excretione ſanguinis, quæ per os, vel per aluum prodit: deinde, vt diſtinguamus ſanguinis excretiones, atræ bilis, & humoris illius, qui cum ſanguine habet ſimilitudinem, ne fallamur in prognoſtico. Rō intentionis.

Sanguinis per os eductio eſt res præter naturam, & per locum innaturalem fit: ergo ſemper mala. Demonſtratio. 1.

Antecedens declaratur; ſiquidem omnis ſanguinis excretio, ſaltem vt ſignum, mala eſt, quia natura benè ſe habens nō excernit ſanguinem, immo retinet: at verò quòd per os educatur iam magis diſtat à conſueto naturæ, ſiquidem non niſi cum aliquo viſcerum male affecto excerni ſolet: adde humorem grauem eſſe ſanguinem ideo per ſuperiora effundi, maiorem nixum oſtendere: ſolet enim indicare, vel in pulmone, vel ventriculo, affectionem grauem, & eò magis ſi ex continui ſolutione proueniat. Conſequens autem manifeſtè ſequitur.

Sanguis niger, ſi deijciatur, ſanitatem ſeruat, & morbos curat: ergo bonum. Demōſtratio. 2.

Antecedens probatur; ſiquidem cum corpus ſanguine abundat, ſolet tranſmittere ad alium, quod accidens his aduenire ſcripſit Hippocr. qui laborare ſoliti cum eſſent, labores omiſerunt: at verò ſanguinem nigrum purgare iecur, & potiſſimum lienem ſcripſit Hippocr. Conſequens facilè ſequitur. 6. Aphor.

Quòd ſanguis ſupra efferri poteſt per os, nares, aures. Rurſus per os cum exijt, vel ex ipſo ore manat, vel capite, vel pulmone, vel thorace, vel ventriculo, vel hepate. Rurſus ſanguis infra progrediens, vel per aluum educitur, vel vrinas, vel vterum: ſi per aluum, vel ab inteſtinis, vel ex alijs partibus: ab inteſtinis, vel cum vlcere ex dyſenteria, vel ſine eo ab hemorrhoidibus. Cæterum omnis ſanguinis excretio præter naturam eſt, excepta illa, quæ per vterum fit, ſaltem in ratione ſigni, attamen ſanguis qui ſuprà educitur ex naribus non rarò cum iuuamento eſt, & ex auribus etiam criticè excerni ſolet, præſertim in capitis doloribus. Vnde illud, qui capite dolent, & uehementer laborant, ſi pus, vel aqua, vel ſanguis per nares, aut os, aut aures effluat bonum: verum per os, niſi à capite, aut à gingiuis exeat, aut mulieribus, quibus menſes non fluunt, ſemper malum eſt; verum ſi infra ſecernatur ſanguis ex vtero ſemper bonum; quia ſecundum naturam: ſi verò per vrinas, vt plurimum malum: quibuſdam etiam ex repletione contingit. At ſi per annum exeat ex hæmorrhoide, nōn rarò etiam vtilis eſt, ac talis niger eſſe plerumque ſolet: at cum vlcere inteſtini ſemper malus, cum verò ſine vlcere exit niger 1. adnotatio. 6. Aphor.

magis

magis probatur, quia melancolicos, & lienoſos purgare ſolet, verum etiam ſi ſit boni coloris iuuat, quia leuat plenitudinem, non tamen cum aquoſus eſt, & frequẽter euenit, quia iã hepatis imbecillitas ſignificatur.

2. adnotatio. *Quòd comparatio, vel fieri poteſt ad omnem excretionem, ita ut comparetur quæcumque excretio ſuperna ad quamcumque infernam, & ſic non eſſet neque vera, neque artificioſa: ſed comparatio eſt eius ſanguinis, qui per os educitur ad illum, qui per aluum educitur, ſic ut abſolutè conſiderata excretio, quæ ſupra fit, ſemper mala, quæ infra bona, quod tamen ſemper verum non eſt: vel reſpectiuè, vt quæ infrà fit ſemper melior eſt ea, quæ ſuprà, quod etiam non ſemper verum eſt. Sed dices, ſi pariter ſuperna, & inferna eductio malæ, & bonæ ſunt, cur ſupernam malã, infernam bonam dixit? Dic, quia modus, & locus per os magis præter naturam, infrà verò minus: ſecundò quia peiores affectiones ſignificat ſuprà eductus ſanguis per os, quàm infrà.*

APHORISMVS XXVI.

Si dyſenteria laboranti, &c.

Cõnexio. IN *antecedenti ſententia de ſigno læthali in dyſenteria apparente ex humoris natura egit, nunc ex eadem dyſenteria aliud ſignum pernicioſum aſſumit deſumptum ab excretis, quæ ad partis eſſentiã pertinẽt.*

Intentio. *Dyſenteria laboranti, ſi veluti carunculæ deyciantur, eſt mortale.*

Rõ intentionis. *Vt ex duobus ſignis mortem in dyſenteria prædicet, alterum ex virium imbecillitate, alterum verò ex morbi magnitudine deſumptum.*

Demonſtratio. *Magnitudo morbi cum debilitate virium mortem indicat:*

Ergo à dyſenteria habito, ſi veluti carunculæ deyciantur, eſt mortale.

Antecedens de ſe manifeſtum eſt, ſiquidem mors ſequitur, cum morbus ſuperat facultatem: at cum magnus morbus eſt cum virium debilitate ſuperatur facultas à morbo. Conſequens probatur. Nam vox illa laboranti, aut habito, longum iam tempus ſignificat, & ideò iam debilitatum ægrum ex hoc oſtenditur: at ſi ueluti carunculæ eyciantur, magnitudo vlceris ſignificatur.

1. adnotatio. *Quòd hæc ſigna certiſſima ſunt ad mortem, & certiora, quàm præcedens: quia præcedens ſignum morbi oſtendit magnitudinem, cum quo aliquando, ſi validæ fuerint uires poteſt æger euadere, uerum hic iam debilitatas ſupponit uires. Cardanus ait, carunculas non abſolutè dici ab Hippoc. ſed veluti carunculas, quia hæc indicant vlcus iam perforaſſe inteſtinum, & ex meſenterio corroſo præcedere. Habent autem inteſtina duas peculiares tunicas, ac tertia accedit ex peritonæo, habent & pinguedinem, & pituitam adhærentes ipſis, cum itaque corraſio incipit primo*

mo, raditur, & abſtergitur pituita, unde ſequitur adeps: tertio loco ramēta quædam corraſa Epidermide inteſtini: quarto loco carunculæ ſuccedunt maiores, iam membranis abraſis, minores in inteſtinis tenuibus, maiores in craſſis: ultimo loco perforatis inteſtinis, abraduntur circumſtantes partes meſenterij.

Quòd caruncularum excretio non uidetur ſufficiens eſſe ad mortem inferendam, niſi iam debilitatum hominem apprehendat, nec enim ſequitur mors neceſſario, ſi in craſſis inteſtinis ſit ulcus dummodo uires non ſint debilitatæ, quod uero ad dyſenteriæ ſucceſſum attinet Hippoc. ex profeſſo in hũc modum ſcribit. Dyſenteriæ ſi cum febre inuaſerint, aut uarijs alui egeſtionibus, aut cum hepatis, aut præcordij, aut uentris inflāmatione, & quæ doloroſæ fuerint, & cibos interficiunt, ſitimque inducunt, hæ omnes malæ ſunt, & qui ſanè plurima horum habuerit, citiſſimè peribit, qui uero pauciſſima, huic plurima ſpes eſt: moriuntur autem ex hoc morbo maximè pueri quinquennes, & ſeniores, adhuc decennes, reliquæ uero ætates minus, atque dyſenteriæ commodæ ſunt, hæc mala non inducunt, uerũ ſanguine, ac ramentis egeſtis deſierunt ſeptima die, aut decimaquarta, aut uigeſima, aut quadrageſima, & morbos præcedentes curant: Hæc ille. 2. adnotatio. 2. prędictionum.

Quòd uerbum hoc fiens, Galeno multipliciter ſumitur, aliquādo enim morbum factum ſignificat, ſed per illud tempus, quò adhuc non peruenit ad magnitudinem inſignem factam, perinde tunc dicitur, cum uehementiam acquirit, dyſenteria itaque fiens dicitur, cum non adhuc ſubſtantia inteſtinorum deraditur, facta uerò, cum ramenta decidunt, & carunculæ. Secundo modo fiens morbus dicitur, qui actu generatur, non tamen ſecundum omnes partes factus eſt, qua ratione febris hectica factus morbus dicitur: putrida uerò fiens. Tertio fiēs dicitur pathos, ſeu paſſio, & ſymptoma, quaſi diſpoſitio ad affectum aliquem: at cum actio iam imprimitur, morbus, & effectus dicitur. 3. adnotatio.

APHORISMVS XXVII.

Quibus per febres, &c.

M*Aniſeſtā habet dependentiam à ſuperioribus hæc ſententia, cum ſicuti in illis hic de ſanguinis euacuatione agat.* Cōnexio.

Quibus per febres ſanguinis undecunque eruperit copia, his conualeſcentibus uentres humectantur. Intentio.

Vt Medicus ex nimia ſanguinis effuſione alui fluxum, ſeu diarream prędicere poſſit: ſecundo ut in reficiēdo adhibeat paucũ, & boni nutrimēti cibum, & calorem confirmet naturalem: tertio ut doceat præcauendas Rō intentionis.

eſſe

eſſe magnas uenarum ſectiones, quod antiqui faciebant, quamuis hac ex parte magis peccent Medici noſtri ſeculi, ad minus, quàm ad maius.

Demonſtratio. *Nimia ſanguinis effuſio per febres uirtutem minuit naturalem. Ergo cum reficientur ægri, leuitate inteſtinorum laborabunt.*

Antecedens probatur, ſiquidem ſanguine plurimo educto corpus frigeſcit totum, ac perinde uirtus naturalis, quæ coctione fit, & retentione. Conſequens facilè ſequitur, quia cum nec coquere, neque retinere, neque diſtribuere poſſit alimentum commodè, grauata facultate deijcitur, adde innanitionem illam appetitum excitare, quare in cauſa eſſe, quò magis ſumant alimenti, & ideò etiam minus conficere poſſint.

1. adnotatio. *Quòd hæc ſententia uera eſt in uniuerſum, uerum addidit cum febre, tum quia frequētius criſes per hemorrhagiam in febribus fiunt, tum quoniam febrile corpus non ſolum debilitatur à ſanguinis miſſione, ſed iam ex febre tabefactum eſt, unde duplici ratione minus poterit coquere, & retinere. Dixit autem ſanguinis copiam, ſignificans multum debere educi: ex quacumque verò parte, quia vndecumque fluat uim habet debilitandi, ueruntamen eſt quod ex ſuperioribus partibus exiens, magis debilitet, quam ex inferioribus.*

2. adnotatio. *Quòd humectatio uentris non ſolum ſequitur ad magnam effuſionem ſanguinis, ſed & ructus acidus, & omne genus cruditatis, atq; hydrops, cachexia, & malus corporis habitus, gloſſat Hippoc. hanc ſententiam in Prorhetico, niſi vrinæ concoctæ appareant, quæ verba duplicem habent ſenſum: primò, vt ſignum ſumat ad prædicendam cruditatem ex copia, vbi vires valdè debilitat, tunc enim vrina cocta non apparebit, & quo tempore cruda apparuerit, aluus humida erit, quòd ſi facta magna effuſione vrina adhuc cocta appareat illa non eſt talis, à qua ſperari poſſit diarrhæa, & cruditas: vel ſecundò ſic intellige: ſi medicus exhibeat cibum ad proportionem caloris, & corroboret calidum innatum, atque reficiat paulatim, tunc fiet vt coquatur vrina, & venter non humectabitur.*

3. adnotatio. *Quòd hic Aphoriſmus meritò reprehendit Hiſpanos Medicos, qui toties ſolent venam ſecare ægris, quoties ad illos accedunt, & licet experientia illis arrideat, attamen periculoſa eſt talis curatio, & meritò reprehendi debet, nec enim ſaltē euitare poterunt quod hic prædicit Hipp. vt cætera taceā mala, quæ importunā illam phlebotomiā conſequuntur.*

APHORISMVS XXVIII.

Quibus deiectiones ſunt bilioſæ, &c.

Cōnexio. *CVm de ſanguinis, & atræ bilis deiectionibus, ſeu ſupra, ſeu infra fiant, in præcedentibus dixiſſet: in hoc de bilis deiectionibus, deque illius motu ad ſuperiores, vel inferiores partes ſermonem inſtituit.*

Duæ proponuntur concluſiones, quarum prima docet ad ſurditatem ceſſare biliofas deiectiones: ſecunda uerò ad biliofas deiectiones ceſſare ſurditatem. Intentio.

Vt Medicus alterum ex altero prædicere poſſit, necnon ex ſurditate biliofa, naturam ſequens ad contraria medicamento reuellat. Rõ intentionis.

In duas partes iuxta duas concluſiones allatas diuidi poteſt Aphoriſmus, quarum altera motum bilis continet ad ſuperiora, altera verò ad inferiora. Diuiſio.

Vnico medio ita probari poßunt concluſiones.

Motus contrarij effectus pariunt contrarios: ergo ſurditas biliofórum deiectione, & biliofa deiectio ſurditate præſente finientur. Demonſtratio.

Antecedens patet. Conſequens declaratur, nam præexiſtente ſurditate, cum biliofa deiectio ſuperuenit, ad inferna mouetur bilis, quæ cauſa erat ſurditatis: at ſi præexiſtente deiectione biliofa ſuperueniat ſurditas raptus materiæ ad ſuperiora fit.

Quòd cum ſurditas ſit vel antiqua, uel recens, vel cum febre, vel ſine febre, Hippocr. de recenti ſurditate loquitur, & potiſſimum in febribus, eſt autem accidens hoc frequens in febribus, vt recurrat materia præcipuè biliofa non ſemel, ſed pluries ad caput, & èontra, cum itaque natura bilem mouens ad inferna præexiſtentem ſanet, Medicus quoque per ſurditatem febrilem purganti medicamento vtetur, quod potiſſimum bilem purget: nam alui fluxus non ſolum ſurditatem, ſed omnes capitis & oculorum morbos tum reuellendo, tum vacuando ſoluere ſolet. 1. adnotatio.

Quòd ſurditas in febre fiens, & præcipuè præcedentibus biliofis deiectionibus, timoroſa eſt, quia raptum materiæ ad caput ſignificat, unde phrenitidis timor naſcitur, ſoluitur autẽ ſurditas non modo biliofis deiectionibus, ſed ſi ſanguis per nares effluat, aut aures, & ſi ad partes infernas abſceſſus fiant, & ſi per vrinas humor euacuetur, verum Hippocr. mentionem fecit de alui fluxu, quia frequentius biliofam ſurditatem ſoluit, & ad illam ſurditas ſequi ſolet, non tamen dixit Hippocr. neceſſariò ſurditatem ſolui per biliofam fluxionem: at ſi adueniat ex febrili ſurditate, illam ſoluere, ſicuti nec ſurditas ſequitur neceſſariò ad alui ſuppreſſionem, ſed quòd ſi ſurditas adueniat ceſſat alui fluxus. 2. adnotatio.

Quòd reuulſio potentior eſt uacuatione, & deriuatione, quia hæ non iuuant, niſi humorem peccantem educant, verum reuulſio etiam cum ſit humoris non peccantis, ſolet iuuare, quia impetus naturæ ad contraria, tollit fluxum priorem: cæterum fieri poteſt, vt tanta ſit bilis copia, vt maneat ſurditas etiam cum biliofa deiectione, aut contra (at id raro accidit) Hippoc. autem docet, quòd plerumque fieri ſolet: poteſt item deriuari materia ad parotidas, & febrem, & ſurditatem tollere. 3. adnotatio.

APHO-

APHORISMVS XXIX.

Febricitantibus ſi ſexto die, &c.

Cõnexio. *CVm in antecedenti de motu bilis ad ſuperiora, vel inferna egiſſet, nunc de rigore arripit ſermonem, quod febrium accidens inſigne eſt, & notiſſimum.*

Intentio. *Quibus in febribus ſexto die rigores fiunt, Iudicatio eſt difficilis.*

Rõ intentionis. *Vt dimonſtret hoc peculiari exemplo conatum omnem naturæ, & perinde criſim, quæ ſexta die fit difficilem eſſe, & præterea colligat, quod infra etiam docebit pares dies ad indicationis difficultatem eſſe aptos, & inter pares dies ſextam difficiliorem eſſe.*

Demõſtratio. *Rigor ſextæ diei non fit ſecundum naturæ prouidentiam, neque cœli vi, ergo difficilem pariet iudicationem.*

4. de morbis. *Antecedens probatur, nam natura, ut ſcripſit Hippoc. non ſolet mouere, niſi per dies impares, at nec à cœlo regulari poteſt ſexti diei excretio, cum nulla in eo die configuratio fiat motus Lunæ, vel Solis: at nulla eſt alia in nobis mouendi vis, quàm à natura, vt cauſa particulari, & cœlo, vt vniuerſali, quare talis motus erit ſymptomaticus, & purus ipſius morbi, qui ſeptimã expectare non potuit, ac perinde difficilè iudicium protenditur.*

1. adnotatio. *Quòd ſicuti inter impares dies ſeptimus eſt primus, & veluti rex, quia in eo, vt plurimum criſes fiunt, & ad bonum, ita ſextus dies omnium eſt peſſimus, & quaſi tyranno comparatur, & cum omnis morbus,* Hippocr. in Epid. *qui per dies pares iudicatur difficilem habeat motum, ſexta tamen dies parium dierum eſt viliſſima, difficultas autem iudicij, uel mortem, uel dolores, uel recidiuas ſignificat, aut in alium morbum tranſmutationem, quòd ſi quando ea die criſis facta eſt, id raró, & veluti admirandum notatur, & accidit: quia natura ob robur præoccupat, & principium criſis facit in die ſexta. ſeptima tamen finitur, habes autem exemplum* 7. Epid. *Philiſtidis Eraclidis uxoris, quæ die ſexta riguit, & minxit multum, ſeptima tamen perfecta fuit criſis facta.*

2. adnotatio. *Quòd rigor ſolet antecedere iudicium, quod fit per ſudorem, & etiam illud, quod per vomitum fit, ſed cum febris poſſit eſſe continua, vel intermittens Hippocr. potiſſimum de continua loquitur, quia talis per ſudorem ſolet iudicari, vnde infra rigorem ſuperuenientem ardenti febri, ſoluere illam dixit: ſed in intermittentibus etiam difficile iudicium poteſt ea ratione argui, quia per dies pares mouetur morbus, ſi ad ſextam diem rigores fiant, non eſt autem neceſſarium rigorem antecedere omnem ſudorem, poteſt enim ſine rigore fieri, ſed neque ad rigorem ſequitur neceſſariò ſudor, niſi cum criticus fuerit.*

Quòd

Quòd rigor motus eſt cum concuſſione factus à cauſa aliqua prêter naturam, quæ duplex eſſe poteſt, frigus, ſcilicet & calor, neque inconueniens eſt contrarias cauſas eundem parere effectum, cum reguntur ab aliqua ſuperiori cauſa, vt à facultate, nam frigidum rigorem facit calorem pellendo, calidum mordendo, qua ratione in febribus rigor indicatorius, vaporem, aut tenuem bilem acrem, & mordacem indicat deferri ad partes ſenſiles, vnde ſudor, aut vomitus, aut alui fluxus eſt, aut maior rigor, qui à cauſa calida fit, quàm qui à frigida. Fit autem aliquando, ſymptomaticè, vt cum virtus eſt imbecillis, quæ cum multum laboret, concutit corpus, aliquando criticè cum virtus fortis eſt, & validam efficit commotionem. 3. adnotatio.

APHORISMVS XXX.

Quibus acceſſiones fiunt, &c.

NExus præſentis ſententiæ cum ſuperiori ſatis eſt euidens, eſt enim ſicut illa de iudicij difficultate, verum ibi ex die iudicatorio, hic verò ex acceſſionum ordine rationem deſumit. Cõnexio.

Acceſſiones ſi ſeruent eandem horam, iudicium eſt difficile febris. Intentio.

Vt Medicus ex hoc vno ſigno morbi pertinaciam cognoſcere, ac perinde prædicere, & cautius curare poſſit. Rõ intentionis.

Repetitio quotidiana acceſſionum in eandem horam, cauſæ firmitatem oſtendit: ergo difficilis ſolutu erit morbus. Demonſtratio.

Antecedens probatur: quoniam ordo ille indicat fixam morbi cauſam, & perinde non ſolũ ex motu materiæ, ſed Solis, aut Lunæ, pendere.

Quòd iudicium morbi ſignificat magnam mutationem, ſeu in peius, ſeu in melius, vnde iudicari dixit Hippoc. in morbis eſſe, cum augentur, aut in alteram tranſmutantur, vel finiuntur, hic igitur iudicium difficile ſignificat, & quod longo tempore finitur & quod ſi cum difficultate, vt facilis ſit recidiua, aut ad abſceſſum finiat morbus. Eſt autem febris, de qua loquitur, vel continua, vel intermittens: & intermittens quotidiana, aut tertia, aut quarta, aut quinta, aut ſeptima. Vera autem eſt ſententia de omni febre, & de omni acceſſione, illud autem poſtera die, etiam ſignificat ſi tardius repetat. 1. adnotatio.

Quòd ſenſus Aphoriſmi quoad inuaſionem triplex eſt: primus, vt acceſſio ſecunda inuadat eadem hora, qua prima deſinit: ſecundus vt inuadat eadem hora, qua prima incepit: tertius, vt ſecunda acceſſio inuadat, & recedat eadem horas quibus prima: primus ſenſus eſt abſurdus: ſecundus, & tertius ad mentem Hippoc. ſed tertius magis, ideò licet Aphoriſmus de omnibus febribus verus ſit, tamen de continuis intelligere 2. adnotatio.

videtur, quæ ita ſe habent, vt per ſingulos dies conſurgant fines, & principia acceſſionum: quia cũ ſperatur intermiſſio, rurſus alia corripit febris.

3. adnotatio. *Quòd vera eſt ſententia, non ſolum ſi eadem hora inuadat ſecunda, qua prima, ſed ſi æqualibus interuallis poſtponant, aut anticipent, non item ſi inæqualibus. Solet autem anticipatio acceſſionum ferè augmentum morbi ſignificare, ſicuti poſtpoſitio declinationem, eadem autem hora ſi veniat, ſtatum, attamen nullum perpetuum eſt: anticipatio enim, & ob naturæ robur, & morbi vehementiam fieri poteſt, ſicut poſtpoſitio virium debilitatem ſequi poteſt, verum & eiuſdem horæ repetitio per totum morbum à principio fieri poteſt, igitur alia ſigna conſideranda ſunt: duratio enim, & vehemẽtia acceſſionis, & quæ in excrementis apparent ad firmitudinem iudicij faciunt. Verum dices, vnde tanta cauſæ firmitas, vt ordo, & qualitas ſeruari poſſit tã longo tẽpore, & cur quartana tamdiu comitatur hominẽ, ſi ſalutaris eſt, & materia ſingulis acceſſionibus pellitur? Dic in cauſa eſſe ſolis, aut lunæ motum ordinis illius, & peculiarem materiæ putredinem, longitudo verò in quartana materia eſt tenaciſſima, quæ in paruulis venulis adhæret, quæ non poteſt facili negotio diſiungi.*

APHORISMVS XXXI.

Qui per febres laſſitudinem ſentiunt, &c.

Cõnexio. *CVm de iudicatione Hippoc. in antecedentibus verba feciſſet, & iudicium, vel per abſceſſum, vel euacuationem fiat, nunc de iudicatione ſermonem habet, quæ per abſceſſum fit.*

Intentio. *In laſſitudinoſis febribus abſceſſus fient potiſſimum ad articulos, & maxillas.*

Rõ intentionis. *Vt ex hoc vno ſigno prædicere poſſit Medicus, non ſolum per abſceſſum fieri iudicium, ſed locum abſceſſus maximè eſſe articulos ipſos.*

Demõſtratio. *In laſſitudinoſa febre materia multa eſt, articuli debiles: ergo ad eos fiet abſceſſus.*

Antecedens probatur, quia laſſitudo, ſeu ſpontanea, ſeu ex labore plenitudinis eſt cauſa: ſpontanea ob vaſorum plenitudinem, laborioſa ob colliquationem: articuli quoque imbecilles ſunt, ſi quis laborauit, aut ſi non laborauit, vbi dolent debiles ſunt. Conſequens deducitur, quia materiæ multitudo cũ articulorum imbecillitate, accedente febre colliquante, abſceſſus faciet ad articulos.

1. adnotatio. *Quòd laſſitudo, vel eſt ſpontanea, quæ ſine labore fit, vel non ſpontanea, quæ laborem ſequitur. Rurſus, vtraque vel febrem antecedit, vel cum ea eſt coniuncta. Hippoc. itaque de omni laſſitudine loquitur, ſed magis*

gis de ſpontanea, & quæ febrem comitatur, quia laborioſa cum bilem magis pro cauſa habeat, vacuatione poterit finiri, & ſudore, at ſpontanea magis ſequitur materiæ multitudinem, & cruditatem, ſolet autem ab abſceſſu liberari vrina ſi multa prodeat craſſa, & alba, aut ſanguis è naribus; vnde Medicus poterit abſceſſus præcauere, ſanguinem mittendo, aut euacuando. Ap horiſmo huius 71.

Quòd articuli valde parati ſunt ad recipiendum humorem, ac præcipuè inferni pedum, & genuum, quia loca ſunt debilia, & ex laſſitudine tabefacta, maxillæ autem glandulas habent inſignes ad aures, & collum, ad quas potiſſimum fluit humor cum tenuis eſt, & in capite, ſicuti cum eſt craſſus, & frigidus ad inferna, nec ſolum ad articulos abſceſſus fient ex laſſitudinoſis febribus, ſed et partes iuxta illos per totum crus, aut inguẽ, aut femur, cognoſcitur aũt materiæ decubitus, ex dolore, & calore partis. 2. adnotatio.

Quòd Hippoc. in febribus ad abſceſſum ſigna ſumit tum ex cruditate, tum ex longitudine morbi, cum adſunt reliqua ſalutaria ſigna: vnde ſcripſit. Quicumque vrinas tenues, & crudas mingunt longo tempore, ſi alia, vel uti ex ſuperſtitibus ſigna fuerint, his abſceſſum expectari oportere ad locos infra ſeptum tranſuerſum: & rurſus de longitudine morbi cum febris prorogatur, ſalubriter affecto homine, neque ob inflammationem, neque aliam cauſam dolore detineatur his abſceſum expectare oportet ad aliquem articulum, vel maxime infernum: cum his itaque ſi laſſitudo iungatur adhuc abſceſſus certior erit. 3. adnotatio. In Progn.

APHORISMVS XXXII.

Quibus ex morbo conualeſcentibus, &c.

NExus cum antecedenti clarus eſt, de abſceſſu enim dixit, qui in febribus ſpectari ſolet: hic verò de loco abſceſus tractat. Cõnexio.

Ex morbo leuatis ad eam partem fient abſceſſus, quæ laborat. Intentio.

Vt doceat cognoſcere locum futuri abſceſſus, nec non fieri illos poſſe non ſolum in febribus, ſed etiam poſt febres iam conualeſcentibus, & ſurgentibus ægris. Rõ intentionis.

Labor receptionem facilem facit: ergo ad illam partem fient abſceſſus, quæ dolet. Antecedens probatur, quia labor ſeu dolor trahit, & debilitat, quare fit, vt facilem reddat receptionem. Conſequens probatur, quia abſceſus fiunt per materiæ receptionem. Demonſtratio.

Quòd conualeſcens eſt in duplici differentia, quidam eſt perfectè iudicatus, alius verò imperfectè, quod adhuc morbi reliquiæ remanſerint. Hippoc. non intelligit de primo, ſed de ſecundo conualeſcente, quia primus cum ſit purus, non habet in ſe cauſam abſceſus. Cæterum abſceſſus 1. adnotatio.

 videtur,

recidiuas ſolet præcauere, quia materia non amplius ad nobiles partes vergit, niſi recurrat, quod in conualeſcentibus rarò fit.

2. adnotatio. *Quòd labor hic ſignificat omnem membri debilitatem, ſeu præceſſerit, ſeu in morbo, aut in conualeſcentia adueniat: ſeu igitur doleat, ſeu intemperata ſit, ſeu alia quauis ratione langueat pars, labor ille fluxionis, & cauſa, & ſignum eſſe ſolet: cauſa, quia trahit: omnis enim dolor attrahit. Secundò, quia debilitat: omnis enim debilitas ad recipiendum apta eſt, qua ratione potiſſimum ad articulos abſceſſus fieri dixit ſupra. Signum verò abſceſſus labor eſt, & dolor, quia præſentem cauſam oſtēdit.*

3. adnotatio. *Quòd Hippoc. hic vniuerſaliorem ponit ſententiam, quàm ſupra, quia ibi de articulis dixit, hic verò de quacumque parte ſermonem habet, quæ doleat, aut laboret. Solēt autem fieri abſceſſus in morbis aliquando boni, aliquando mali: mali vel tales ſunt ſimpliciter, vt qui ſunt acritici, & ad partes nobiles fiunt, & maiorem morbum inducunt quàm prius: at mali ſecūdum quid, dicuntur abſceſſus, qui vel claudos, vel cæcos efficiūt homines, aut corporis partes corrumpunt, ſed tamen liberant à morbis, vnde ſcripſit in Prognoſt. vngues nigros ſignificare futurū abſceſſum ad illos, & ſi alia bona ſigna adueniant ſanari quidē ægrum, ſed caſuros digitos. Et illud, quod ſcripſit ſecundo Prædict. claudos cæcosq; euadere homines ex abſceſſibus, vt prædicebāt medici in admirabilē prędictionem, cum iam futuros abſceſſus ad illas partes ex peſſimis morbis cognoſcerēt.*

APHORISMVS XXXIII.

Sed ſi quæ ante morbum pars, &c.

Cōnexio. *Cum duobus antecedentibus manifeſtam ſatis connexionem habet hæc ſententia, quia ſicuti in illis de doloribus, & laboribus agitur, ita in hoc: ſed in 30. de labore agit, qui febrem comitatur: in 32. de eo, qui febrem ſequitur: in hoc verò de illo, qui antecedit.*

Intentio. *Si quæ ante morbum pars laborauerit, ibi morbi ſedes.*

Rō intentionis. *Vt non ſolum abſceſſus futuri, quod in antecedentibus dixit, ſed morbi locum indicet, quantum autem loci affecti cognitio Medico conducat, ex eo patet, quòd tantum variat curatio, quantum locus affectus euariat, adeò vt idem morbus in diuerſis locis, contraria deſideret remedia, vt in phrenitide, & pleuritide patet, cum ambæ ſint inflammationes.*

Demonſtratio. *Abſceſſus ad eam partem fiunt, quæ laborat: ergo morbus ad illam partem fiet, quæ ante morbum laborauit.*

1. adnotatio. *Antecedens ex præcedenti Aphoriſmo ſatis eſt euidens. Conſequens probatur: quia eadem eſt ratio gignendi abſceßuum, & morborum omnium: eſt enim morbus omnis abſceſſus, licet minor, quàm morbus ex quo fit, cum per illos fit iudicium.*

Quòd labor hic ſignificat, ſicuti in antecedenti omnem partis debilitatem,

tatem, ſeu illa ſit ex natura, ſeu ex morbo, ſeu pertineat ad intemperiem, ſeu malam conformationem: quare dicebat inferius, ſi quæ pars caleſcat, aut frigeſcat ibi morbi ſedes eſt, & rurſus, qua corporis parte ſudor eſt, ibi morbus: exemplum habet lib. 6. Epid. ſect. 7.

Qui igitur vocibus (ait Hipp.) ſe fatigarunt, aut riguerunt, in anginas magis deſierunt: qui verò manibus laborarunt, manibus tantum ſiderati, ac reſoluti ſunt: qui uero equitauerunt, aut amplius iter fecerũt, aut alios labores cruribus perfecerunt, his ad lumbos, aut crura impotentiæ & reſolutiones abortæ ſunt, & ad fæmora, & tibias laſſitudo, aut dolor. » » » » » »

Quòd Medicus prouidere debet ad partes, quæ ſanis hominibus quauis ratione ſunt debiles, ne illas quoquomodo agitet, aut perturbet, calefaciat, aut frigefaciat, quia facilè morbos concipiunt, & præſertim quò partes fuerint nobiliores, præcipuè pulmo, & caput, leuiter tamen exercendæ ſunt, & paulatim frictionibus, aliiſuè huiuſmodi motus generibus: docet igitur Hippoc. hic locum affectum dignoſcere ex morbis, cuius cognitio non minora præſtat medico curanti, quàm genus affectus, quia licet ex affectu genus auxilij in genere colligatur, ex loco tamen affecto plura colliguntur, & magis indiuidua. 2 adnotatio.

APHORISMVS XXXIIII.

Si febre detento ſuffocatio, &c.

Cum in antecedentibus de abſceſſu locutus ſit, qui ad partes ignobiles fit, & morbos iudicare ſolet, modo de illo agit, qui ad nobiles ire ſolet & pernicioſus eſt. Cõnexio.

Suffocatio repentè ſuperueniens nullo apparente in faucibus tumore febre detento: mortale. Intentio.

Vt doceat mortem præſagire, vbi talia apparent ſigna, ac perinde nõ eſſe in tali caſu auxiliandum, niſi cum prædictione. Rõ intentionis.

Si febre detento ſuffocatio repentè adueniat ſine tumore: cordis calor refrigerari nequit: ergo mors ſequetur. Demõſtratio.

Antecedens probatur: quia per talem affectum guttur ita conſtringitur, aut conuellitur, vt aer attrahi non poſſit ad refrigerandum cor, quod etiam propter febrem magis aerem deſiderat. Conſequens probatur, quia vita non poteſt conſiſtere, niſi calor cordis conſeruetur per inſpirationem.

Quòd ſuffocatio hic eam ſignificat diſpoſitionem, per quam vix reſpirare poſſunt ægri, ideò coguntur ortopnæam, ſeu ſedentes reſpirare. Ex uerò uel ſenſim fit, vel repente: ſenſim fit, quoties pulmo, aut aſperá arte- 1. adnotatio.

ria craſſis humoribus, aut pure repleantur, uel tubercula patiuntur: uerum quæ repentè fit, uel gutturis vitio contingit, vel venarum interceptione, vt in apoplexia, vel aura maligna ad cor ex vtero delata: ut in hiſterica paſſione eorum. VHippoc. addit cum febre: quia neque apoplexia, neque hiſterica paſſio cum febre eſt. Cum uerò uitium in gutture, aut inflammatione fiat, aut conuulſione ex ſiccitate, quidam intelligunt de angina illa horrendiſſima, quę nil conſpicui facit in faucibus, & intra tres dies occidit cum dolore, & ortopnęa: uerum alij, ut Cardan. non de Angina loqui Hippoc. rati ſunt. quia illud à febre habito, ſignificat iam diu hominem à febre detentum, & conualeſcentem, in quo nulla occaſio eſt inflammationis; adde tacuiſſe dolorem, & præterea etiam ſine febre talem anginam eſſe læthalem: quare intelligunt de ſuffocatione, quæ accidit ex ſiccitate muſculi gutturis, conuulſis lacertis, & ſanè probabilior eſt hæc ſententia. Valeſius autem primo modo de angina intelligens, illud (à febre habito) interpretatur de magna febre, quia tunc maior eſt reſpirandi neceſſitas, quod licet ſit cauſa adiuuans, tamen illud (à febre habito) non puto conualeſcentem, vt Card. intelligit, neque magnam febrem ſolum ſignificari, ſed debilitatum etiam ægrum, ita ut hæc affectio ideò etiam læthalis ſit, quia iam à febre debilitatum hominem apprehendat, ſicuti dicebat, à pleuritide detento malum eſſe, ſi aluus profluat, intelligens iam debilitato ex morbo.

1. adnotatio. *Quòd in angina tumor, quò euidentior eſt, eò minus eſt periculum: cum igitur appareat in faucibus tantum, non ita bonum eſt, ſicuti ſi in ceruice, & melius adhuc ſi in pectore ſe oſtendat: tumoris enim nomine non modo eleuationem, ſed ruborem quoque intelligere oportet, qui in eriſypelatibus conſpici ſolet: verum cum ex ſiccitate per conuulſionem ſtrangulatio contingit tumor apparere nequit, ſicut in prima ſpecie anginæ, occupatis internis muſculis gutturis.*

APHORISMVS XXXV.

Si febre detento, &c.

Cõnexio. *Nexus huius Aphoriſmi cum antecedenti eſt clariſſimus eſt: nam ambo ſunt de ſuffocatione, quæ in febre contingit, ſed per varia ſymptomata deſcribitur.*

Intentio. *Si febre detento de repente collum intorqueatur, ac uix deglutire queat, nullo in faucibus apparente tumore, eſt mortale.*

Rõ intentionis. *Vt ex iſtis accidentibus mortem prædicere poſſit medicus.*

Demonſtratio. *Peruerſio colli repentina in febricitante cum deglutiendi difficultate ſine tumore, vel inflammationem, vel conuulſionem lacertorum gulæ facit.*

tit, & operationem vitæ neceſſariam tollit: ergo mortalis.

Antecedens declaratur; quia gula alligatur ſpinæ, guttur gulæ; ideò ſuas communicant affectiones. Cum itaque vel tumor eſt in uertebris, uel conuelluntur ligamenta æſophagi collum peruerti ſolet, ac deglutiendi difficultas naſci; cæterum diglutitio opus eſt ad vitam neceſſarium, ſine quo viuere homo nequit. Conſequens probatur, quia vertebrarum inflamationes, ſeu conuulſiones, per quas vertebræ luxantur, ſine aliquo tumore faucium, curationem non admittunt; maximè accedente difficultate deuorandi.

Quòd præſens Aphoriſmus differt à ſuperiori, quia ille per ſuffocationem minatur periculum, hic per deglutiendi difficultatem magis, quàmuis utrumque accidens in utroque ſupponatur, at difficilior erat reſpiratio in antecedenti, in hac uerò deuorandi facultas: quia in illa magis afficitur aſpera arteria, in hac verò magis æſophagus: peruertitur autem collum, uel ad latera, vel in partem anteriorem, vel poſteriorem, magis autem peruerſionem eam ſignificat, quæ ad latus eſt. 1. adnotatio.

Quòd licet Angina fieri poſſit ex luxatione vertebrarum ſpinæ, ob inflammationem, aut tumorem quempiam trahentem ligamenta, tamen hic magis intelligere poſſumus, ut ſupra peruerſionem, quæ ex ſiccitate fit lacertorum æſophagi, aut gutturis, quæ iam febre debilitatis acuta, ait Card. aduenire ſolet; & præcedunt duo ſigna læthalia, vox clangoſa, & ſonitus quidam dum bibunt, indicantia nimiam ſiccitatem: addit cum febre, quia ut ſcripſit ſecundo Epid. illi grauius affligebantur, quibus cum febre ceruix intus uergebat. Sed quid dices Hippoc. aſſerenti, eos, qui ſolum deglutire non poterant anginoſos, valde mites fuiſſe anginas? Dic fuiſſe tales ſine ſuffocatione, ideo non periclitaſſe: hic verò ſupponere etiam ſuffocationem. Vel dic ibi de angina: hic uerò de peruerſione, quæ ex ſiccitate fit, loqui, & ſupponere hominem iam febre confectum. 2. adnotatio. 6. Epid. ſect. 7.

APHORISMVS XXXVI.

Sudores febricitantibus boni, &c.

CVm in antecedentibus de Criſi dixerit, quæ per abſceſſum fit, nunc de illa agit, quæ per excretionem naſcitur aſſumens in exemplum ſudorem. Cõnexio.

Duæ ſunt concluſiones in Aphoriſmo: quarum prima dies laudat, qui bonos ſudores efficiunt: ſecunda verò eos qui malos. Intentio.

Ideò in duas partes diuidi poteſt præſens ſententia iuxta duas concluſiones prædictas. Diuiſio.

Vt demonſtret qui dies ſint probandi ad criſin, quæ per euatuatiõnem Rõ intentionis.

nem ſit adducendo ſudores in exemplum, & qui item reprobandi, & non ſolum ex materia morbi, ſed cæli uirtute iudicia pendere dignoſcamus.

Demonſtratio. 1. *Sudores, qui incipiunt 3. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 20. 27. 34. morbos benè iudicant: ergo boni.*

Antecedens declaratur, quia per tales dies ut plurimum ad ſalutem fiunt iudicia, quia impares ſunt, & natura per dies impares mouere ſolet. Conſequens clarè ſequitur.

Demonſtratio. 2. *Sudores, qui extra tales dies fiunt, aut dolorem, aut morbi longitudinem, aut recidiuam ſignificant: ergo mali.*

Conſequens manifeſtè ſequitur. Antecedens probatur dupliciter: tum ratione, tum experientia: quia qui illis diebus iudicati ſunt ſupra numeratis, ut plurimum benè iudicati ſunt: qui uerò extra illos malè: & ratione, quia ſudores ultra prædictos dies venientes extra naturæ ordinem ſunt, cum fiant illis temporibus, quibus natura quieſcere ſolet, ſcilicet in paribus diebus.

1. adnotatio. *Quòd ad ſudoris, & alterius excretionis perfectionem non ſolum requiritur dies impar, ſed quòd fiat coctione præcedente, quod ubi contingit, uires omninò ſuperant morbum: at cum vires à morbo ſuperantur, neque in die critica, neque coctione apparente fit iudicium, unde mors ſequi ſolet: at cum medio modo ſe habet, & partim ſuperat morbus, partim vires, fit, ut in die critica iudicium fiat, non tamen neceſſario ſemper ad ſalutem, quàmuis vt plurimum; quia vires poſſunt aſſequi diem iudicatorium, non tamen materiæ victoriam.*

2. adnotatio. *Quòd ſudore iudicantur febres tum acutæ, tum longæ, ſed acutæ præcipuè, quia calidiores ſunt, & extenuata materia conſtant: nam longæ febres raro ſudore ſolum ſine alia excretione iudicantur: at in acutis accidit, ut una dies liberet ſolum per ſudorem, ideo numerauit ſolum dies uſque ad 40 in quibus acuti morbi cum febre terminari ſolent: & quod de ſudore dicitur, transferre oportet ad omnem aliam uacuationē.*

3. adnotatio. 3. Epid. ægro. 6. *Quòd uidetur male omiſiſſe quartam diem, cum ſit dimidium ſeptimæ, & in ea iudicationes non ita raro fiant, ut putauit Gal. Nam Periclis in abderis quarta die per ſudorem eſt iudicatus: & ſeptimo Epid. uxor Elcominis menſium effluxu iudicata eſt: uerum quia quarta dies non adiungit ſibi naturæ motum, ideo excluſit, quàmuis habeat lū ſe cæli rationem: nam morbi, qui per dies pares exacerbantur, in illis iudicatur, at difficilè, ut plurimum: quare bona iudicatio ſi fiat, in quarta eſt, quia arripit iudicationem tertiæ, aut quintæ diei. Sed cur non numerauit decimumtertium, & decimumquintum diem qui impares ſunt, ſed 14. qui par eſt? An quod 14. reipſa impar eſt, & perficit criſim 13. dies inchoat, aut extenditur ad 15. Sed cur addit 21. & tacuit 20? An quod vigeſima dies partem continet vigeſimæprimæ, ea ratione, qua*

Medici

Medici dies numerant: ideò parum refert ſeu 20. ſeu 21. dicas iudicatorios: tacuit etiam 37. & 40. quia rarò iudicant, per alios autem dies intra 14. intelligit 2. 8. 16. 18. 22. 26. 28. 32. 36. 38.

APHORISMVS XXXVII.

Frigidi ſudores, &c.

CVm in antecedenti de ſudoribus bonis aut malis iuxta dies euenientes tractaſſet, nunc de ſudoris qualitate agit, aſſumens inter primas frigidam, quidque ex ea ſignificetur edocet. Cõnexio.

Duas habet Aphoriſmus concluſiones: prima frigidum ſudorem cum febre acuta mortalem oſtendit: ſecunda cum ſi accidat cum febre non acuta, longitudinem morbi ſignificare. Intentio.

Ideò in duas partes iuxta duas concluſiones diuidi poteſt aphoriſmus. Diuiſio.

Vt quid in febribus ex frigido ſudore ſit ſperandum doceat, atque timoroſum valdè hoc accidens pronunciet. Rõ intentionis.

Frigidus ſudor in acuta febre, vel morbum inſuperabilem, uel extremam virium debilitatem denunciat: ergo læthalis. Demonſtratio. 1.

Antecedens probatur, quia frigidus ſudor in acuta febre, vel accidit ex inflammatione valida viſceris alicuius, quæ ſicuti cucurbita trabit calorem ad ſe, partes relinquens frigidas, vndè inſuperabilis affectio ſignificatur, vel quia membrorum calor eſt extinctus, quippe internus, ut exiguus poteſt quidem eleuare vaporem, non tamen calefacere, unde extrema imbecillitas ſignificatur.

Conſequens probatur, quia utraque cauſa eſt mortis indicium.

Sudor frigidus cum febre non acuta multitudinem materiæ ſignificat, non perindè vires debiles: ergo longitudinem morbi. Antecedens probatur, quoniam cum ex inflammatione externa prouenire nequeat, neque ex diſſolutione caloris, & ſpiritus (quia morbus magnus non eſt) reliquum eſt ut ſequatur multitudinem materiæ frigidæ, & crudæ, quare Hippoc. ſudorem frigidum procedere dicit ex non calefacto malo, neque attenuato, ſed crudo exiſtente, ſicuti calidus ex contrarijs. Demonſtratio. 2. 1. Epid.

Conſequens facilè ſequitur, quia cum materia multa ſit non niſi longum tempus requirit ad ſui coctionem.

Quòd in febre acuta frigidus ſudor duas potiſſimum cauſas habet, uel inflammationem internam, uel virium imbecillitatem, quare ſcripſit Hippocr. conſiderandos eſſe ſudores malos: quippe qui vel fiunt ob inflammationis rigorem, vel corporis exolutionem: in febre autem non acuta, neque maligna multitudinem crudæ materiæ oſtendunt. Cæterum ſudor, qui mortem ſignificat frigidus debet eſſe, aut in toto corpore, aut 1. adnotatio. InProgn.

circa

circa faciem, & ceruicem, quia tunc cauſæ magnitudinem arguunt. Sed dices, cur in facie, & ceruice tantum ſi fiat, mortem denunciat, non ſic in brachijs, aut cruribus? Dic, quia calor innatus in facie maximè viget: ideo uiſcera malè habere oſtenditur, quod in cruribus, aut brachijs non contingit.

2. adnotatio. *Quòd frigidus ſudor, vel exit cum frigido corpore, vel cum calido corpore, vel è contra, calidus ſudor cum frigido corpore exire ſolet: Hipp. primos duos modos intelligit: ſed & tertius non minus eſt lethalis cum acuta febre, quia ex eo ſignificatur exhalatio calidi innati, præcipuè cum præceſſit ſpiratio frigida, vndè Hippoc. ſigna lethalia dixit percutim calidus vapor, ſi nares prius frigidum ſpiritum reddidere, ſed quòd eò loci ſubiungit, contraria vitalia, dubitationem habet, quia ſi quis cum calida reſpiratione frigidum excidet malum, ſanè hic habetur. Dic illud contrarium non referri ad prædicta verba, ſicut calida reſpiratio cum frigido vapore ſit bona, ſed quòd vitalia ſigna ſunt non reſpirare frigidum cum vapore calido, & quæcumque potius calorem naturalem in reſpiratione indicant, & corporis temperiem per moderatum vaporē.*

6. Epid. ſect. 5.

APHORISMVS XXXVIII.

Qua corporis parte ſudor, &c.

Cõnexio. *CVm in duobus antecedentibus de ſudore egiſſet, & quoad tempus, & quoad qualitatem, nunc de illo verba facit, locum aſſumens, vnde exit.*

Intentio. *Qua corporis parte ſudor eſt, ibi morbus.*

Rõ intentionis. *Vt per hoc ſignum partem affectam cognoſcere doceat: eſt enim hic Aphoriſmus exemplum eorum, quæ ſupradicta ſunt de abſceſſu partiũ.*

Demõſtratio. *Sudor partis, à qua effluit, diſpoſitionem indicat non naturalem: ergò morbum.*

1. Epid. *Antecedens patet: quia pars, quæ ſecundum naturam ſe habet, non ſolet exudare: vndè ſcripſit ſudores ex morbis fieri, ſeu calidos, ſeu frigidos. Conſequens probatur, quia omnis diſpoſitio præter naturam dicitur morbus ſaltem materialiter, licèt non formaliter, quòd eſt operationes inſigniter lædere.*

1. adnotatio. *Quòd ſudor vel eſt in parte aliqua corporis, vel in toto: rurſus, vel fit ex cauſa manifeſta, vel ſine ca: iterum vel eſt criticus, vel ſymptomaticus. Sententia itaque Hippocr. de ſudore illo vera eſt, qui perſeuerat, & ſine cauſa eſt manifeſta, & qui in parte vna fit: quia licet etiam ſudor in toto corpore morbum totius oſtendat; tamen id in febribus accidit, in quibus non ita curamus de parte affecta: verum non ſolum iam*

actu ægrotante homine ſudor indicat partis morbum: ſed etiam ſi per ſanitatem pars exudare ſolet, ad illum firmari ſolet morbus, iuxta illud antea: ſed ſi quæ pars ante morbum laborauerit, ibi morbi ſedes.

Quòd morbi nomine Hippoc. ſignificare ſolet non ſolum affectum, ſed cauſam illius, & ſymptoma: omne denique quod eſt præter naturam, & ita intelligere decet Aphoriſmum, vt aliquando morbum, aliquando morbi cauſam, aliquando ſymptoma, aliquando hæc omnia adſint in parte, quæ exudat. Rurſus cum hæc vel per eſſentiam, vel per conſenſum eſſe poſſint, ita intelligere oportet, vt in parte exudante morbus ſit, vel per conſenſum, vel per eſſentiam. Ex hoc Aphoriſmo habes, homines qui per ſanitatem exudant, aut corpore toto, aut manibus, idque frequenter, minus ſalubres eſſe, quàm eos, qui non ita exudant: quia ſudor ille aſſiduus indicat, vel ſanguinẽ ſeroſum nimis, vel retentricis infirmitatẽ. — 2. adnotatio.

APHORISMVS XXXIX.

Et qua parte corporis calor, &c.

CVm præcedenti optima ratione annectitur hic Aphoriſmus, ſiquidem in vtroque de cognoſcenda parte affecta agitur, & ſanè tam ille, quàm hic partes ſunt Aphoriſmi 33. in quo ex labore colligebat partis infirmitatem, & in antecedenti ab excretis, ſ. ſudore, ſ. in hoc verò à qualitate mutata affectum locum dignoſcere docet. — Cõnexio.

Qua parte corporis calor, aut frigus, ibi morbus. — Intentio.

Vt ex qualitate mutata medicus partem affectam dignoſcat; & per conſequens infirmam eſſe, & debilem, quæ intra corpus tales habet affectiones. — Rõ intentionis.

Sanitas in tẽperie conſiſtit: ergo qua corporis parte calor, ibi morbus. — Demonſtratio.

Antecedens eſt manifeſtum, & conſequens non indiget declaratione.

Quòd morbus non eſt verè intemperies, ſed quidpiam aliud intemperiem ſequens; Medicus tamen non diſtinguit iſtas diſpoſitiones, quia parum refert ad curam, ſed ſanitatem vocat temperiem, morbum autem intemperiem: ideò non eſt abſurdum intemperiem ſignum eſſe ipſius morbi, calidum, ſcilicet, & frigidum: igitur hic per morbum infirmitatem poteris intelligere, vt ſi ſani pars calet corporis, aut friget infirma ſit, & ad illam firmatur poſtea morbus, ſicuti actu ægro etiam ex iſtis qualitatibus morbus ſignificatur, & perindè affectus locus. — 1. adnotatio.

Quòd ſicuti de ſudore diximus ad veritatem huius Aphoriſmi requiritur, quòd pars aſſiduè patiatur eam affectionem, & quòd à cauſa manifeſta non fiat. Cæterum non modo calor, vel frigus partem indicat affectam, in qua ſunt, ſed quicumque labor; vt ſupradictum eſt, & ſudor, — 2. adnotatio.

dor, & dolor, & coloris mutatio, & tumor. Cæterum cuidam calor erat validus in planta pedis, qui cum alterantibus frigidis remoueri non poſſet facta loci ſcarificatione ſanatus eſt, quòd ex ſanguine eo caleſcente nec reſpirare potentem originem haberet calor ille: alter uerò in collo & lumbis eundem ſentiens calorem, miſſo prius ſanguine, inde ſcarificatione reductus eſt.

APHORISMVS XL.

Quibus in toto corpore, &c.

Cõnexio. *CVm de calore, & frigore in antecedenti tractaſſet, nunc de mutatione, quæ in illis fit ſermonem iſtituit.*

Intentio. *Mutationes totius corporis, vt in calore, & frigore longitudinem morbi indicant.*

Rõ intentionis. *Vt ex hoc vno ſigno Medicus longitudinem morbi prædicere poſſit.*

Demonſtratio. *Mutatio ex calido, aut frigido, ſeu in colore totius corporis, varios humores ſignificat: ergo longitudinem morbi.*

Antecedens declaratur, nam varietas illa, varietatem imo contrarietatem cauſarum indicat. Conſequens facilè ſequitur, quia multæ affectiones breui ſuperari nequeunt.

1. adnotatio. *Quòd mutatio conſideratur vel in qualitate mutata, vel excrementis, vel actione. Hippocr. exemplum affert qualitatis mutatæ, verum de omnibus vera eſt ſententia: rurſus vel mutatio eſt repentina, vel ex longis interuallis, intelligit præcipuè de repentinis, & præcipuè in febre continua, licet etiam de his mutationibus vera ſit ſententia, quæ ſenſim fiunt: poteſt autem talis varietas mortem ſignificare, ſi virtutem imbecillem inueniat, ſed vbi fortis fuerit, diuturnitas ſignificatur, & non ſolum diuturnitas, ſed etiam difficultas iudicij, & tales maximè ſunt febres autumnales.*

2. adnotatio. *Quòd hic Aphoriſmus ad febres compoſitas pertinet, ideò ſciendum, quòd compoſita febris, vel eſt confuſa, quando humores diuerſi in unum coeunt vt in tertiana notha vel eſt implicita, quando ſcilicet humores in varijs locis ſunt diuerſi, quæ ambæ febres longæ eſſe ſolent: Epialæ itaque, & Lyperiæ febres ſunt in quibus mutationes fiunt, & caloris, & frigoris, & coloris ſicuti ſemitertiana. At dices Hippoc. laudat mutationem coloris in Prognoſt. An quòd ibi intelligit de humorum tenuitate, quæ facilè à calore transmutatur, nec diu durat? At dices iterum, varietas videtur arguere breuitatem; vnde dixit ante, febres, quæ eadem hora corripiunt, longas eſſe: ſed non concludit, quia aliud eſt fieri affectionem ſine ordine; aliud diuerſitas illius: rurſus illud in toto*

corpore

corpore intelligere oportet, vel abſolutè, vel diſtributiuè, modò in vna, modò in alia parte.

APHORISMVS XLI.

Sudor multus per ſomnum factus, &c.

Cvm antea dixiſſet ſudorem indicare morbum partis illius, vnde effluit, nunc de ſudore agit, qui in ſanis fierit ſolet. Cōnexio.

Duæ proponuntur concluſiones: prima dicit ſudoris multitudinem per ſomnum indicare nimiam cibi copiam: ſecunda verò purgationem, vbi moderatè comedatur. Intentio.

Vt oſtendat præcauere morbum futurum, tum ex plenitudine, detrahendo cibum, tum ex corruptione, purgando. Rō intentionis.

Sudor multus per ſomnum factus grauari facultatem indicat: ergo fit à copioſiori cibo. Antecedens patet, quia natura non potens tantam ſuſtinere copiam, retinere nequit. Conſequens probatur, quia ſupponit bene comedere, & appetere hominem. Demonſtratio 1.

Sudor multus per ſomnum factus in eo, qui modicum aſſumit cibum plenitudinem, aut cacochimiam indicat, & humorum prauitatem: ergo vacuatione indiget. Antecedens probatur, quia iam plenitudo ſanguinis, ſicuti cibi, aggrauat naturam, vnde ſudor. Item mala humorum qualitas à natura per ſudorem ſolet emitti, vnde dicebat, qua corporis parte ſudor, ibi morbus. Conſequens patet: quia plenitudo euacuationem indicat, quæ ſanguinis miſſione fit, at cacochimia eam, quæ purgatione. Demonſtratio 2

Quòd multus ſudor per ſomnum factus intelligi debet ſi ſine alia cauſa euidenti non fiat, vt exercitio, aut ſudorificis remedijs, aut calido thalamo, ſeu humido. At dices, ſi ita intelligamus Aphoriſmum, non continebitur copioſior cibus in prima concluſione, cum ſit cauſa manifeſta. Dic, quòd licet cibus ſit cauſa manifeſta, non tamen ita apparet, cæterum non ſolum copioſiori alimento ſignificat multus ſudor, vti corpus ſed potu: quia non minus exſudant, qui multum bibunt, quàm qui edunt: intelli ge etiam, dummodo non ſit homini in conſuetudine: in hoc igitur caſu minuere oportet, & exercere corpus. 1. adnotatio.

Quòd ſomnus, ſi quæ alia cauſa ſudorem promouere ſolet, qui morbos indicat, qui viget per id temporis euaporans calor, & adiuuat frigiditas cutis, & quia ſudores, qui in colliquante febre, & animi deliquio fiunt, à ſomno non ſolent fieri, neque etiam multi, neque ex toto corpore, qui nulla indigent vacuatione. Cæterum vbi per ſomnum multus fit ſudor, ſi modicè aſſumat, indiget euacuatione, & quæ ſanguinis miſſione fit; ſi plenitudo ſit in cauſa, deinde, & quæ purgatione, tum ſuperna, tum inferna, 2. adnotatio.

inferna, ſi humoris prauitas ſit in cauſa: cæterum hic Aphoriſmus ferè eandem ſententiam habet cum 8 ſecundi lib. in quo ſcripſit Hippoc. ſi à morbo cibum aſſumens quiſpiam vires non recipiat, copioſiore alimento corpus onerari indicat, ſi verò modicè epulanti hoc accidat, purgatione indiget, quo in loco Gal. illud aſſumere intelligit, vt fiat cum appetentia, & benè nutriantur: at illud nō aſſumere ſine appetentia, quare purgatio eſt neceſſaria iuxta humoris peccantis qualitatem.

APHORISMVS XLII.

Sudor multus frigidus, &c.

Cōnexio. *SEquitur Hippoc. ſicuti in antecedentibus ita etiam hic ſudoris materiam iuxta multitudinem, & tempus.*

Intentio. *Sudor multus aſſiduè fluens, calidus minorem, frigidus maiorem morbum oſtendit.*

Rō intentionis. *Vt ex ſymptomatico ſudore morbi magnitudo, aut præſentis, aut futuri dignoſcat, at tum maiori periculo in frigido, quam in calido.*

Diuiſio. *In duas partes diuidi poteſt præſens ſententia, vt in prima ponat tacitè concluſionem, quæ abſolutè ex continuo ſudore colligitur: in altera uerò diſtinctè comparando morbum frigidi ſudoris ad morbum calidi.*

Demonſtratio. 1. *Sudor ſemper fluens multitudinem materiæ indicat: ergo morbum magnum. Antecedens patet: quia non fluit perpetuò ſudor niſi à multa materia. Conſequens deducitur, quoniam ſudor multus, & aſſiduè fluens ſymptomaticus eſt neceſſariò, quia criticus non ſolet diù durare: ergo morbi magnitudinem oſtendit.*

Demonſtratio. 2. *Sudor frigidus crudiorem, & magis pertinacem cauſam ſignificat, quàm calidus: ergo maiorem morbum.*

Antecedens probatur, quia ſudor frigidus maius ſupra naturam materiæ dominium indicat, quàm calidus, cum non poſſit calefieri: quare Hippoc. 1. de morbis ex crudo procedere malo, & non ſuperato ſemper talem ſudorem ſcribit. Conſequens manifeſtè ſequitur.

1. adnotatio. *Quòd ſudor multus ſemper, aut frequenter fluens in ſano morbum futurum indicat, in ægris morbum magnum: nam ſudor criticus vno, aut duobus diebus durat, & morbum tollit, non ſic cum per totum fluit morbum: frigidus igitur, ſeu calidus ſit, ſemper ſymptomaticus eſt, ſed frigidus, vt vitæ inimicus magis, maius ſemper indicabit malum: omnis igitur ſudor aſſiduè fluens longitudinem morbi ſignificat, ſi calidus fuerit, & vires valeant: verum frigidus non modo morbum longum, ſed lethalem ſignificat, ſi fuerit acutus, etiamſi fortes ſint vires, vt antea dictum eſt.*

Quòd

Quòd quædam ſunt febres, quæ perpetuum habent ſudorem, & ſi fuerint acutæ, peſſimus eſt ſudor iſte quia exolutionem indicat. Huius generis ſunt febres Anglicæ, quæ 24. horarum ſpacio hominem tollunt: cæterum ſeptimo libro Hippoc. calidum, ſeu frigidum ſudorem purgationem indicare dixit, in robuſto per ſuperiora, in debili autem per inferiora, cum enim talis ſudor copiam materiæ oſtendat, euacuatione indiget, & reuulſione. 2. adnotatio.

APHORISMVS XLIII.

Febres, quę tertio quoque die, &c.

CVm in antecedentibus Aphoriſmis de iudicio egiſſet, quod à ſudore ſumitur, nunc de eò agit quod à morbo, & potiſſimum febrili capitur. Cōnexio.

Duæ proponuntur concluſiones: prima docet febres, quæ tertio quoque die vehementius affligunt eſſe periculoſas: ſecunda verò habet, eaſdem, quouis modo intermittant, vacare periculo. Intentio.

Vt in omni febre ſignum ad prædictionem deſcribat, ac intermittentem febrem omnem periculo vacarē demonſtret? Rō intentionis.

Ideò in duas partes iuxta duas concluſiones Aphoriſmus diuidi pōt. Diuiſio.

Febres, quæ tertio quoque die magis affligunt, & continuæ ſunt, acutæ ſunt: ergo periculoſæ. Demonſtratio. 1.

Antecedens patet, quia bilioſæ ſunt, & quia continuæ, neceſſe eſt eſſe acutas, unde ſcripſit Hippoc. in continua febre eſſe morbos acutiſſimos, & maximè læthales. Conſequens manifeſtè ſequitur, quia omnis acutus morbus eſt cum periculo. 6. Epid. ſect. 3.

Febres, quæ quouis modo intermittunt naturam morbum ſuperantem oſtendunt: ergo ſine periculo. Demonſtratio. 2.

Antecedens probatur, quia interuallum illud ſine febre, ſignificat ſuperari cauſam morbi, ſaltem coniunctam, & acceſſionem facientem, & in vllo tempore reficitur natura, & recuperatur.

Quòd febrium quædam ſunt continuæ, quædam intermittentes: rurſus continuæ, aut acceſſiones non habent, vt ſynocha, & cauſon: aut habent acceſſiones, & ſi habent, vel quotidie, vel de tertio in tertium, vel de quarto in quartum. Hippoc. in prima parte de continuis loquitur, quæ de tertio in tertium exacerbantur, quæ ſunt bilioſæ febres continuæ, vel ſimplices, vel compoſitæ, vt in hemitriteo, ſeu ſemitertiana, & has potiſſimum dixit eſſe periculoſas, quia magis ſunt acutæ, quàm continua quotidiana, aut quartana, quàmuis & hæ periculoſæ ſint, ſicuti omnis continua febris, illud autem tertio quoque die vehementius affligentes 1. adnotatio.

non

non intelligere debemus, quoad augmentum mali, ſed quòd grauiores ſint ſingulo tertio die, quàm in intermedio, quia ſi primo modo intelligeret, valdè clara doceret.

2. adnotatio. *Quòd ſecunda Aphoriſmi pars aut de eadem tertiana intelligenda venit, quæ ſi fuerit intermittens periculo vacat, aut de remiſſione acceſſionis, ita vt ſi intermittat, aut declinet, non ſit periculoſa, aut de omni febre intermittente interpretari licet periculò vacare, quibus omnibus modis vera eſſe poteſt ſententia. Verum dices, quotidiana & tertiana notha, & duplex tertiana, non videntur vacare periculo, quamuis ſint intermittentes, & ego vidi intermittentem febrem rigore occidiſſe hominem, erat tamen ſenex. Dic, quantum in ſe eſt intermittentem febrem eſſe ſine periculo, attamen ratione ætatis, vb virium languorem, aut alterius morbi, periculoſam aliquando fieri, quinimo febres intermittentes occidere non poſſe videntur, niſi in continuam tranſeant: illud autem periculoſum dupliciter intelligitur, vel abſolutè, vel quòd valdè tale ſit: omnis febris continua ex primo ſignificatu periculoſa eſt: ſed ſi fuerit ardens, aut ſemitertiana, de quibus præcipuè loquitur, in ſecundò ſignificatu talis erit.*

APHORISMVS XLIIII.

Quos febres longæ, &c.

Cōnexio. *CVm in laſſitudinoſis febribus ſperandum abſceſſum docuiſſet ad articulos in 31. Aphoriſmo, in hoc aliud ſignum proponit, per quod ad eoſdem articulos ſperare abſceſſus oportet.*

Intentio. *In febribus longis tubercula ad articulos, vel labores fiunt.*

Rō intentionis. *Vt doceat ex morbi longitudine cognoſcere euentum illius per abſceſſum, ac perinde, quòd ſicuti breues morbi euacuatione finiuntur, ita longi per abſceſſum iudicantur.*

Demōſtratio. *Febres longæ vacuatione non finiuntur: ergo per abſceſſum ad articulos. Antecedens declaratur, quia morbi qui per euacuationem finiuntur, breues eſſe ſolent. Conſequens probatur, quia duo ſunt modi potiſſimum quibus terminantur febres, vel per euacuationem, vel per abſceſſum, & quia articuli paratiſſimi ſunt ad recipiendum, ideo ad eos morbos finiri per abſceſſum eſt veriſimile.*

1. adnotatio. *Quòd febres longæ, quædam tales ſunt abſolutè, vt quartana, aliæ verò dicuntur longæ, quia ex acutis magis quàm decet decidunt, & de his loquitur Hippoc. nam vt ſcripſit in Trognoſt. vbi magis, quàm ratio poſtulat prolongatur febris, dummodo non adſint mala ſigna, & potiſſimum ſi 20. dies tranſierint, iam enim ſperandus eſt abſceſſus ad articulos,*

culos, & potiſſimum inferiores, ſupponit autem febrem continuam, quia intermittens febris non ſolet per abſceſſum terminari, cum materia per ſingulas acceſſiones purgetur: ſolet etiam terminari ad quartanas per abſceſſum his, qui ætatem habent conſiſtentem, ſicut iuuenibus magis ad articulos. Abſceſſus itaque indicatur, cum prorogatur febris, quia cum morbus prorogatur ſine malis ſignis uirtus robuſta indicatur, ſed materia, vel multa, vel lenta, vnde ut neq; euacuari, neq; abſolutè cõcoqui poſſit.

Quòd dixit tubercula, vel labores ad articulos fieri, vel quòd tubercula intelligat ad cutim, labores uerò ad articulos, vel quòd ad glandulas iuxta articulos fiant tumores, vt poſt aures, vel in collo, & ad ipſos articulos labores ſeu dolores. At dices quõ poſſunt fieri labores, & dolores ſine tuberculis ad articulos? An quia materia poterit contineri in cauitatibus articulorum, aut in cauitatibus, & vaſis: primo modo nõ facit abſceſſum cum tumore, ſed ſecundo, cæterum cum futurus abſceſſus prædicitur, poterit medicus arte præcauere abſceſſum, euacuando materiam, aut per aluum, aut vrinas, aut alia ratione. 2. adnotatio.

APHORISMVS XLV.

Quibus tubercula ad articulos, &c.

Cum in antecedenti de abſceſſu locutus fuiſſet, qui ſequitur cauſam internam, nunc de illo agit, qui cauſam ſequitur externam, ſcilicet cibi copiam. Cõnexio.

Quibus tubercula, vel labores ad articulos poſt febres fiunt, ij cibarijs pluribus vtuntur. Intentio.

Vt Medicus diſtinguat abſceſſum, qui ratione febris fit, ab eo, qui à cauſa externa, & à nimio cibo oritur, quo detrahat victum. Rõ intentionis.

Virtus ita ſe habet ad alimentum, ſicuti ad morbum: ergò vbi quis poſt febres laborat articulis, pluri alimento vtitur. Antecedens probatur, ſiquidẽ morbi ſuperatio, ſicuti, & alimenti in coctione conſiſtit, licet morboſi humoris coctio, maturatio dicatur, & alimenti nutritio. Conſequens probatur, quia cũ natura mortificam materiã prorſus vincere non poteſt, abſceſſus facit ad articulos, & labores: ergo cum non poterit ſuperare alimentum, eadem ratione fient abſceſſus ob crudam materiam. Dẽmonſtratio.

Quòd aliqui textus non habent vocem illam, poſt febres, aliqui intelligunt in febribus alij poſt febres, vtcumque legas, nimia plenitudo abſceſſus facere ſolet, verum cum abſceſſuum potiſſima cauſa ſit, vel longitudo febris præter rationem, vel copia uictus, illud poſt febres, dictum ad differentiam Aphoriſmi antecedentis videtur, qui ponit febris longitudinem pro ſigno abſceſſus, hic ergo de conualeſcentibus magis loquitur: 1. adnotatio.

quibus abſceſſus fieri poſſunt, aut quia imperfectè ſunt indicati, aut quia licet perfectè ſint indicati, tamen pluribus cibarijs vtuntur, & diſtinguitur cum à cibi copia fiunt, tum quia præceſſit bona criſis, tum quòd appetunt, iuxta Aphoriſ. 8. 1. lib. quo dixit eos, qui à morbo comedentes non reficiuntur copioſiori alimento vti: qui verò cibum non appetunt, neque aſſumunt, indigere purgatione. Verum illud poſt febres acutas intelligere decet, quia poſt illas magis probabile eſt oriri à cauſa externa abſceſſum, quàm poſt longas, quippe quæ magis ad abſceſſum faciendum ſint paratæ, quàm acutæ.

2. adnotatio. *Quòd non ſolum vera eſt ſententia hæc, abſceſſus fieri ad articulos poſt febres, ſi pluribus vtantur cibis, ſed etiã ſi prauis vtantur, quàmuis quãtitate non excedant: quare ſcripſit Hippoc.* (2. Epid.) *eos, qui in Æno leguminibus veſcebantur, cruribus inpotentes factos eſſe. Antecedens itaque de abſceſſu eſt, qui ſuccedit febri, etiamſi nullus committatur error, hic verò de eo qui culpa ſit ægroti, quamuis vtraque de cauſa fieri poſſit.*

APHORISMVS XLVI.

Si rigor febre non intermittente, &c.

Cõnexio. *Cvm ante de rigore ſexta die adueniẽte habuiſſet ſermonem, eumq; vituperaſſet, nunc eundem rigorem in conſiderationem ponit, ad virtutem comparando.*

Intentio. *Rigor in continua febre ægrum iam debilem inuadens eſt læthale.*

Rõ intentionis. *Vt per hoc ſignum poſſit Medicus prædicere malum exitum in febre cõtinua, ac perinde omne validum ſymptoma, ſi adueniat iam debili virtute, eſſe læthale: vt ſi cum virium languore, & ægro iam debilitato, vel delirium, vel conuulſio, vel difficultas ſpirandi, aut ſi non videat, vel nõ audiat: hæc n. adiuncta debilitati viriũ per acutas febres mortalia ſunt.*

Demõſtratio. *Rigor inuadens ægrum iam debilem in febre continua, victam naturam à morbo ſignificat: ergo mortalis.*

Antecedens probatur, ſiquidem cũ ſupponatur magnus morbus, quia febris ponitur continua, ac debilitas virium, neceſſe eſt rigorem ſuperuenientem eſſe ſymptomaticum, & non poſſe naturam morbum ſuperare.

1. adnotatio. *Quòd frigiditas, rigor, & horror ſecundum magis, & minus differunt: hic verò omnes tres ſpecies prædictas intelligere poſſumus: at de extremorum frigiditate dicet 48. ſequenti: ergo magis de horrore, ſeu rigore intelligit, qui horror, ſeu rigor nõ ſolum eſt ſignũ malum in magno morbo cum debilitate virium, ſed & cauſa naturam debilitans & conquaſſans. Non ſupponit autem extremum virium languorem, quoniam rigor in eo fieri poſſe nequaquam videtur, ſaltem ratione uirium tentantium criſin.*

Quòd rigor, vel ſemel inuadit, vel pluries, & hoc, vel in intermittente febre, vel continua: ſententia eſt de rigore, ſeu ſemel, ſeu pluries inuadat, non in intermittente, ſed in continua, licet etiam aliquando in febre intermittente in ſenibus rigor poſſit interimere hominem, veluti ipſe vidi in Ioanne Fatio Genuenſi: erat autem ſenex, etiam per dies 34. febre tertiana duplici laborabat, & rigor acceſſionis eum interfecit non potente ferre natura: at rarò contingit in intermittente febre iſte caſus, quia vt plurimum ſalutares ſunt tales febres, rigor autem in hoc caſu, vel naturam indicat criſin tentantem, & non potentem perficere, aut totus morbificus eſt, & naturam magis proſternens. 2. adnotatio.

Quòd virtutis debilitas dupliciter contingit, vel per oppreſſionem, vel reſolutionem: rurſus ſi ſecundo modo debiles ſunt, vel dicuntur tales abſolutè, vel poteſtate. Nõ intelligit Hippoc. de debilitate virium, quæ fit per oppreſſionem, licet in his aliquando verificari poſſit ſententia: ſed de illis intelligit, quibus ob diſſolutionem ſunt exhauſtæ vires quouis modo id contingat, licet viribus iam proſtratis non videatur fieri poſſe rigor, ſed magis frigiditas: at ſi rigor inuadat hominem viribus valentem, & febre non ſoluatur, tunc difficilè iudicium ſignificat, & morbi longitudinem, non tamen neceſſariò mortem. 3. adnotatio.

APHORISMVS XLVII.

Excreationes in febribus, &c.

CVm in antecedenti Hippoc. ex actione læſa, ſeu qualitate mutata, rigore inquam, ad prænotionem ſumeret indicium, nunc ad excrementa tranſit, quæ per os excreatione pelluntur. Cõnexio.

Tres ponuntur concluſiones in textu, & ideo iuxta illas in tres partes rectè diuidi poteſt: prima aſſerit excreationes in febribus non intermittentibus, liuidas, cruentas, fœtidas, bilioſas, omnes malas: ſecunda ponit bonas eſſe, ſi commodè prodeant: tertia autem idipſum de alui, & vrinnæ excrementis pronunciat. Intentio, & diuiſio.

Vt Medicus præcipuè conſideret excrementorum qualitatem, ſeu ad ſputum pertineant, quæ de morbis thoracis iudicant, ſeu ad alui excrementa, quæ ventris inferni indicant diſpoſitiones, ſeu ad vrinas, quarum inſpectio magni momenti eſt in venoſo genere. Rõ intentionis.

Excreatio in febre non intermittente liuida, cruenta, fœtida, aut bilioſa ómnes ſunt præter naturam: ergo malæ. Demonſtratio 1.

Conſequens manifeſtum eſt. Antecedens probatur, quia valdè diſtant à naturali excretione, ſeu per ſanitatem, ſeu per morbos benè indicandos. Per ſanitatem ſputum album eſt, & commixtum, ac lene: verum in morbis thoracis bonum ſputum debet eſſe commixtum ex albo, & flauo, aut ſubrubro, & flauo, vt in Progn. ſcripſit: quorum nullus eſt ex his, quæ hic ab Hippoc. numerantur.

Demonſtratio 2. *Excreationes commodè ſi prodeant bonæ: hæc concluſio de ſe clara eſt, commodè autem prodire eſt, quòd præcedente coctione fiant, aut iuuent, & dolorem ſedent, nec tamen referre oportet hanc concluſionem ad primam: quaſi commodè prodire poſſit, aliquando fœtida excreatio, aut liuida: hoc enim eſt impoſſibile, ſed commodè ad excreationem in vniuerſum referre oportet.*

Demonſtratio 2. *Tertia concluſio ex prima deduci poteſt, quia ſi in excreationibus, quę à natura valdè diſtant malæ ſunt: igitur, & in vrinis, & fæcibus quicquid non exit cum iuuamento malum eſt, quia non qualia oportet educuntur, ſi non iuuat: contrà verò ſi iuuat, qualia oportet educuntur.*

1. adnotatio. *Quòd excreatio dicitur non ſimpliciter ſputum, ſed quicquid ſcreatu educitur, aut per tuſſim excreatione ex capite educi ſolet materia, tuſſi verò ex thorace, cæterum ſputum fœtidum, aut liuidum, non ſolum malum eſt, ſed læthale, non ita bilioſum, aut cruentum, & ideò dixit malum, addit autem in febre non intermittente, tum quòd hæc ſæpius in ea accidant, tum quia continua febris addit ad malitiam ſigni.*

2. adnotatio. *Quòd licet aliquando praua excrementa iudicent morbos, vt ſi poſt coctionem appareant, unde dixit ante nigram bilem apparentem in principio læthalem, quaſi poſtea ſi appareat non talem neceſſariò eſſe: tamen liuida, aut fœtida excreatio, vel deiectio numquam benè iudicare poſſunt morbum, ſicuti neque pinguis: ideò talia excrementa numquam commodè educuntur. At dices, ſi illud verbum commodè, ad prædictas excreationes non refertur, nimis redditur ſententia clara, & indigna Hippocr. quis enim negat ſi commodè prodeant iuuare? an quòd commodè exire iuuamentum intelligit à poſteriori colligens, etiam ſi aliàs videantur praua excretiones? cum verò ait in fine aphoriſmi; ſi quid verò quod non iuuet per hæc loca excernatur, malum, intelligit non ſolum malum ſi nocet, ſed etiam ſi non iuuat, ita ut conuerti velit iſtam propoſitionem, ſi excreta cum iuuamento veniunt bona, ſi verò non iuuant non bona, vtcumque appareant, nam aliquando bona natura oſtendit, cum reuera talis non ſit: aliquando mala cum criticè expellantur, attamen iuuat.*

APHORISMVS XLVIII.

In febribus non intermittentibus, &c.

Connexio. *Antea dixit Hippo. de rigore ſuperueniente in continua febre læthalem eſſe, cum ægrũ debilem apprehendit, nunc de frigore agit, quod in eadem continua febre apparere ſolet cum pernicie.*

Intentio. *Frigiditas externarum partium in febre continua cum ardore internarum, & ſiti, mortale eſt.*

Rõ intentionis. *Vt oſtenda, quàm ſit horrendum ſymptoma hoc, per continuas febres, ſi partes externæ frigeſcant, ardentibus internis.*

Extremarum partium frigiditas cum ardore internarum, & ſiti peſſimum morbi indicat: ergo lathalis. Demonſtratio.

Antecedens declaratur, quia affectio hæc indicat viſceris interni tam grandem inflammationem, vt attrahat calorem, quaſi cucurbitula inuita natura, quod ex ardore internarum partium, & ſiti colligitur.

Quòd dixit in febre non intermittente, quia in intermittente non eſt mortale, ſiquidem in principio acceſſionis talia ægrum corripere ſolent, ita etiam aliquando fit lipotimia ex mordacibus humoribus ad os ventriculi, & externa refrigerantur cum ardore internarum, & ſiti, non tamen perinde mortale eſt malum, cæterum partes externas intelligere oportet ipſomet Hippoc. auctore in Prognoſt. caput manus, & pedes internas verò, ventrem, & coſtas. 1. adnotatio.

Quòd hic Aphoriſmus differt à primo ſeptimi lib. in quo dixit in acutis frigus extremarum malum, tum quòd ille vniuerſalior eſt, tum quòd non addit ardorem internarum, neque ſitim, ideò non vt hic læthale, ſed malum dixit. Cæterum extremorum frigiditas vel fit à principio febriū, & comitatur illam, vt in liperia, & ardente febre ex pituita ſalſa, vel eſt ſuperueniens febribus continuis, & hoc vel iam extremè debilitatis, vel adhùc cum virium robore, de omnibus vera eſt ſententia: at ſi fuerit primo modo, non ita malum, at cum ſuperuenit tertio modo, cum fit, non ſolum læthale, ſed propinquam mortem ſignificat, quia ex paucitate caloris aduenit, qui non poteſt extendi ad partes externas, cæterum læthale hic non neceſſariam mortem ſignificat, ſed quæ vt plurimum accidat, aliquando enim frigidæ ſunt partes externæ, quia obſtructio viarum impedire poteſt quo minus calor diffundatur, etiam ſi nulla adſit inflammatio. Lippyria item febris non eſt mortalis ſemper, & eius mentionem fecit ſecundo de morbis, & illius curam affert. Nota verò ſitim additam, vt confirmaret inflammationem internam, quia ſi ſitis non adſit, non perindè neceſſarium fuerit. At dices, ſi ardent partes internæ, neceſſariò ſitis aderit. Dic, non eſſe neceſſariam ſitim ſemper, etiamſi ardeant interna, vt ſi corrumpatur ventriculi temperies, vel ſi in ore ventriculi multa pituita ſit, aut tuſſis adſit, febres verò ardentes, quæ ſine ſiti ſunt maligniores habentur, quia valdè diſtant à ſua natura. 2. adnotatio. Hippoc.

APHORISMVS XLIX.

In febre non intermittente, &c.

CVm ſuprà, rigorem mortalem ſtatuiſſet, qui in continua febre ægrū iam debilem inuadit, nunc alia ſigna proponit, quæ & ipſa cum virium languore mortem ſignificant. Cōnexio.

Intentio. *Peruerſio labri, aut ſupercilij, aut naſi, aut oculi, ſi non videat, aut non audiat in debili ægro, ac febre continua, mortẽ propinquã oſtendunt.*

Rõ intentionis. *Vt non ſolum colligat ex prædictis ſignis malum euentum, ſed tempus illius iam affore demonſtret: vnde certius hic, quàm 46. mors ſpectanda ſit.*

Rõ intentionis. *Prædicta ſigna iam extinctam facultatem oſtendunt, & penitus ſuperatam: ergo mors propinqua aderit.*

Antecedens probatur: nam peruerſio oculi, aut naris, aut labij, aut ſupercilij conuulſionem ex ſiccitate denunciant, cum verò magnus morbus ponatur continua febris, & virium debilitas, ſignum erit, extremum mali aduenire. Eſt autem non ſolum ſignum, ſed cauſa mortis propinquæ conuulſio: ſed non videre, nec audire iam prorſus extinctam indicant cerebri facultatem: hæc enim iam morituris aduenire videmus.

1. adnotatio. *Quòd virium robur in tribus membris cognoſcitur, hepate, corde, & cerebro: in hepate per excrementa dignoſcitur, vrinas, ſcilicet, alui fęces, ſputa: in cerebro ex motu, ſenſu, ſternutatione: in corde, pulſu, reſpiratione, conſtantia, quæ omnia ſunt illarum partium opera: adde ætatem, anni tempus, temperamentum, per quæ omnia, vel robur, vel virium imbecillitas dignoſcitur.*

2. adnotatio. *Quòd iſta omnia accidentia tripliciter contingere poſſunt, aut criticè in perturbatione, ſcilicet præcedente iudicium, aut per abſceſſum in peſſimis morbis, vnde partes mutilantur, (ſed in vtroque caſu adeſt robur virium,) aut ſequuntur extremam ſiccitatem, & ſpirituum conſumptionem, quod hic intelligit, & accidunt viribus iam valde debilitatis, ſed conuulſio non ita debilitatis extremè, eſt ſymptoma, maiorem tamen indicat virium debilitatem ſenſus imbecillitas: nota tamen quòd in morbis aliquando accidunt iſta, qui non ſunt acuti, ac non perinde mortem propinquam indicant, quia fieri poſſunt ob materiæ defluxum, & per conuulſionem ex plenitudine.*

3. adnotatio. *Quòd propinquam mortem intelligere debemus ſpacio 24. horarum futuram, paulò plus, aut minus: accidunt autem talia ſigna communiter illis, qui moriuntur in febre acuta, & cum ariditate cutis, tales enim conuulſi moriuntur: contra quibus dura, & rara cutis cum ſudore deficere dixit: ferè tamen non vident, aut non audiunt morituri.*

APHORISMVS L.

Vbi in febre non intermittente, &c.

Cõnexio. *CVm de ſuperuenientibus ſignis lætbalibus in febre continua hactenus ſermonem inſtituiſſet, nunc eandem proſequens materiam duo ſigna valde celebria accipit in eandem intentionem.*

Vbi

Vbi in febre continua difficultas ſpirandi, & delirium acciderit, mortale. Intentio.

Vt oſtendat per iſta duo ſigna poſſe medicum mortem prædicere quippe quæ magna ſint, & grauia, & notatu digniſſima, ac perinde contrarium non paruam habere vim ad ſalutem. Rō intentionis.

Omnis continua febris ex ſe periculoſa eſt: ergo cum difficultate ſpirandi, & delirio mortalis erit. Demōſtratio.

Antecedens probatur, quia febris omnis continua acuta ferè eſt, vnde periculoſa. Conſequens deducitur, quoniam ſi morbo ex ſe periculoſo peſſima adueniant ſigna, malitiam addunt, & lethalem faciunt morbum: peſſima autem ſunt ſigna duo aſcripta, quippe quæ phrenitidem ferè faciant.

Quòd iſta duo, difficultas ſpirandi, & delirium, vel ſtatim à principio adueniunt, vel poſtea apparent: rurſus ſi poſtea apparent, vel durant, aut non durant: ſi à principio adueniant, & durent, phrenitidem ſignificant, quę lethalis morbus eſt: ſed ſi poſtea appareant, & non durent, poſſent criticè apparere, & indicat raptum materiæ ad caput, quòd ſi durent iam lethalia ſunt, & magis quàm à principio, quia vires debiliores ſunt. Hæc enim duo ſigna vel phrenitidem oſtendunt pendentem ex cerebri inflammatione, ſi reſpiratio fuerit rara, & magna, aut ſepti tranſuerſi, ſi inæqualis, & crebra, aut dolorem, vel inflammationem partium pectoris. 1. adnotatio.

Quòd multæ ſunt differentiæ læſæ reſpirationis: alia enim dicitur ablata, alia imminuta, alia deprauata: ablata reſpiratio in homine uiuente eſſe non poteſt, quia quamdiù viuit, reſpirare eſt neceſſe, quàmuis in hiſtericis, & apoplecticis quibuſdam aliquando ad ſenſum appareat ablata. Quare de illa Hippocr. mentionem non facit, ſed de imminuta, vel deprauata, cuius inſigniores differentias Hippoc. lib. Epidem. enumerauit, aute enim eſt parua, & denſa, vel magna, & rara, vel parua, & rara, vel magna, & denſa: rurſus, vel eſt intus parua, extra magna, vel ſub dupla, aut calida, vel frigida. Magna reſpiratio vel talis eſt, quia multus aer attrahitur, vel quia multum eleuatur thorax, & ſcapulæ: quæ verò talis non eſt, ſed apparet magna, eſt peſſimum reſpirationis genus, quod ex virtutis imbecillitate contingit, quę cum delirio iungitur, & durat, quia non criticè, ſed ſymptomaticè, & ex vi magni morbi prouenire ſolet. 2. adnotatio.

APHORISMVS LI.

In febribus abſceſſus,&c.

Cõnexio. *Sequitur Hippoc. ſicuti in antecedentibus, prognoſticon in acutis: & accipit tempus euentus, longum, aut breue, cum de euentu ipſo morbi in antecedentibus egiſſet.*

Intentio. *Abſceſſus in febribus, qui primis iudicationibus non ſoluuntur, longitudinem morbi indicant.*

Rõ intentionis. *Vt oſtendat morbos, qui primis diebus iudicatorijs non ſoluuntur, eſſe longos, ac perinde Medicum ex eo ſigno prædicere poſſe affectionis diuturnitatem.*

Demonſtratio. *Abſceſſus, qui primis indicationibus non ſoluunt febres ſunt acritici: ergo longitudinem morbi indicant.*

Antecedens probatur: quia ſi vel ex toto, vel magna ex parte non ſoluunt febrem, ex multitudine materiæ oriri ſolent, quam facultas ferre nequit: ergo longus erit morbus.

1. adnotatio. *Quòd abſceſſus apud Hippoc. ſignificat, quemcumque naturæ motum, ſeu per effluxionẽ fiat alicuius humoris, ſeu per decubitum ad aliquam corporis partem: de quo vtroque modo vera eſt Hipp. ſententia: eſt aũt abſceſſus quidam criticus, quidam ſymptomaticus, quidam medio modo ſe habens: primo modo ſolet febrem tollere, vel in totum, vel magna ex parte: at ſecundo, ac tertio modo, morbi longitudinem oſtendit: at purè ſymptomaticus, non ſolum longitudinem, ſed mortem indicat, ſi morbus validus ſit, & vires non robuſtæ.*

2. adnotatio. *Quòd verbum illud, ſoluuntur, multis modis exponitur, quibuſdam actiuè, ſicut qui abſceſſus non ſoluunt primis iudicationibus febrem, longitudinem indicent, quomodo veriſimile eſt intelligere Hippocr. Alijs verbum paſſiuè legitur, vt ſi non ſoluantur abſceſſus: quod dupliciter contingit, aut de abſceſſu, qui febrem præcedit, aut comitatur, qui morbus eſt, vt phrenitis, pleuritis, ſi non ſoluantur primis iudicationibus, ſint longa: aut de abſceſſu, qui ſequitur febrem, vt de tumore pedum, aut de parotide: ſi primo modo, etiã vera eſt ſententia: at ſecundo modo, non item: quia etiam ſi permaneant abſceſſus, febris tolli in totum poteſt.*

3. adnotatio. *Quòd primæ indicationes in continuis febribus ſunt per quaternarios vſque ad 20. cum enim acutiſſimus fuerit morbus, vſque ad ſeptimum, cum exactè acutus, ad 14. aut tardius ad 20. quibus in diebus ſi abſceſſus morbos non ſoluunt, ſignificatur non poſſe naturam breui morbum ſoluere, non dixit autem mortem ſignificari, quia cum morbus ſine iuditio tranſit diem, quo maximè expectabatur, ſignum eſt uirtutem poſſe*

ſufferre,

ſufferre, & poſſe uincere morbum, ſi maximum eius impetum tolerauit, ut Aphoriſmi ſententia ſit, ſi febres non iudicantur iuxta illius naturam, breues, breui tempore, breuiſſimæ, breuiſſimo, longitudo morbi ſignificatur, atque ita melius eſt exponere Aphoriſmum, & eſt magis ſecundum rei ueritatem: nam abſceſſus ſi per decubitum intelligas, ut omnes ferè uolunt non fiunt in primis iudicationibus, niſi raro, quinimmò ipſa morbi longitudo abſceſſus huiuſmodi ſignum ponitur, unde quibus febres longæ, his ad articulos abſceſſus fieri dixit.

APHORISMVS LII.

Quibus in febribus, &c.

MAnifeſtam habet Aphoriſmus cum ſuperioribus cōnexionem, eſt enim ad euentum morbi prædicendum in febribus continuis, ſicuti & illi, & ſubſequentes plurimi. **Cōnexio.**

Duas habet concluſiones Aphoriſmus: prima ponit lachrymam voluntariam in febribus & alijs morbis bonam: ſecunda uerò malam præſcribit, cum inuoluntaria eſt, quare iuxta duas has concluſiones, in duas partes partiri poteſt Aphoriſmus. **Intentio, & diuiſio.**

Vt ex accidenti notiſſimo ad prognoſticum indicium ſumat: lachrymæ enim cerebri, & oculorum nobiliſſimarum partium immo, & cordis affectiones indicant. **Rō intentionis.**

Lachryma voluntaria ſecundum naturam eſt: ergo bona, aut ſaltem non mala. Antecedens eſt manifeſtum ſicuti & conſequens, indicatur enim ſapere hominem ſi ob cauſam flet. **Demonſtratio 1.**

Secunda concluſio à contrario probatur: nam inuoluntaria lachryma inſueta homini eſt, ideò mala in febribus continuis, & acutis morbis, quicquid enim naturæ modum excedit, malum eſt. **Demonſtratio 2.**

Quòd lachryma excrementum eſt proprium oculorum, ſeroſum correſpondens ſudori, glandulæ enim ſunt ad oculos, quæ plenæ ſunt humore, & cerebrum hominis humidiſſimum eſt, qua ratione ſolus homo inter cætera animalia flet, & quia magis ſentit mala, vnde corde ſuam cerebro affectionem communicante lachrymant homines, ſeu ex meſtitia, ſeu nimio riſu: lachrymant etiam aliquando oculi per morbos peculiares ipſorum, quòd expurgentur, vt in ophtalmia, ſeu lippitudine: lachrymant & ob fumum, puluerem, aliamuè cauſam euidentem. **1. adnotatio.**

Quòd lachryma inuoluntaria, quæ nullam habet euidentem cauſam, vel criticè, vel ſymptomaticè aduenire poteſt in acutis morbis, criticè enim apparere ſolet cum cætera ſigna bona adſunt, & ſanguinis è naribus indicant effuſionem: ſymptomaticè verò fiunt, vel ob colliquationem **2. adnotatio.**

nem cerebri, aut virtutis retentricis imbecillitate: primo modo phrenitidem oſtendere ſolent: ſecundò verò modo languorem virium oſtendunt, quare iſtæ lachrymæ cum alijs ſignis malis lethales eſſe ſolent.

APHORISMVS LIII.

Quibus per febres, &c.

Cõnexio. *CVm in præcedentibus multa ad prognoſtica in febribus ſcripſiſſet, nunc ad morbi magnitudinem dignoſcendam producit ſententiam.*

Intentio. *Vehementior eſt febris his, quibus circa dentes lentor quidam obnaſcitur.*

Rõ intentionis. *Vt ſignum ſumens à parte notiſſima, nempè ore, febris magnitudinem oſtendat: vnde etiam maior febris vigor, & ſtatus illius dignoſcatur.*

Demonſtratio. *Lentor circa dentes magni caloris eſt ſoboles: ergo magnæ febris. Conſequens manifeſtè ſequitur. Antecedens declaratur. Nam calor lentoris cauſa eſt, reſoluens tenuem partem, & relinquens craſſiorem; vnde etiam colligitur talem in humoribus circa venas affectionem fieri, qualis in eo, qui in ore lenteſcit.*

1. adnotatio. *Quòd ex lentore circa dentes non ſolum vehementia febris dignoſcitur, ſed eius quoque longitudo, quia non poteſt fieri lentor ille, niſi materia, & vapor lentoris ſit particeps, & ideo à pituita: habet autem lentor circa dentes duas cauſas, calorem validum, & vapores qui aut à partibus inferioribus ad os eleuantur, aut ex capite deſcendunt, & cum ſaliua mixti lenteſcunt. Sed cur magis circa dentes dixit, quàm circa linguam, & aliàs oris partes? An quia dentes denſiores ſunt, quare humor illis facilè adhæret, & lapideſcit: itẽ, quia dentes forulos habent, & cauitates, quibus adhæret humor, in reliquis verò partibus oris, motu linguæ diſſipatur: adde dentes eſſe extremas partes, ideo in eis, & in labijs magis lentorem manifeſtari: nam extrema reſiſtunt magis, quàm media: vnde circa labia vlcera apparent in febribus, & circa manus, & pedes, hepaticis, & circa nares pruritus vaporibus elatis à lumbricis, & circa glandem vrigines licet in veſica morbi ſint.*

2. adnotatio. *Quòd ex ore, & eius partibus magna ſumuntur in febribus indicia; lingua enim & peccantem humorem oſtendit, & multa alia præbet ſicca, vel reſiccata, vel humida aliouè modo affecta: dentes exſiccati, aut nigreſcentes, gingiuæ item ita affectæ mali ſigna ſunt: labra in febribus iam ceſſantibus exulcerari ſolent, fauces conſiderandas eſſe monuit lib. 3. Progn. & horrendas eſſe dixit, ſi exulceratæ fuerint cum ſignis*

malis

malis in acutis febribus: ſitis quoque in ore apparet, aut eius carentia, cæterum lentor ille, qui circa dentes, & os colligitur abſtergi debet ſemper, quia facit ſitim, & inſuauitatem: Nota eos, quibus lentor circa dentes innaſcitur, cogi ad aperto ore hiare ob magnitudinem febris, unde etiam adiuuatur lentor ille: frigiditas enim aeris condenſans in cauſa etiam lentoris eſſe ſolet.

APHORISMVS LIIII.

Quibus ſiccæ tuſſes, &c.

CVm de febrium vehementia egiſſet in antecedenti, nunc cauſon, ſeu ardentem febrem proponit, quæ omnium ardentiſſima eſt, & notiſſimi accidentis illius, nempe ſitis mentionem facit notatu digniſſimam. Cõnexio.

Quibus in febribus ardentibus ſiccæ tuſſes paulum irritantes perſeuerant, non admodum ſiticuloſi ſolent eſſe. Intentio.

Vt cauſam doceat, cur aliquando in febre ardente ſitis non correſpondeat ardori, cum aliàs ſignum ſit patognomicum illius febris ſitis vigens, & valida. Rõ intentionis.

Siccæ tuſſes in ardentibus febribus humectant os, guttur, & fauces: ergo minus ſiticuloſæ. Antecedens declaratur, quia ſicca illa tuſſis humiditatem exprimit ab adiacentibus partibus, quæ paulatim irrigat oris partes. Demonſtratio.

Conſequens ſequitur, quia ſitis, vel oritur ex pulmone, vel à ventriculo, & augetur in ore: at iſtis partibus per illam tuſſim humectatis ſitis minuitur, quia ex ſicco fit ſitis, & intenditur.

Quòd ſitis, & linguæ ſcabrities ſigna ſunt ardentis febris perpetua. Cum itaque ſitis non adeſt in tali febre, vel neceſſe eſt corruptam eſſe facultatem ſentientem, vel mentem eſſe læſam, aut febris ardens notha eſt, non exquiſita, aut denique tuſſis hæc in cauſa eſt, non quòd abſolutè non ſitiant, ſed quòd non pro ratione febris ſitiunt: Hippocr. itaque tuſſim ſiccam proponit, vt diſtinguamus à reliquis cauſis, & minus malam putemus, cũ ſitis ab ea extinguitur, quia cauſam habet benigniorẽ. 1. adnotatio.

Quòd tuſſis, quædam eſt ſicca per quam nil aut parum admodum excernitur, quædam humida, quæ aliquid expellit: at ſicca tuſſis, aut eſt maligna, vel benigna: maligna eſt, quoties ex mala deſtillatione ſalſæ pituitæ, aut bilis acris peruenit, vt in tabidis, ſeu ex pulmonum, aut thoracis vitijs cum inflammatione, & de hac non loquitur Hippocr. qui ipſe ſe ipſum explicat. 6. Epid. docens iſtam tuſſim, quæ ſitim leuat, non debere eſſe ferinam, quia talis auget potius illam, at de benigna loquitur 2. adnotatio.

tur tuſſi, quæ ſequitur frigiditatem partium thoracis, aut humoris aquei defluxum à capite, ideo talem reperiri ſcripſit loco citato in laſſitudinoſis febribus, quæ ortum habuerunt ex labore per frigora, aut humida loca, ſeu etiam calores: ſed nudato pectore, & capite, vnde poſtea ex aeris inſpiratione, & cum loquuntur, excitatur tuſſicula illa. tales enim febres iunctæ ſunt leui cuidam deſtillationi, quæ ad os, & venas permeans ventriculi, & pulmonis, ac linguæ, aut ſitim extinguit, aut non pro ratione febris ſitiunt. Cum verò ſicca tuſſis ſitim tollere poſſit multò magis ſolet humida, ſed hic in ardentibus febribus rarò conſpicitur, quæ non pen-

6.Epid.2. *dent ex abſceſſu thoracis ob ardorem. Has febres ſcripſit Hippoc. abſceſſum facere ad articulos, iuxta illud: Quibus poſt febres laſſitudo eſt, his ad articulos, aut iuxta maxillas potiſſimum abſceſſus fiunt: Addit ſpirandi difficultatem, & venarum tumorem ad tempora, atque colorem fuſcum cum tuſſi abſceſſum indicare ad infernas partes.*

APHORISMVS LV.

Ex bubone febres, &c.

Cõnexio. *CVm ſupra de abſceſſibus, qui in febribus fiunt multa dixiſſet, nunc de bubone agit, qui abſceſſus quidam eſt.*

Intentio. *Ex bubone, febres omnes malæ præter diarias.*

Rõ intentionis. *Vt diſtinguat glandium tumores malignos ab his, qui benefici ſunt.*

Demõſtratio. *Decretoria non iudicantia mala: ergo ex bubone mala eſt febris, quæ eſſemera non eſt.*

Antecedens vt manifeſtum accipitur, nam vel mortes, vel recidiuas, aut dolores, aut morbi longitudinem ſignificat. Conſequens probatur, ſiquidem bubones, qui febres faciunt putridas, omnes ſunt maligni: nec iudicatorio modo eueniunt.

1. adnotatio. *Quòd bubo ſi propriè accipiatur tumor eſt, qui ad inguina fit, communiter autem ad omnes glandulas in emunctorijs, ſic ſub bracchijs, & ad collum fieri ſolent, & hic accipit in vniuerſum omnem tumorem, qui ad partes glandoſas dictas aduenit; cum verò natura per eos tumores ſoleat expurgare corpus, hinc fit, vt ſi ſint critici, vel nullam efficiant febrem, aut ſolum ephemeram, quia ſignum eſt non eſſe malignos, neque intra corpus habere germina, at cum febris putrida eſt, ſignum eſt, vel malignum eſſe bubonem, ac profundum, vel malum communicari ad partes*

6.Epid. *internas, vnde ſcripſit Hippoc. malignos eſſe, quia germina ſunt viſcerum, ideſt quia malum indicant in viſceribus, quorum ſunt germina, quæ non circa uiſcera ſunt, vt qui ad ventrem, peſſimi ſolent eſſe.*

2. adnotatio. *Quòd bubo aut febrem antecedit, aut ſequitur illam, aut cum ea inci-*

pit,

pit. quouis modo fiat, ſi febris putrida eſt mali ſunt, optimè autem ex febre indicium ſumit ad bubonem diſtinguendum, cum enim ephemeræ ſeruat naturam, benignus eſt tumor: verum cum putridæ iungitur, iam malignus eſt: eſt autem malignus, aut quia profundus, aut quia oſtendit malum eſſe adhuc in viſceribus. Putrida autem febris accenditur, in bubone quia vapor, ſiue ex bubone, ſeu ex venis cordis communicatur putridus: ſed cum calor ſolum, tunc ephemera fit. Cæterum Hippoc. hanc ſententiam vniuerſaliorem produxit in hunc modum ſcribens: Ex bubonibus febres omnes malæ, exceptis ephemeris, & qui in febribus bubones nequiores, in acutis ab initio decreſcentes, per quę docet qui ſunt non ſolum mali bubones, ſed qui peſſimi, illi ſcilicet qui cum acuta febre iuncti ſunt, & à principio fiunt, & decreſcunt febre creſcente, tales ſanè in peſte apparere ſolent, qui magis ex carbunculo originem habent, & qui ad inguina apparent, non ita praui ſunt, ſicuti qui ad axillas, conducit autem tales humores ſtatim incidere, à ferro etiam ignito adurere, antequam matureſcant, quia ea eſt illorum natura, vt prius hominem interimant, quàm concoqui poſſint. 2. Epid. ſeċ. 3.

APHORISMVS LVI.

Febricitantibus ſudor, &c.

C*Vm Aphoriſmo 42. ex multo ſudore morbum colligeret, & comparares calidum ad frigidum: nunc ex copioſo ſudore abſolutè colligit morbi longitudinem.* Cõnexio.

Febricitanti ſudor ſuperueniens ſine amotione febris, malum. Intentio.

Vt demonſtret ſudorũ naturam potiſſimum æſtimandos eſſe per iuuamentum, aut nocumentum, qui enim febrem vel tollũt, vel magna ex parte leuant boni, qui vero hæc non faciunt mali iudicandi, ſeu ſemper fluant, quod Aphoriſmo 42. dictum eſt, ſeu per interualla, & quouis die, aut hora veniant. Rõ intentionis.

In duas partes præſens ſententia diuidi poteſt, vt prima concluſionem intentam contineat: ſecunda uerò cauſam illius. Diuiſio.

Sudor ſuperueniens ſine febris amiſſione, longitudinem morbi indicat: ergo malus. Demonſtratio.

Antecedens declaratur, quia multam ſignificat humiditatem, at multa humiditas non poteſt à natura facilè ſuperari, ſed longo tempore. Conſequens manifeſtum eſt.

Quòd ſudor, ſicuti, & alia ſigna decretoria, quæ morbum non indicant, longitudinem morbi, aut mortem ſignificant, ſed Hippoc. potius longitudinem dixit, quia ſupponit non adeſſe ſigna lathalia, qua ratione 1. adnotatio.

etiam

etiam dicit ſupra abſceſſus, qui primis indicationibus febrem non tollũt, indicare morbi longitudinem. Cum verò ſudor ille concocta materia expelli nequeat, ſic enim tolleret febrem: neque ſit naturalis, vt conſueta vacuatio, ſicut accidit in vrina, & fecibus: immo per irritationem fiat, ſequitur, vt grauata natura fiat ex multitudine ſeroſæ materiæ. Intelligit autem ſudorem, qui febri ſuperuenit, quàmuis, & qui cum febre incipit eadem ratione longitudinem morbi ſignificet, & loquitur præcipuè de calido ſudore. Nam ſicuti frigidus cum aucta febre mortem, cum mitiori longitudinem ſignificat: ita ſudor calidus cum acuta, aut continua febre, ſi cætera non malè habeant, longitudinem indicat.

2. adnotatio. *Quòd talis ſudor non ſolum malus eſt in ratione ſigni, indicans multitudinem materiæ, & grauatam naturam; ſed etiam ratione cauſæ, quia debilitat ægrum, vapor enim exhalat, qui vel febris materia nõ eſt, vel non cocta, vnde corpus debilitatur.*

APHORISMVS LVII.

Spaſmo aut tetano, &c.

Cõnexio. *Cum de febribus ephemeris mentionem feciſſet in antecedenti, nunc de febre agit, quæ conuulſionibus ſuperuenit: nã cum morbum eum ſoluit, ephemeræ vim habet.*

Intentio. *Spaſmo, aut tetano, febris ſi acceſſerit, morbum ſoluit.*

Rõ intentionis. *Vt doceat morbum alterum alterius ſoluendi vim habere, quò Medicus aliquando morbum inducere ad alterius ſolutionem poſſit: quare & ad prognoſticon, & curationem vtilis eſt ſententia.*

Demonſtratio. *Febris ſpaſmo, aut tetano adueniens, cauſam morbi tollit: igitur morbum ſoluet. Antecedens probatur, quia febris, quæ ſuccedit conuulſioni contraria illi eſt, & per contraria morbus tollitur. Nam cum ſpaſmus, vel tetanus febrem antecedat, ſignum eſt à repletione fieri, & maximè cum nulla præceſſit vacuatio manifeſta, quę repletio ex craſſo humore, & frigido, ſeu vapore eiuſdem generis fieri ſolet: & febris adueniens dupliciter confert, & vt ſignum indicans naturæ robur, morbum contrarium excitantis, & vt cauſa, quia craſſum illum humorem, ſeu vaporem coquit, & diſſoluit: quare ſcripſit melius eſſe febrem ſuperuenire conuulſioni, quàm è contra.*

1. adnotatio. *Quod ſpaſmus conuulſionem indicat eam, quæ cum manifeſto motu fit, aut membri torſione: tetanon autem eam intelligit, quæ non habet manifeſtum motum, neque membrorum contorſionem, quam diſtenſionem appellat Celſus. Febris verò quæ ſuperuenit, aut magna eſt, aut parua, aut mediocris: non de magna, quæ vires diſſoluit; neque de parua, quę ſupe-*

ſuperare morbum nequit, at de mediocri intelligit, qualis ephemera eſt, aut quartana. Quòd verò de conuulſione dixit de cæteris frigidis morbis intelligendum eſt, vt apoplexia, paralyſi, epilepſia, ac reſolutione.

Quòd morbus frequenter morbum tollit. Nam regius morbus febrem adimit, paralyſis apoplexiam. An verò liceat Medico febrem inducere, negant aliqui, quod timeant, ne accendatur acuta, & maligna febris ob corporis impuritatem & repletionem: at non inconuenit in extremis morbis extrema tentare remedia, & vbi virium robur adeſt, ita Hippoc. per infuſionem aquæ frigidæ, plurimam, iuueni Euſarco, media æſtate, febrem inducere tentat in tetano. 2. adnotatio.

Quòd calor in nobis, vel agit in ratione innati, ac temperati, qua ratione magnam vim habet coquendi, & aſſimilandi, aut in ratione caloris, vt febrilis eſt, qui magnam vim habet attenuandi, & incidendi, ac propterea minus coquendi, & tranſmutandi: hinc fit, vt non poſſit calidum temperatum ſuperare cauſam conuulſionis, quæ admodum frigida eſt, & impacta neruis, niſi extraneus accedat, qui ſua calefaciendi vi attenuet, & diſſoluat morbi cauſam. 3. adnotatio.

APHORISMVS LVIII.

Si febre ardente laboranti, &c.

CVm in antecedente de febre ſuperueniente conuulſioni egiſſet, quæ ad calorem pertinet, nunc de rigore febri accedente agit, qui febri eſt oppoſitus, & ſicuti febris morbum ſoluit in ſuperiori, ita hic rigor. Cōnexio.

Febre ardente laboranti, ſi rigor ſuperueniat, ſoluitur morbus. Intentio.

Quòd doceat, rigorem non eſſe eo caſu timendum, quinimo ex eo futuram ſalutem ſperandam eſſe. Rō intentionis.

Rigor adueniens ardenti febri, morbi cauſam euictam, etiam per ſudorem euacuandam, iudicat: ergo ſoluetur morbus. Demonſtratio.

Antecedens declaratur, quia rigor ille exoritur ex vaporibus, qui ad ſenſibiles partes à natura tranſmittuntur cum iam cocta eſt materia, quæ pungentes muſculos ſummam concuſſionem inducit: indè verò roborato calore in ſudorem reſoluuntur vapores, aliauè ſequitur excretio. Conſequens manifeſtè ſequitur.

Quòd dixit, in febre ardente, quia hæc facillimè per ſudorem iudicari poteſt magis, quàm reliquæ febres, & quia febres intermittentes non ſoluuntur neceſſariò rigore ſuperueniente: ſupponit autem non adeſſe mala ſigna, ſed robur virium, & præceſſiſſe coctionem, ac diem criticā: nam rigores, qui ſexto die adueniunt, difficilem habere iudicationem ſcripſit. Quàmuis autem talis rigor ſudoris ſit præcipuè indicium, eſt etiam 1. adnotatio.

vomitus

vomitus indicatiuus,& alui fluxus. At dices,ſi rigor non ſemper ſoluit ardentem febrem, niſi cum prædictis conditionibus, cur dixit abſolutè ſoluere illam? Dic, quia plerumque ſoluit, nam rigor in tali febre ferè criticus eſt,& criſes plerumque ſunt ad bonum. 2. Aphor. 13.

2. adnotatio. *Quòd febris ardens alia eſt exquiſita,quæ ex pura bile exoritur in magnis vaſis putreſcente, cum perpetua ſiti,linguæ ſcabritie, pulſu celerrimo,ardore eximio: aut eſt notha,quæ ex ſanguine,vel ſalſa pituita ortum ducit, de omni ardenti vera eſt ſententia, licet magis de exquiſita, caret autem talis febris rigoribus, & acceſſione, niſi cum maligna eſt, aut ex cauſa procatartica, aut ex vtero originem duxit, indè incipit cum rigore. Aut illum aliquando habet inordinatum, undè uideas plurimos ardenti febri correptos in Epid. in quibus febris à rigore incepiſſe notauit Hippoc. ſoluitur autem febris ardens exquiſita non modo ſudoribus, ſed alui fluxu,vomitu,vrina, hemorargia: Cæterum ſicuti natura inducens rigorem ſoluit ardentem febrem, ita Medicus, quaſi ad illius imitationem gelidæ aquæ potum in ardenti febre concedit, quaſi rigorem inducens,ad quam vel vomitus,vel ſudor,vel alui fluxus commoueri ſolet, non tamen ea refrigeratio per extremam ſanguinis euacuationem in exquiſito cauſone fieri debet, vt aliquando innuit Gal. quia illa potius cum maximo nocumento ægri tentatur, & bilis irritatione, quàm aliquo notabili iuuamento.*

APHORISMVS LIX.

Tertiana exquiſita, &c.

Cõnexio. C*Vm de continua febre bilioſa in antecedenti egiſſet, nunc de intermittente agit,quæ tertiana dicitur, & exquiſita, & ſicuti præcedens, ita hæc ſententia in prognoſticum ſcribitur.*

Intentio. *Tertiana exquiſita ſeptenis circuitibus ad ſummum terminatur.*

Rõ intentionis. *Vt doceat, & euentum ſalutarem, ac tempus illius in tertiana febre, ac perinde dies in intermittentibus ſecundum acceſſiones eſſe numerãdos.*

Demõſtratio. *Tertiana exquiſita leuis morbus eſt, & cauſam habet facilè alterabilem: ergo intra ſeptem circuitus terminabitur ad ſummum.*

1. adnotatio. *Antecedens probatur, ſi quidem leuia habet ſymptomata,& intermittit exactè talis febris: cauſam verò habet bilem exquiſitam, quæ facilè in ſudorem abijt, aut per vomitum, vel aluum excernitur. Conſequens probatur, quia idem eſt terminus magnorum morborum, & leuium, vbi cauſa eadem eſt: at dies 14. terminus eſt continuæ bilioſæ, & ideò 7. circuitus intermittentis bilioſæ.*

Quòd quælibet febris ſeu tertiana ſit, ſeu quotidiana, ſeu quartana, vel

vel exquiſita dicitur & pura, vel impura, & notha. Exquiſita dicitur febris, quando humor, qui illius cauſa eſt, eſt ſincerus, nec alteri miſcetur, & ideo ſua propria ſeruat ſymptomata. Impura verò, & notha cum miſcetur alteri. Exquiſita itaque tertiana cum rigore inuadit ſtatim valido, & calor acris eſt, ſitis quoque ingens, acceſſio 12. horas non tranſcendit, deſinit ad exquiſitam infebricitationem cum ſudore, vel alui fluxu, mala non habet ſymptomata. At notha tertiana cum ex bile, & pituita commixtis conſtet, longam facit acceſſionem, & potius cum horrore incipit, nec exactè intermittit, & denique ſigna vtriusque humoris habet. Quod itaque in tertiana dicitur, in quotidiana, & quartana, eadem ratione intelligendum venit. Cæterum Hippoc. de exquiſita loquitur, quia notha tertiana ad longum tempus ſe extendit: eſt igitur ſalutaris tertiana, & non lethalis, & breuis, quia vltimus tertianæ terminus eſt ſeptima acceſſio, niſi quid ſuperueniat: ideò in ſenibus ob virium imbecillitatem in alias tranſit febres & cum periculo eſſe ſolet aliquando. De morbis.

Quòd ex hoc Aphoriſmo habes, dies in febribus intermittentibus non eſſe numerandos, ſicuti in continuis, ſed ſecundum, acceſſiones. At dices, ſeptima acceſſio incidit in 13. diem: ergo non erit iudicatorius 14. Dic quòd licet acceſſio ſit 13. die, tamen exacta terminatio eſt in 14. & dies illa decimæquartæ aſſumit etiam partem, non poſuit autem Hippocr. terminum in quotidiana, & quartana, quia non habent eum certum, ſicuti tertiana, conſtituitur tamen terminus ad proportionem, ſic vt tertianæ acceſſio longiſſima ſit 12. horarum, & terminus longiſſimus acceſſio ſeptima, quotidianæ acceſſio horarum 18. terminus 60. quartanæ horarum 24. terminus 170. Cæterum ſicuti exquiſita tertiana, breuior eſt notha, ita quartana & quotidianæ nothæ breuiores ſunt exquiſitis, & præcipuè cum bili admiſcetur melancholia. 2. adnotatio.

APHORISMVS LX.

Quibus per ſebres aures, &c.

C*Vm 28. huius manifeſtam habet connexionem: nam in illo agit de trāſmutatione humoris ad partes ſuperiores, ſeu inferiores per ſurditatem, hic verò de ſolutione agit ipſius ſurditatis, quæ in febribus frequenter accidit.* Cōnexio.

Quibus per ſebres aures obſurduerunt, his ſanguis ex auribus perefluens, aut perturbata aluus, morbum ſoluit. Intentio.

Quò Medicus eas vias, præcipuè ſurditatem ſoluere cognoſcat, ac perindè imitando naturam, prædictas euacuationes commoueat. Rō intentionis.

Demonſtratio. *Sanguinis effuſio per nares, aut alui fluxus, in febribus cauſam ſurditatis tollunt: ergo ipſam ſurditatem.*

Antecedens probatur: nam ſurditas in febribus, aut eſt critica, aut ſymptomatica: vtroque modo fit, bile, aut ſanguine ad caput elatis: igitur hæmorrhagia ſanguis peccans, alui fluxu bilis educitur, quæ cauſa ſunt ſurditatis, illic deriuatione, hic verò reuulſione.

1. adnotatio. *Quòd ſurditas critica, vel indicat ſanguinis miſſionem è naribus, vel parotidas: ſymptomatica verò inſaniam futuram demonſtrat. Soluitur autem ſurditas, cum per euacuationem tollitur, potiſſimum per has duas vias, quas enumerat Hippoc. ſed per abſceſſum quoque finiri ſolet maximè ad infernas partes, ad coxas ſcilicet, aut crura. Loquitur autem Hippoc. non de ſurditate confirmata, & quæ frigidam cauſam habet, ſed de illa, quæ fit in febribus raptu humorum tenuium ad caput.*

APHORISMVS LXI.

Febricitantem niſi diebus, &c.

Cõnexio. *CVm ſupra docuiſſet Hippoc. rigores ſexti diei iudicationem habere difficilem, modò in vniuerſum de diebus agit, quò ad paritatem, & imparitatem.*

Intentio. *Febris niſi diebus imparibus reliquerit, ſolet reuerti.*

Rõ intentionis. *Vt Medicus cognoſcat magnam vim dierum imparium, & proinde ad perfectam iudicationem ex illis ſignum ſumendum eſſe.*

Demonſtratio. *Concluſio, vt experientia ſatis comprobata Hippoc. ſupponitur, poteſt tamen hunc in modum probari.*

Motus parium dierum non eſt à natura inſtitutus: ergo ſi in illis morbus finiat, ſolet reuerti. Antecedens probatur, quia natura in die impari expellit, ac trahit in pari: habent etiam dies impares virtutem ſuam à cœlo, pares verò à morbo. Conſequens deducitur, quia cum motus ille ſit naturæ coactæ, vt plurimum non poteſt exactè finire morbum; ſed reliquiæ remanent, quæ, vt ſecundo libro ſcripſit, poſt criſin recidiuas facere conſueuerunt.

1. adnotatio. *Quòd è diebus quidam ſunt verè pares, quidam verè impares, quidã verò medij inter hos, pares dies abſolutè ſunt: ſecundus, 6. 8. 10. 18. 22. Impares autem verè tales ſunt: tertius, 5. 7. 9. 11. 17. 21. Dies verò medij, qui ſunt vtriuſque naturæ, & dicuntur. 4. 14. 20. 40. 60. 80. 120. qui dies, ſi numerentur quantitate numerica, verè pares ſunt: at ratione ſeptimanæ, impares dicuntur: quare fit, vt Hippoc. hic pares intelligat ſolum abſolutè, non hos, qui ſub imparibus continentur.*

Quòd dies critici quidam ſunt abſolutè tales, & ſunt omnes impares, ſeu re vera tales ſint, ſeu ratione ſeptimanarum, quidam verò ſecundum quid, ac tales ſunt verè pares: quia in quibuſdam morbis acceſſiones per dies pares fiunt, & ideò in illis criſes contingunt, vt primo Epidem. ſcripſit Hippoc. Attamen quia ferè tales morbi difficiles ſunt iudicij, ideò ſcripſit, recidiuas fieri in diebus paribus, quòd rarò perfecta iudicatio in die pari contingat: aliquando tamen contingit, vt in Lariſſa virgini accidit, quæ ſexto die largiter per nares ſanguinẽ emiſit, quamuis id tribuendum ſit menſibus, qui poſtea largiter effluxerunt. Non igitur hic de ſola biliosa febre loquitur, neque de morbis acutis, qui intrà quatuordecim dies iudicantur: at de omnibus abſolutè acutis, ex quacumque cauſa fiunt. At dices, morbi, qui per pares dies acceſſionem habent, ſi incideret criſis in impari die, recidiuarent: ergo dies par; non minus, quàm impar eſt iudicatorius. Dic dies impares abſolutè bene iudicare, & vt plurimum, rarò malè: contra verò accidit in imparibus. 2. adnotatio. ſect. 3. 3. Epid. ægro. 12.

Quòd morbi omnes acuti per impares dies mouentur, & per illos habent impetus: ſed acceſſiones dicuntur pares, cum ob magnitudinem, aut morbi malignitatem anticipat acceſſio, aut durat magis, quàm decet, vt apprehendat de die antecedenti, vel ſubſequenti tertiam diem. Cæterum Valeſ. hic per dies impares intelligit iudicatorios, vt ſit ſermo, niſi in diebus iudicatorijs febris reliquerit, ſolet reuerti: ſed pares ſunt iudicatorij, ideò comprehenderentur, niſi per iudicatorios intelligas, & verè impares, & qui ratione ſeptimanæ tales ſunt. Hippocr. 3. Progn. hunc amplificat Aphoriſmum, vt febres, quæ neque in diebus iudicatorijs, neque cum ſignis decretorijs receſſerunt, ſolent reuerti. 3. adnotatio.

APHORISMVS LXII.

Quibus ſuper febres morbus regius, &c.

CVm in antecedenti ſententia de diebus criticis egiſſet, nunc peculiarem abſceſſum, qui per morbum regium fit, ad eoſdem dies comparat. Cõnexio.

Malum eſt morbum regium ſuperuenire ante ſeptimam diem. Intentio.

Vt oſtendat, non ſolum abſceſſum, qui à regio morbo accidit, malum ante ſeptimum, ſed omnem alium abſceſſum ante illum diem fientem, ac perindè vt doceat ſeptimam diem eſſe regem, & coctionis perfectionem ex eo ſumendam. Rõ intentionis.

Abſceſſus, qui non iudicant, ſunt mali: ergo morbus regius ante diem ſeptimum malus. Antecedens eſt manifeſtum. Conſequens Demonſtratio.

probatur: quia regius morbus abſceſſus quidam eſt, & cum ante ſeptimum fiat, vel fit ſymptomaticè ratione morbi, ac tunc malus eſt, vel fit ratione criſis, & tunc etiam eſt malus, quia cum coctio ante ſeptimum apparere non poſſit, & præcipuè ex morbo per abſceſſum iudicando, qui ex tenaci materia conſtat, non poteſt criſis illa eſſe perfecta, & quamuis ratione cauſæ aliquando poſſit, numquam ratione ſigni.

1. adnotatio. *Quòd morbus regius duplex eſt, flauus, qui ab hepate, niger, qui à liene exoritur. Hippoc. itaque de primo intelligit, quia niger raro ex acutis accidere ſolet. Rurſus, vel eſt malus ratione ſigni, vel ratione cauſæ: ratione ſigni ſemper malus eſt regius morbus: ratione cauſæ non ſemper: ideo Auerrois inſtantia non eſt contra Hippoc. qui ſemper ratione ſigni intelligit malum. Valeſius intelligit per ſeptimum diem decretorios dies, ac ſi dicat, morbus regius, qui die iudicatorio non fit malus: numerauit autem diem ſeptimum, quia princeps eſt omnium dierum. Cæterum aliquando ante ſeptimum bonum eſſe regium morbum, dixit Hippoc. ſi rigor præceſſerit, quia ex eo robur naturæ ſignificatur.*

2. adnotatio. *Quòd licet ſupradixerit ſudores bonos tertio & quinto, non ſibi contradicit, quia ſudor criſin facit per euacuationem, morbus regius per abſceſſum. Quare non poteſt ante ſeptimum diem eſſe bonus, & licet ante ſeptimum à morbo aliquando liberet, timor tamen eſt, ne ſuccedat hydrops. Cæterum lib. de iudicat. morbum regium cum ſingultu quinta die aduenientem lethalem dixit, tunc enim iecoris ſequitur inflammationem validam.*

APHORISMVS LXIII.

Quibus in febribus certo die, &c.

Cõnexio. *Dixerat ſuperius Hippoc. rigorem febrem ardentem ſoluere, quæ continua eſt: nunc eundem rigorem ſoluere intermittentem docet.*

Intentio. *Quibus in febribus certo die rigores repetunt, eodem febris ſoluitur.*

Rõ intentionis. *Vt Medicus ex rigore ſolutionem febris, & infebricitationem prædicere poſſit: nam ſicuti in continua febre rigor totum morbum ſoluit, ita in intermittente partem morbi.*

Demonſtratio. *Rigor indicat materiam febris à natura pelli extra venas, & illam eſſe tenuem: ergo quo die repetit rigor ſoluetur febris.*

Antecedens declaratur, quia rigor fit tranſmiſſa bile à venis, ſeu foco putredinis ad partes ſenſiles. Conſequens probatur, ſiquidem, vel ſudore, vel alia vacuatione, aut per aluum materia illa educitur.

1. adnotatio. *Quòd rigor, quantum in ſe eſt, indicat febris ſolutionem, ſeu illa ſit continua, ſeu ſit intermittens. Verum ſi quando ad rigorem febris non ſoluitur, id ob virtutis imbecillitatem, aut morbi malignitatem contingit. Cum verò febris ſit vel continua, vel intermittens: & ſi continua, vel cum acceſſionibus, vel ſine illis, iterum rigor, vel ſit ordinatus, vel ſine*

ordine, dico, quod intelligit de febribus omnibus: ſed potiſſimum de illis, in quibus rigor repetit ordinatus, quia rigor inordinatus nō ſoluit neceſſariò febrem, ideo multi, vt in Epid. patet, febricitare cœperunt cum rigore, & rurſus rigor apprehendit ſine ſolutione, quia talis rigor inordinatus eſt, ſed cum repetit ordinatè, vt tertianis, & quartanis ſoluitur febris.

Quòd ſolui febrem in die rigoris dupliciter intelligitur, vel quòd tota febris ſoluatur, & hoc non eſt neceſſe, cum ſolum febris illa ſoluatur, quæ cum rigore apprehendit, vel quod febres rigoriferæ non ſoluuntur in totum, niſi qua die rigores fiunt, hoc eſt acceſſiones (quia plerumque cum rigore, aut horrore, aut frigore incipiunt) & hoc pacto etiam vera eſt ſententia. Quidam igitur rigoris nomine, & frigoris intelligunt horrorem, alij ſolum verum rigorem, & hi melius, quia febres ſemitertianæ, & nothæ extenſæ, & quotidianæ cum non habeant verum rigorem, non ſoluuntur in die rigoris, cæterum ſolui febrem in die rigoris intellige tu, niſi ſit cum alia coniuncta, aut alia adueniat, antequàm finiatur, vel comitetur error aliquis. 2 adnotatio.

Quòd, ut ſupra diximus Hippoc. uult in intermittentibus numerandos eſſe dies per acceſſiones, vnde fit, quòd quartana, licet de quarto in quartum corripiat, & ideo per eos dies ſoluatur febris per hanc ſententiam, non tamen repugnat ſuperiori, in qua dixit reuerti febrem, quæ in diebus imparibus non iudicatur, quia quartana, niſi acceſſioni impari rectè finiri nequit, quàmuis per pares repetat dies, hic verò nota rigorem verum, quantum in ſe eſt, febrem iudicare intermittentem, ideò cum ſuperuenientem rigorem per circuitum non ſoluitur febris, neceſſe eſt complicatum eſſe, cum alia, vel continua, vel intermittente.

APHORISMVS LXIIII.

Quibus per febre morbus regius, &c.

C*Vm dixiſſet antea regium morbum reprobandum eſſe, cum ante diem ſeptimum aduenit, nunc docet, quando laudandus ſit idem morbus ſuperueniens.* Cōnexio.

Regius morbus febri adueniens ſeptimo, nono, undecimo, aut quartodecimo bonum, niſi dextrum hipochondrium ſit durum. Intentio.

Vt doceat, qua die regius morbus adueniens ſoleat morbum ſoluere, & perinde non ſolum iudicatoriam diem facere laudabilem criſin, ſed quòd neceſſe ſit præcedere coctionem. Rō intentionis.

Morbus regius prædictis adueniens diebus ſine duritiæ hipochondrij, criticus eſt: ergo bonus. Antecedens patet, quia dies criticus ferè indi Demōſtratio.

ſat benè mouere naturam, mollities hypochondrij dextri indicat abſolutam criſim, & robur iecoris, & perinde nullam in eo obſtructionem, inflammationem, aut ſcirrum permanſiſſe. Conſequens manifeſtè ſequitur.

2. adnotatio. Quòd in parte ultima Aphoriſmi docet, non eſſe bonum ſi dextrum hypochondrium ſit durum, per quæ indicat in die iudicatorio factam criſin, ſed imperfectam, & cum aliqua iecoris obſtuctione, vel tumore, vnde non ſufficit dies critica, niſi præcedat coctio ad perfectum iudicium: licet enim finiatur morbus per eum abſceſſum, remanente tamen duritie hypochondrij, timor eſt de hydrope, hepate malè affecto; hydropes autē ex acutis morbis omnes peſſimos eſſe, & lethales in Progn. ſcriptum eſt, & qui ex hepate proficiſcuntur, & lumbis, difficiles enim ſunt tumores, & hypochondrij obſtructiones, quæ non ita facilè amoueri, & per totam vitam permanere ſoleant: cæterum lib. de indicat. ſcripſit Hippoc. quod vbi in febre ardente morbus regius accedit non ſolent amplius exſudare, quia bilis illa, non eſt ita tenuis, & facilis euaporationis, alioquin poſſet natura eam per ſudorem pellere non inducto regio morbo per abſceſſum.

APHORISMVS LXV.

In febribus circa ventriculum, &c.

Cōnexio. Cvm de morbo regio locutus eſſet Hippoc. qui ipſius iecoris eſt affectus: nunc de ventriculi affectione loquitur in febribus.

Intentio. In febribus circa ventriculum vehemens æſtus, & cordis morſus malum.

Rō intentionis. Vt non ſolum morbi magnitudinem per hæc ſigna medicus prædicere poſſit: verum etiam locum ipſius morbi ventriculum eſſe cōprehendat.

Demonſtratio. Morſus & æſtus vehemens circa ventriculum in febribus, magnum indicat morbum, & mali moris: ergo mala. Conſequens manifeſtè ſequitur. Antecedens probatur, nam ex ardore magno febris magnitudo, & ex morſu malignitas comprehenditur.

1. adnotatio. Quòd omnes hi Aphoriſmi cum febrem nominant, intelligendi ſunt de ea, quæ continua eſt, quia de morbis acutis potiſſimum traditiones edocet, & illi cum febre perpetua ferè iunguntur. Vbi igitur vehemens æſtus circa ventriculum, & morſus adeſt cum febre continua, timor eſt inflammationis, aut eryſipelatis, aut vehemētis ebullitionis circa os ventriculi: verum ſi ſine febre hæc accidant, ſuperna purgatione indigere hominem ſupra Aphoriſmo 17. edocuit.

2. adnotatio. Quòd æſtus circa ventriculum duplicem habet ſenſum, vel quòd ſit iuxta partes coſtarum, & ventris, vt in Prognoſt. dictum eſt cum frigitate extremorum, vel quòd æſtus ſit propriè circa ventriculum: rurſus

rurſus per cordis morſum, vel intelligit propriè ipſius cordis anxietudinẽ ſcilicet, aut palpitationem, vel cordis nomine intelligit os ventriculi, nam Græci os ventriculi Cor appellant: ſi primo modo intelligas, vel per eſſentiam, vel per conſenſum id contingere poteſt, & ſi per eſſentiam fiat non ſolum malum, ſed valdè malum erit: at ſi æſtum vehementem ventriculi, & illius morſum intelligas, malum eſt, quia ſignum eſt, aut inflammationis, aut eriſypelatis, aut febris ardentis, cuius cauſa ſit in uenis ipſius ventriculi: hi ſunt illi, quos in Progn. dixit Hippoc. nudos habere pedes, & diſtractos, quamuis non ſint valdè calidi.

3. adnotatio. *Quòd duo illa ſymptomata criticè poſſunt aduenire, & tunc non durant, & ſigna coctionis præceſſerunt: ſunt enim vomitus indicia: at licet intelligat, quòd durent, vnde omnem anxietudinem ſine vomitu damnauit Hippoc. nam bilis, aut in venis, aut in membranis adhæret, ita, vt non facilè educi poſſit. Solent autem dolores, & morſus ventriculi maximè ad autumnum fieri, aliquando à mordaci humore, ſeu vapore, aliquando verò ex lumbricis mordentibus.*

APHORISMVS LXVI.

In acutis febribus, &c.

Cōnexio. *CVm in antecedenti ſententia duo ſymptomata grauia aſſumpſiſſet ad prædictionem in febribus, nunc alia duo aſſumit in eandem intentionem.*

Intentio. *In acutis febribus conuulſiones, aut circa viſcera vehementes dolores malum.*

Rō intentionis. *Vt ex ſymptomatis hiſce duobus ad malum euentum prædicendum Medicus fundamentum habeat.*

Demonſtratio. *Conuulſio, aut circa viſcera vehemens dolor, in acuta febre morbi augent magnitudinem: ergo mala. Conſequens manifeſtè ſequitur. Antecedens probatur, ſi quidem hæc accidentia acutæ febri ſuperuenientia, vel cerebrum, vel viſcus aliquod valdè ægrotare indicant, ſicut ſupra ex morſu, & æſtu ventriculum.*

1. adnotatio. *Quòd febris acuta, vel ſequitur aliquam inflammationem internarum partium, vel nullam, de vtraque vera eſt ſententia Hippoc. malum enim eſt, ſi à principio febris cum conuulſione, aut magno dolore viſcerum inuadat: verum ſi ſine aliquo abſceſſu ſit febris, ſeu conuulſione, & ſuperueniant iſta, vel ambo, vel alterum iſtorum; adhuc peius eſt, quia vires non ita ſunt validæ, & ſuperari indicant. Cæterum conuulſionē hic in vniuerſum accipit, ſeu ab inanitione, ſeu repletione fiat: ita etiam dolorem accipit in vniuerſum: quare dixit malum non item læthale: igi-*

tur conuulſio grauiter afficit cerebrum offendit: dolor magnus circa viſcera, vel inflammationem, vel intemperiem validam oſtendit, vt plurimum autem abſceſſum ſequãtur, qui in pus vertatur, vnde ſcripſit à diuturno partium ad ventrem attinentium dolore ſuppurationem fieri, ſunt item non ſublimes, & profundi viſcerum dolores, qui & circa iecur, lienem, pulmonem, renes, ſeptum tranſuerſum fieri ſolent.

APHORISMVS LXVII.

In febribus per ſomnum,&c.

Cõnexio. Rurſus hic ſicuti in ſuperioribus duo aſſumit ſymptomata ad euentum in febribus, & ſicuti cõuulſionem in antecedenti, ita etiam hic eam aſſumit.

Intentio. *In febribus per ſomnum pauores, aut etiam conuulſiones malum portendunt.*

Rõ intentionis. *Vt ex his, quæ per ſomnum accidunt in febribus, euentum morbi oſtendat.*

Demonſtratio. *Pauor, & conuulſio per ſomnum grauem cerebri affectionem indicãt: ergo mala. Antecedens declaratur, quia conuulſio, ac timor cerebri ſunt affectiones, & indicant atrum humorem, & malignum vellicare neruos, & cerebrum, & proindè futuram grauem in capite affectionem.*

1. adnotatio. *Quòd conuulſiones, & pauores per ſomnum pueris ſunt familiares, ſeu ex lactis corruptione fumos tetros eleuante, ſeu ob vermium morſum, ſeu quod ſe deſtitutos videant, & cadere imaginentur: verum accidunt* 3 Aphor. Lib. artis medicæ. *etiam adultis, qui cerebro ſunt calido, humido, quos ſcripſit Gal. habere interruptos ſomnos, & imaginationibus plenos: verum cum in acuta febre accidunt, vt hic intelligit Hippoc. tunc mala ſunt dupliciter, tum quia per ſomnum accidunt, quo tempore deberent homines quieſcere, tum* 2 Aph. 1. *etiam, quia maligna febris arguitur. At dices Hippoc. voluit lethalem eſſe laborem ex ſomno, qua igitur ratione modo malum dicit? An quòd intelligit hic in vniuerſum, ſeu in ſomno accidant, ſeu ex ſomnò, ibi intelligit cum poſt ſomnum accidunt, & durant, vel dic cum Cardano, hic intelligere in principio morbi: at loco citato in declinatione, vel ſtatu, quo tempore lethale eſt, & non ſolum malum.*

2. adnotatio. *Quòd iſta duo ſymptomata ſunt valdè cognata, vndè ſcripſit in Coacis Hippoc. timorem, ac triſtitiam præter rationem in conuulſionem finire, ratio eſt: quia humor malignus, ac teter ſua caliginoſitate cerebrum feriens, timorem inducit: at ſua multitudine replens, conuulſionem: quare ſcripſit Hippocr. timere homines per ſomnum, cum repentè bilis per magnas venas ad cerebrum rapitur, & ea ratione perturbari: verum*

ſedari

ſedari eam turbationem cum ſanguis regreditur, qua ratione morbum fieri non eſt dubitandum, ſanguinis inquam motu ad cerebrum, mox retrocedentis.

APHORISMVS LXVIII.

In febribus ſpiritus, &c.

Manifeſta eſt huius textus connexio cum antecedentibus, ſiquidem de conuulſione, & ſpirandi difficultate eſt, ſicut antecedentes, & in febribus acutis ad prædictionem prolatis. Cõnexio.

In febribus ſpiritus offendens malum eſt. Intentio.

Quò Medicus prædicere poſſit conuulſionem futuram, ac perinde malum euentum, vbi ſequitur offendentem reſpirationem. Rõ intentionis.

In duas partes ſecatur hic Aphoriſmus, in prima ponitur intenta concluſio, in ſecunda verò cauſa illius adducitur. Diuiſio.

Offendens ſpiritus conuulſionem in febre denotat: ergo malus. Conſequens manifeſtè deducitur. Antecedens declaratur, ſiquidem ſpiritus offendens, ſeu uiolenta reſpiratio, non fit, niſi quia thoracis muſculi in ſeptum tranſuerſum conuelli incipiunt: vnde cerebro communicata affectione conuulſio ſequitur. Demõſtratio.

Quòd ſpirandi difficultas differt à reſpiratione offendente, licet communiter vtrumque vtroque nomine ſignificari poſſit difficultatis: ergo ſpirandi præcipuè ſunt quattuor differentiæ, prima eſt rara, & magna, quæ delirium oſtendit: ſecunda, rara, & parua, quæ extinctionem caloris monſtrat: tertia, magna, & frequens, quæ incendium denotat: quarta frequens, & parua, quæ dolorem, aut inflammationem indicat in partibus ſupra ſeptum tranſuerſum. Aut offendẽs reſpiratio dicitur inæqualis, & interrupta, ſimilis illi, quæ fit plorantibus pueris, quam Hippoc. duplicem intus reuocationem appellat, de hac intelligit Hippoc. quæ, vel ſequitur ſiccitatem, vel materiæ motum per neruos, & muſculos ad cerebrum. 1. adnotatio.

Quòd Hippocr. quarto acut. ex magna attractione aeris per nares conuulſionem prædicit: nam narium pinnæ valdè aperiuntur non potentibus thoracis muſculis complere reſpirationem, quòd vel extremam imbecillitatem oſtendit, vel conuulſorium muſculorum thoracis motum non potentibus attrahere ſpiritum ad ſufficientiam, ex hac autem conuulſione mortem prædicere docet, cum vniuerſalis futura denuncietur, cauendum tamen, ne criticè talis fiat reſpiratio, & diſtinguenda, vt rectè prædicere poſſis. 2. adnotatio.

Quòd reſpiratio homine ſano exiſtente, & bene ualente non fit, niſi ope ſepti tranſuerſi, languente verò iam facultate thoracis, muſculi in 3. adnotatio.

auxilium

auxilium veniunt, vbi autem iam imbecillior eſt natura accedunt muſculi, qui ad clauiculas ſunt, quibus operantibus ſpiratio fit ſublimis: maximi autem momenti æſtimauit Hippocr. reſpirationem in acutis morbis, & ad ſalutem, & ad mortem, & ex illa ſumpſit differentias, quippe, quæ firmiores ſunt, & pauciores, quàm pulſus.

APHORISMVS LXIX.

Quibus non ſine febre, &c.

Cõnexio. *CVm in antecedentibus Hippocr. multa declaraſſet in febribus ad prædictionem attinentia à varijs deſumpta ſignis, nunc ad vrinas tranſit, & ex illis ſumit multa ſcitu digna, & ad artem valde vtilia ac neceſſaria.*

Intentio. *Quibus per febres ex vrinis paucis, grumoſis, & craſſis, tenues & copioſæ minguntur, prodeſt.*

Rõ intentionis. *Vt oſtendat particulari vrinæ exemplo, quod alibi ſcriptum eſt prodeſſe mutationes, quæ non ſunt ad praua: itemque vt doceat coctionem conſiſtere in ſubſtantiæ mediocritate, ac perindè non modo tenues vrinas, ſed craſſas ex cruditate proficiſci.*

Diuiſio. *In duas partes ſecatur Aphoriſmus: in prima concluſionem proponit intentam: in ſecunda verò proponit quibus in caſibus, & quando talis mutatio ſperari debeat.*

Demonſtratio. *Mutatio excrementi ad bonum, iuuat: ergo quibus vrina fuit craſſæ grumoſæ, & paucæ, ſi tenues, & copioſæ mingantur, prodeſt. Antecedens manifeſtum eſt, quia ex eo demonſtratur naturæ robur. Conſequens declaratur: nam vrina illa tripliciter eſt præter naturam; ſubſtantia, contento, & quantitate: craſſities igitur tum in ſubſtantia, tum excrementi attenuatione corrigitur, paucitas multitudine, vnde etiam iuuat, quia euacuatur peccans materia per vrinas.*

1. adnotatio. *Quòd ſedimentum vrinæ, ſeu illud ſit ſanguinis pars, ſeu venarũ excremẽtum, ſeu vrinæ pars craſſior, quæ ſubſidet (parum enim refert vtronis modo dicamus ſi curationem ſpectes) dupliciter apparere ſolet in vrina, vno modo perfectè cum coctionem oſtendit perfectam, & eſt album, leue & æquale, altero modo cum vel imperfectam coctionem, vel apparentem tantum oſtendit, de quo vtroque modo intelligit Hipp. quia ab initio non ſolet apparere perfecta coctio., ſed ſi apparet, vel neceſſe eſt illam eſſe imperfectam, vel fieri ob pituitæ admixtionem, quæ ſedimentum repræſentat grumoſum, & craſſum, ac perinde dixit talem mutationem ſpectandam eſſe cum tali ſigno in vrina per febres.*

2. adnotatio. *Quòd illud, non ſine febre, ſignificat cauſam illius vrinæ non procatarcticam,*

tarcticam, ſed morbum ipſum: cæterum vrinæ craſſities ex craſſitie humorum prouenit, paucitas, tum ex eo, tum etiam, quia natura eo tempore magis intendit retentionem & coctionem, quàm expulſionem. Grumoſum autem ſedimen dicitur, quod ruptum eſt, ac diuulſum, quæ omnia tentare naturã coctionem oſtendunt; quæ ea ratione agit, qua ſol poſt nubes tranquillitatem inducere ſolet: natura namque attenuata materia, & concocta, & tunc ad expulſionem intenta multam educere ſolet, quare & vt ſignum, & vt cauſa bonum eſt, talem fieri mutationem.

Quòd vrina ad ſalutem cum bona fuerit potentiorem vim habet, 3. adnotatio. *quàm pulſus, & reſpiratio: ad mortem tamen ſigna, quæ ex reſpiratione, & pulſu ſumuntur certiora videntur, quia aliquando per peſſimam vrinam criſis fit, at cum peſſimo pulſu, & reſpiratione non item. Cum verò vrinæ naturam conſideramus ſemper naturalem tamquam normam exanimare oportet: ſecundò, ſeparandæ ſunt cauſæ procatarcticæ: tertio, perpendendum an ex morbis renum, & veſicæ proueniat: quartò, an criticè, vel ſymptomaticè adueniat.*

APHORISMVS LXX.

Quibus per febres vrinæ, &c.

CVm de vrina in antecedenti egiſſet, in hoc quoque de illa ſermonem Cõnexio. *habet, quare manifeſtè cum eo iungitur.*

Quibus in febribus vrinæ turbatæ, quales iumentorum, ijs dolor ca- Intentio. *pitis, vel adeſt, vel aderit.*

Vt doceat ex perturbatione vrinæ in febre morbum ad caput firmari, Rõ intentionis. *vnde & ad prognoſticum, & dignotionem, & curam capiat Medicus documentum inſigne.*

Vrina turbata qualis iumentorum, feruorem indicat humorum in Demonſtratio. *venis: ergo capitis dolorem, vel præſentem, vel futurum.*

Antecedens declaratur, quia vrina turbida muſtum repræſentat, quod cum nondum eſt expurgatum, turbidum eſt, tentante calore in illo commixtionem partium purarum cum impuris, vt poſtea ſeparet: tale quidpiam fit in corpore, quoties natura tentat coctionem, humoribus in venis exiſtentibus, vnde fit ebullitio, qua eleuantur flatus, qui caput ferientes dolorem inducunt.

Quòd vrina iumentorum ſimilis dicitur, quæ albedinem quandam 1. adnotatio. *habet adiunctam, & craſſa eſt, & non clareſcit, talis comitari ſolet capitis morbos, vt phrenitidem, & lethargum, & ideò ſcripſit 7. Epidem. vrinas denſas, & conturbatas certum ſignum eſſe doloris capitis, conuulſionis, aut mortis: nam morbos capitis dolor præcedere ſolet, & ſubſe-*

qui

qui conuulſio, cum iam deſperata res eſt, ſolet autem talis vrina apparere etiam in peſtilentibus febribus, & cum fœtore Verum perturbata urina dupliciter contingit, uel contentis ſolum, uel ſubſtantia, & contentis:utroque modo uera eſt ſententia. Nam ſeptimo Epid. Poliphanto in Abderis urinæ tenues fuere: at hypoſtaſes denſæ, & conturbatæ et mortuus eſt phreniticus. Sed dixit eo in loco, ad finem morbi apparuiſſe rubram vrinam, ac turbatam, qualis iumenti: ſed iumenti, vt diximus, albida eſt. An quòd ex perturbatione, iumēti accipit ſimilitudinē? verum, eſſe poteſt turbida diuerſorum colorum: habet etiam Aphoriſmi exemplum loco citato in Eualce, de famula, cui cum multo tempore urinæ turbidæ prodiſſent, phrenitica mortua eſt.

2. adnotatio. Quòd turbata urina illa dicitur, quæ purè ponitur, & perſpicuè, ea uerò conturbari poteſt multis modis: nam uel turbida exit, aut poſtea talis fit. primo modo, uel accidit ratione criſis, cum reliqua ſigna bona apparent, & tunc fit talis ob mixtionem peccantium humorum & multa eſſe ſolet, & bona, dic apparere cum iuuamento: uel ſymptomaticè apparet, & tunc, uel ex cauſa fit externa, aut uitio renum, & ueſicæ: nam per ulcera, & morbos earum partium urina turbida excerni ſolet, aut denique talis fit ratione morbi, ob materiæ prauitatem tentante natura coctionē, ſed non aſſequente: quare perſeuerat poſt mixtionem turbida, & in mediocri malo longitudinem oſtendit, in magno mortem: quòd ſi urina uenit clara, ſed poſtea turbatur, indicat imperfectam coctionem, non poſſe ſcilicet naturam eam aſſequi, quia ob paucitatem caloris turbatur, ſed paulò poſt ſuperaturam: at quæ turbida mingitur, ſed clareſcit poſtea, ualidum calorem naturalem denotat accelerantem expulſionem antequàm clareſcat. Hippoc. igitur intelligit hic de vrina, quæ per febres turbida mingitur, qualis iumentorum, & perſeuerat. Card. triplicem differentiam ponit in turbida urina, uel enim eſt turbida, uel confuſa, vel concreta: primum ex ebullitione fieri ait: ſecundum ex imbecillitate: tertium ex frigore dicit.

APHORISMVS LXXI.

Quibus die ſeptimo, &c.

Cōnexio. SVpra ad prognoſticum vrinæ conditiones protulit, quæ & à ſubſtantia, & colore, & contentis ſumebantur, nunc contenta accipit, & quid ex colore ſit prædicendum docet.

Intentio. *Quibus die ſeptimo futura criſis eſt, his urina die quarto nubeculam habet, cæteraque per rationem.*

Rō intentionis. Vt demonſtret, quæ proportio ſit temporum ipſius morbi, eius ſcilicet,

cet, quæ apparent ſigna coctionis & criſis fit, & ut peculiari urinæ exemplo in reliquis quoque excrementis id comprehendere poſſimus.

Criſis bona perfectam ſequitur coctionem: ergo quibus die ſeptima futura eſt criſis, die quarto urina rubram habebit nubem, & cætera ad proportionem. Demōſtratio.

Antecedens probatur, quia natura primo coquit, inde ſeparat, poſtea expellit. Conſequens probatur, quia concoctio non fit ſubitò, ſed paulatim, & in tempore, ideò in die quarta aliquod coctionis ſignum apparebit in urina, quàmuis non perfectè, quibus ſeptima criſis futura eſt: talis uerò eſt nubecula rubra, quæ dimidiam coctionem oſtendit.

Quòd dupliciter ſolet iudicari morbus, uel ordinatim, & legitimè, uel ſine ordine, & illegitimè. In primis talis ſeruatur proportio, ut tantum interualli ſit à die apparentis coctionis ad iudicium, quantum à principio morbi ad illud: cum uerò ſine ordine, & illegitimè ſoluitur morbus, non eſt neceſſe ſeruari illam proportionem, & ideo dixit, quibus criſis fit ſeptima, rubra in urina nubecula quarta die apparebit, nonècontra: ubi igitur quarto apparent ſigna coctionis, ſeptima, ubi ſeptima. 14. ubi 11. 20. morbus iudicabitur. At dices Hippoc. ponit ſecundo aphor. diem quartum indicem ſeptimi, & undecimum decimiquarti, & decimumſeptimum uigeſimi: igitur illa proportio non ſeruabitur. Dic quòd hic loquitur de iudicio completo, ibi uerò de quacumque mutatione ualida. 1. adnotatio.

Quòd expulſio ſolet ſequi coctionem, ſed perfectam, ideo licet quarta die nubecula in vrina appareat, quia illa imperfecta adhùc ſignificat, criſis in illa non fit; ſed in ſeptima: at cum perfecta eſt, & abſoluta coctio, vt in ſeptima, tum ſtatim natura ſeparat, & expellit. Quòd uerò in Progn. dixit, rubram nubeculam ſignificare longiorem morbum, non repugnat, quia ſi alba fuiſſet nubes, ſignificaret quidem morbum ſoluendum ſtatim in quarta die: at raro talis tam citò ſolet apparere, imo cum apparet, potius falſa eſt hypoſtaſis, quàm vera, vtpotè ex pituita crudiori facta, & ſecurior, ſi fuerit rubra. quamobrem Hippoc. 7. Epid. in Charite hypoſtaſin ſtatim apparuiſſe ait multa candida, poſtea etiam ſubrubra. 2. adnotatio.

Quòd uerba illa, cætera pro ratione, multipliciter exponi poſſunt: primò, ut reliqua excrementa conſiderentur ſi correſpondet in illis coctio: ſecundò, ut omnia ſigna, quoad fieri poteſt, Medicus ſpeculetur, quæ in facie, corpore, & in oculis, ac toto corpore, ut in Progn. dicitur: tertiò, ut conſideremus morbi eius cauſam, periodorum incrementa, ac tempus anni, & denique quæcumque dicta ſunt Aphor. 12. primi libri: num uerò criſis futura ſit per ſudorē, aut uomitum, aut hæmorrhagiam ex proprijs ſignis diſtinguere medicus poterit. 3. adnotatio.

APHO-

APHORISMS LXXII.

Quibus pellucidę, & albę ſunt urinę, &c.

Cõnexio. *ANtea cum de craſſis urinis ſermonem habuiſſet, nunc de tenuibus uerba facit, & ſicuti de illis ad prognoſticum in febribus egit: ita hic in eandem intentionem tenues, & pellucidas urinas nominat.*

Intentio. *Duæ proponuntur concluſiones, quarum prima proponit, urinas albas, & pellucidas malas eſſe abſolutè: ſecunda uerò in phrenitide id affirmat.*

Demonſtratio 1. InProgn. *Vrinæ albæ, & pellucidæ maximè diſtant à naturalibus: ergo malæ. Antecedens probatur, ſiquidem, & ſubſtantia, & colore multum diſtant à naturalibus, & quia carent ſuſpenſione, unde magnam cruditatem oſtendunt: quare ſcripſit Hippoc. talem urinam longum portendere morbum, ſi uirtus fortis ſit, alioquin timorem eſſe, ne cum tali urina perdurare poſsit æger donec coquatur morbus.*

Demonſtratio 2. *Vrina alba in phrenitide morbi magnitudinem oſtendit: ergo mala. Conſequens clarum eſt. Antecedens probatur, ſiquidem tam grandis eſt inflammatio, ut rapiat ad caput bilioſum omnem humorem, qui urinas tingere ſolet: eſt igitur ex ſuperuenientibus ſignis, non tamen pathognomonicis, licet & aliquando malum antecedat.*

1. adnotatio. *Quòd cauſæ albæ ac pellucidæ urinæ multæ eſſe poſſunt, ut rectè in commen. notat Card. prima eſt cibus, & potus: ſecunda obſtructio partium circa renes: tertia hectica ipſorum renum: quarta uehemens illorum caliditas: quinta frigida iecoris intemperies: ſexta, quia alio transfertur bilis, ut in phrenitide: ſeptima ob lapides, unde ſcripſit ſplendidiſſimam urinam calculoſos mingere: utcumque urina pellucida, & alba ſit mala eſt. Sed ubi ex cauſa nota aduenit minus mala, ualdè tamen mala eſt cum ratione morbi accidit, & in febre continua, de qua potiſſimum Hippoc. loquitur. Rectè autem notat Valeſ. urinam albam, & perſpicuam minus periculoſam eſſe, cum ſtatim excernitur, quàm cum diu retenta ſit, quia primo modo non potuit mutari, defectu retentionis: ſecundo uerò arguit mutatricis uirtutis imbecillitatem, niſi prima ſecundæ ſuccedat, tunc enim periculoſior rectè cenſetur.*

Lib. de aere & aq.

2. adnotatio. *Quòd pellucida, & alba urina neceſſariò tenuis eſt: poteſt enim eſſe alba, & craſſa, non tamen pellucida: hæc uerò aliquando bona eſſe poteſt ſi criticè appareat, quia humores, uel rapiuntur criticè ad caput, ut quando hæmorrhagia ſperatur: uel ſymptomaticè, ut in futuris inflammationionibus: at dignoſcuntur, quia critica repentè aducnit, & in bona die, & parum durat, adſuntque alia ſigna bona.*

APHORISMVS LXXIII.

Quibus elata hypochondria, &c.

CVm de urinis in antecedentibus determinaſſet, nunc de ſigno, quod futuras urinas indicat, demonſtrat. Cõnexio.

Hypochondrij murmur cum lumborum dolore, aut humidam aluum, aut flatus exitum portendunt. Intentio.

Vt ex tumoribus lumborum cum prædictis ſignis prædicere Medicus poſſit excretiones illas per inferna, ac perindè criticum dolorem hypochõdrij à ſymptomatico diſcernat. Rõ intentionis.

Murmur hypochõdrij cum lumborum dolore ſubſtantiam aliquam ad inferna deſcendere indicat: ergo uel humor per aluum, uel per urinam, uel flatum. Antecedens declaratur, ſiquidem murmur motus eſt alicuius ſubſtantiæ, quæ infra trahitur, uel pellitur, ſi cum dolore lumborum nectatur. Conſequens probatur, quia nil aliud murmur efficere poteſt, quàm humor, ſeu flatus: humor autem dupliciter, & qui per ureteras ad ueſicam tendit, qui urina dicitur, & quod per inteſtiua deſcendit alui excrementum. Demonſtratio.

Quòd addidit in febribus hæc fieri, quia frequentius id in febre accidit, & quia febris humores attenuat, & ad infernas partes mittit: igitur murmur ille cum lumborum dolore alui fluxum indicat, niſi urinæ prodeat multitudo, quia, ut alibi dictum eſt, mictus noctu plurimus paruam deiectionem indicat: cum uerò materia tenuis eſt, & pauca in flatum vertitur; & pellitur infra. Cæterum flatus iungitur ferè cum alui fluxu, quia ex humoribus in inteſtinis ſemper aliquid eleuatur, undè flatus non ſolum alui fluxus inditium eſt, ſed cauſa adiuuans ſuo motu deiectionem: flatus autem, qui ad modum grauiter olet, iam propinquas feces oſtendit. 1. adnotatio.

Quòd per hypochõdria intelligere oportet partes inanes, quæ ad umbilicum ſunt, non uerò præcordia, ſed ob propinquitatem hypochõdria dixit. Cæterum hypochõdria Hippoc. numquam eſſe omittenda à medico, ſed magna diligentia contrectanda in morbis acutis, in Progn. latè demonſtrauit; & in Epid. ſemper obſeruauit, cum magni ponderis ſint ad prædictionem, ſi benè, vel malè ſe habeant, doloroſa enim præcordia cum acuta febre inflammationem viſceris alicuius oſtendere ſolent. Hic verò ex murmure, & lumborum dolore nihil tale colligitur, cum ita motum indicent alicuius ſubſtantiæ, nec firmentur. Vel dic febrem hic pituitoſam intelligere, in qua circa ventrem humores crudi ſunt, aut febrem intelligere, quæ ſine aliquo viſcerum affectu ſit: nam quæ cum inflamma- 2. adnotatio.

tione

tione viſceris alicuius ſunt febres (ait Gal.) non febris nomine, ſed peculiari illius Hippoc. nominare ſolet.

APHORISMVS LXXIIII.

Quibus ſpes eſt ad articulos, &c.

Cōnexio. *CVm ſupra Hippoc. de abſceſſu locutus ſit, qui in febribus ad articulos ſperatur, & nunc de vrinis mentionem facit, occaſionem nactus ſententiam ſcribit circa eandem rem valde vtilem.*

Intentio. *Quibus ſperatur abſceſſus ad articulos, liberat vrina craſſa, & alba, ac multa reddita, aut ſanguinis fluxus è naribus.*

Rō intentionis. *Vt demonſtret qua ratione potiſſimum futurus abſceſſus in febribus remoueatur, & quibus præcipuè euacuationibus per vrinam, ſcilicet & hæmorrhargiam.*

Demōſtratio. *Vrina multa craſſa, & alba ſi reddatur, vel ſanguis è naribus, vbi ſperatur aliquis abſceſſus ad articulos cauſam abſceſſus tollit: igitur & abſceſſum.*

Conſequens clarum eſt. Antecedens probatur: nam febres, quibus ſperatur abſceſſus, ex craſſa materia ſolent fieri: talis autem eſt, quæ per vrinas craſſa eijcitur, & quia multa, ideò criticè excerni eſt indicium: verum ſanguinis fluxus è naribus ſolet etiam, ſi ſuperueniat, multitudinem tollere: vndè abſceſſus ſperatur: valdè enim ſunt affines morbi ſanguinei ad faciendum abſceſſum, hæmorrhargiam, quare ſcripſit Hippoc. 4. Epid. Lib. 2. Sect. 6. *quibus abſceſſus ad oculos valdè rubri ſecundum maxillas, & hæmorrhagici, ſed & quibus ad aures fiunt, fortaſſe autem, & abſceſſus ad articulos: & rurſus ſcripſit, ſplenis eleuationes, niſi in articulos finierint, aut ſanguis fluat hypochōdrij dextri contentio, niſi profluant urinæ, hic enim vtrorumque interceptio. Per quæ docet materiam eandem, quæ factura eſt abſceſſum ad articulos ſolere per hæmorrhagiam, & vrinæ fluorem euacuari, cum & ſanguinis fluxus, & urinæ interceptiones ſint, & futuri abſceſſus, & recidiuæ.*

1. adnotatio. *Quòd febres, quibus ſperatur abſceſſus ſunt illæ, de quibus antea dixit, quæ cum laſſitudine iungantur, & in febribus, quæ magis quam ratio poſtulat durant, homine tamen ad ſalutem diſpoſito, & quibus parotides poſt aures fiunt, & non ſuppurantur, & quæ nullam inſignem uacuationem fecerunt: igitur adduxit exemplum in textu febrē laſſitudinoſam,* 6. Epid. *qualis erat familiaris Archiginis: laſſitudinoſa autē febris intelligitur, ſeu orta ſit ex labore præcedente non ſpontanea laſſitudine, ſeu adiungatur illi ſpontanea laſſitudo; in prima laſſitudine magis ſperatur hæmorrhagia; in ſecunda, uerò urinæ abſceſſus, febrem etiam laſſitudinoſam quartanam appellauit libro de humoribus.*

Quòd

Quòd illa ſanguinis effuſio ſecundũ aliquos non per ſe liberare uult ab abſceſſu, ſed ſimul cum vrinę fluxu, ita ut pars craſſior per vrinas, tenuior verò per nares educatur. Alij volunt vtramque euacuationem ex ſe tollere morbum, vt cum ſperatur abſceſſus ad maxillas, magis hæmorrhagia, cum ad articulos infernos, magis vrinæ effluxu ſoluatur abſceſſus, quo vtroque modo intelligere poſſumus. Nota autem, quod non dicit, ſolui quarta die neceſſario abſceſſum, ſed adduxit in exemplum vrinam, quæ vt plurimum apparet quarta die, quia hic loquitur de acutis febribus, in quibus cum virtus valdè robuſta ſit, ſolet ſtatim ad quartam vel quintã diem materiam excernere, quia ſi differtur morbus, iam non fiet impedimentum abſceſſus, quàmuis autem per abſceſſus ad articulos morbus finiatur, melius tamen per euacuationem, & certius ſoluitur. 1. adnotatio.

APHORISMVS LXXV.

Si quis ſanguinem mingat, &c.

CVm multa hactenus Hippoc. de vrinis dixiſset, & vrina ſit excrementum, quod potiſſimum ad renes, & veſicam attinet: nunc ſermonem dirigit ad veſicam & renes, docens illius multas affectiones, per ea quæ cum vrina excerni ſolent. Cõnexio

Mictus ſanguinis, aut puris, renum, aut veſicæ exulcerationẽ denotat. Intentio.

Vt cum Medicus hæc per vrinam excerni videat, ſtatim prima fronte formet conceptum vlceris ad renes vel veſicam conſiſtentis: dilingenter tamen perpendat alia ſigna, quia vrina non ſolum renum, & veſicæ, ſed totius corporis affectiones indicare apta eſt. Rõ intentionis.

Mictio ſanguinis aut puris, ſolutionem continui indicat antiquam in officinis vrinæ: ergo vlcus vel in renibus, vel veſica. Conſequens clarum: nam ſolutio continui antiqua vlcus eſt. Antecedens probatur: quia mictio (ait Gal.) hic ſignificat frequentem ſanguinis eiectionem, aut puris: at talis non poteſt fieri, quia natura totum corpus expurget, vel aliam aliquam partem laborantem, per vias vrinæ, quia talis durare non ſolet. Demonſtratio.

Quòd Gal. dupliciter gloſſat hunc Aphoriſmum: primo, quòd ſanguinis eductio ſit diuturna, & frequens: deindè quòd legatur copulatiuè, & non diſiunctiuè, ſic: mictio ſanguinis & puris vlcus vel renum, vel veſicæ ſignificat: quàmuis, & ſanguis, & pus (vt refert Olerius) in muliere per quatuor menſes cũ vrina fluxit, quæ tandem mortua eſt, & cum diſſecta eſſet, inuentæ ſunt, & renes, & veſica valere quidem, ſed abſceſſus & puſtulæ ad cor, à quo pus mittebatur, quòd rodens vias ſanguinem educebat: at hæc rara ſunt. 1. adnotatio.

2.adnotatio. *Quòd cum per talem mictum ſanguinis, aut puris, vlcus eſſe poſſit, & in vreteribus, & in pene, Gal. uult addendũ eſſe vlcus in renibus, vel veſica, aut ad alias partes vrinæ: ſed Hippoc. intentio, vt rectè notat Valeſ. eſt, vt cum quis per vrinam pus, aut ſanguinem frequenter mingat, colligatur ſtatim vlcus, vel renum, vel veſicæ, quia hæ ſunt potiſſimæ partes, in quibus manet vrina, & conficitur, interim tamen addendo reliqua ſigna, vt à dolore cum poſitu, conſiderandum, an præceſſerit aliqua affectio in toto corpore, vel parte, quæ talem per vrinam emittat materiam, tunc enim indurare ſolet, & criſis fit.*

APHORISMS LXXVI.

Quibus cum vrina craſſa, &c.

Cõnexio. *Cvm in antecedenti Aphoriſmi ex ſanguinis mictu vlcus renum, aut veſicæ colligeret indifferenter, nunc per ea quæ in vrina apparent docet cognoſcere vtrum ex illis laboret.*

Intentio. *Quibus cum vrina craſſa exiguæ carunculæ, ac veluti pili exeunt, his à renibus excernitur.*

Rõ intentionis. *Vt oſtendat à proprietate eorum, quæ excernuntur ex vrinis, quòd membrum laboret ex vrinarijs, an renes, ſeu veſica.*

Demonſtratio. *Craſſa vrina cum exiguis carunculis, capillis ſimilibus, propriè ſunt, renum indicia: ergo alio non proueniunt. Conſequens clarum eſt.*

Antecedens probatur: nam carunculæ illæ non ex toto corpore prodeunt exuſto in uenis humore: quia quæ per calorem uenarum prodeunt à corpore, non capillis ſunt ſimilia, ſed orobina. Gal. craßam urinam intelligit coctã, ut diſtingueret affectionẽ, quæ in uenis talia producit, nec educũtur ex ueſica, quia quæ ex illa decidunt furfuracea ſunt, ut in ſequẽti, uaſa, aut ureteres difficilè ulcerantur ob duritiem, ac raduntur: ergo ex renibus decidunt, qui cum ſint glandulis ſimiles, uel corroſione, uel abraſione talia edunt corpuſcula. Quæ uerò carnoſitates in pene, aut loco ueſicæ fiunt, ulcerato loco illo, grandiores ſunt carnes, nec pilis ſimiles.

1.adnotatio. *Quòd carunculæ illæ, quæ cum urinis apparent, renum ſunt carnes, quæ in fibras pilis ſimiles degenerant, ut patet eorum ſubſtantiam conſpicienti, colligitur autem per hanc affectionem ulcus renum aut præſens, aut futurum, & licet ex ſanguinis grumis exaßati in renibus carunculæ gignãtur, non perinde capillis ſimiles erunt: quia tales ex renum ſubſtantia decidunt Gal. ſeparat iſta duo, exiguas carunculas, aut ueluti pilos, ſed Hip. ea coniungit dicens: quibus dum urina craſſa eſt exiguæ carunculæ capillorum inſtar prodeunt, ijs à renibus excernuntur.*

2.adnotatio. *Quòd craſſam urinam, ut ſupra dixi Gal. coctam intelligit, quia cocta*

urina craſſitiem habet, ut per hæc diſtingueret affectionem uenarum, uſtioni ſimilem, per quam talia corpuſcula conſpiciuntur, ſed non cum urina cocta, ſed non probatur ea expoſitio, ſiquidem cum hæc uel ulceratos renes, uel incipientem in illis ulcerationem oſtendant, non poteſt urina eſſe omnino cocta, imo plerumque confunditur. Nec etiam uerum eſt, quòd cum tenui ſi excernuntur, non excernantur à renibus, ſed quia cum craſſa plerumque accidere uidit Hippoc. ideò craſſam dixit urinam.

Quòd cum aliquando ex uenis decidant corpuſcula cum urinis non diſſimilia, idcò ne fallamur conſiderare oportet præcedentia ſigna, ſi enim præceſſit urina purulenta, & dolor in renibus, tunc habebis certam ulceris coniecturam, & quòd tales carunculæ fiunt de renum ſubſtantia: at cum non carunculæ, ſed pili exeũt rectè ait Gal. craſſorum humorum in uenis, aut renibus copiam arguunt, quibus exaſſatis ob lentorem materię fiunt, quibuſdam etiam uermes gignuntur. Notat Card. His panum quendam, qui in omnibus excrementis, & ſanguine pilos emittebat. 3. adnotatio.

APHORISMVS LXXVII.

Quibus cum vrina craſſa, &c.

CVm in antecedenti per excreta docuiſſet cognoſcere renum affectionem, nunc per eadem morbum ueſicæ oſtendit. Cõnexio.

Quibus cum urina craſſa furfuroſa quædam unà exeunt, ijs ueſica ſcabie laborat. Intentio.

Vt per hæc duo ſigna urinæ ſcilicet craſſitie, & furfuraceis corpuſculis ſcabioſam ueſicam oſtendat. Rõ intentionis.

Quibus cum urina furfuroſa exeunt, non niſi per abraſionem tunicæ ipſius ueſicæ fieri poteſt: ergo affectio in ea eſt. Antecedens probatur, quia in ueſica non eſt tantus calor, ut ex pituita talia efficere poſſit. Cum uerò craſſa ſupponatur urina, non eſt credendum per aduſtionem in uenis fieri: ut in febribus aliquando contingere ſolet, à renibus non ſolent excidere furfures, ſed uel carunculæ; uel pili. Conſequens patet: quia ſi non ex alia parte decidunt, ex ueſica prouenire eſt neceßarium, patiente ueſicam ſimilem affectionẽ, ac pati conſueuit cutis, cum ſcabie, aut lepra laborat. Demõſtratio.

Quòd ſcabies iſta veſicæ, ſicuti & cæteri morbi eius difficilis eſt curationis admodum, & in vlcera veſicæ terminari ſolet, cæterum vrinã Hippoc. in ſcabioſa veſica tenacem, ac lentam agnouit: at vero libro de natura humana ſcripſit, eos, quibus pura eſt vrina, & per interualla cum furfure mingunt ſcabie veſicæ teneri. At dic, in Epid. talem vrinam dici quia ſcabies cum vlcere erat adiuncta, ſed & illud puram eſſe 1. adnotatio. 5. Epid.

vrinam non repugnat eſſe craſſam, quia ipſe Gal. naturalem vrinam craſſam appellari ab Hippoc. ſcribit. Diſtinguere autem oportet furfures ab ſquamis, quia hæ iam vlceratam veſicam denotant profundius.

APHORISMVS LXXVIII.

Qui inopinanter ſanguinem, &c.

Cõnexio. *Cvm de affectionibus partium vrinæ multa hactenus dixiſſet, & ſupra ex ſanguinis mictu vlcus, aut in renibus, aut veſica colligerets nunc quando à renibus exit, explicare intendit.*

Intentio. *Qui inopinanter ſanguinem meiunt, his in renibus venulam ruptam eſſe ſignificatur.*

Rõ intentionis. *Vt ex mictu ſanguinis, quod accidens non rario euenit, demonſtret, quæ pars affecta ſit, ex quo etiam quando ex veſica, aut alia cauſa mingitur, per coniecturam medicus cognoſcere poſſit.*

Demõſtratio. *Sanguis inopinanter mictus proprius eſt rupturæ in renibus: ergo non aliunde prodit. Conſequens manifeſtum eſt. Antecedens probatur: quia ex veſica ob uenarum exiguitatem difficilè poteſt ſanguis mingi. Quod ſi ex vlcere, aut lapide eius veniat, iam non inopinanter venit, non à toto corpore ſe expurgante, quia nec fit ſine cauſa manifeſta, non ex affectu aliquo renum ob eandem cauſam, nec ex relaxatis vel apertis vaſis, quia tunc potius ſanguinea eſt vrina: igitur ex rupta venula in renibus prodit.*

1. De morbis. *Quòd verbum illud, inopinanter, duplicem habet expoſitionem: altera eſt, quod ſine aliqua cauſa externa mingatur ſanguis: altera quod ſine aliqua cauſa nota: & hoc ſecundo modo intelligere oportet. At dices, ſi ex ſaltu, aut vi quapiam rumpatur uenula in renibus, erit ex cauſa nota. Dic quòd Hippoc. non dicit, quod ſi ex cauſa nota prouenit, non ex renibus decidit, ſed cõtrarium: quod ſi ſine aliqua cauſa nota veniat, tunc venula in renibus rupta ſignificatur. Gal. ſanguinem copioſum intelligit, quia ex veſica, aut vreterum vaſis cum eroſione potius proueniat, multus eſſe non ſolet. Cauſa igitur manifeſta hic ſignificat, & quæ extra, & quæ intra corpus eſt, vt ſi inopinanter nullo alio affectu ſe oſtendente in veſica, aut exercitiorum omiſſione: nam in plenitudine aliquando ſcri-*

1. Prædict. 10. *bit Hippoc. ſanguinem mingi, ſed ſine dolore, aut febre, quæ ſub cauſa manifeſta comprehenduntur: at ſanguinem mingere raro quidem, & ſine fe-*
» *bre ac dolore, nihil mali ſignificat, ſed laſſitudinũ ſolutionẽ: ſi vero ſæpius*
» *mingatur, & aliquid ex his acceſſerit, malum. Verum prædicere oportet*
» *ſiue cum dolore mingatur, ſiue cum febre, fore, ut inſuper ſæpius min-*
» *gatur, ac ita dolores, & afflictiones quieſcant: hæc ille.*

APHO-

APHORISMVS LXXIX.

Quibus in vrinis ſubſident, &c.

Vm de his, quæ minguntur iam ſermonē inſtituiſſet proſequitur cū nunc, & aſſumit arenulas, quæ per vrinas excerni non raro ſolent. Cōnexio.

Quibus in vrinis ſubſident ſabuloſa, iis veſica calculo laborat. Intentio.

Vt demonſtret ex hoc ſigno ſtatim veniendum eſſe in calculi ſuſpitionem, cum arenulæ, vel effectus, vel cauſæ ſint illius. Rō intentionis.

Arenula ex calculo fit: ergo ſi vrinæ ſubſidet, in veſica erit. Antecedēs declaratur, quia arenoſum, vel ex dilatato topho fit, vel ex colliſione calculi: at cum ſtatim ſubſidet ex veſica erit, quia ſubſiderè hic duo ſignificat, frequentem arenarum per interualla mictionem, quod calculi tàm veſicæ, quàm renum eſt inditium, & quod ſtatim ſubſidat, quia arenæ, quæ ex renibus veniunt, cum vrina confunduntur, nec ſtatim recidunt: Adde dixiſſe arenoſum, nō ſimpliciter arenam, per quæ ſignificauit, vel lapidis fruſtula, vel puleruis inſtar quidquā in fundo ſubſidens, à quo maius indicium calculi, quàm ab arena deprehenditur: quare ad Aphor. veritatem non puto neceſſarium addere, vel ex renibus, vel ex veſica, neque conuertere Aphoriſmum, vt qui in veſica calculos habent, arenoſum mingant, quia, nec exiſtente calculo arenæ neceſſariò decidunt, neque ècontra. Demonſtratio.

Quòd arenæ in vrina non indicant neceſſariò calculum, ſeu in renibus, ſeu in veſica, quàmuis diſpoſitio ad illam ex eo neceſſariò indicetur, nec verum eſt à veſica albam arenulam, à renibus rubeam venire, cum ab vtriſque multorum colorum arenæ, & lapides veniant: debet autem medicus concurrere ad reliqua ſigna, quæ maiorem faciunt coniecturam, ex dolore, difficultate vrinæ ſanguinis excretione fruſtularum calculi pulſione. Rectè igitur Gal. ex mictu arenularum colligit calculum renum, aut veſicæ, vel præteritum, vel præſentem, vel futurum, licèt multi copioſas arenas quotidie mingant ſine vllo calculo, quia natura eas tranſmittit antequam coagulari poſſit. 1. adnotatio.

APHORISMVS LXXX.

Si quis ſanguinem, &c.

Vm de veſicæ calculo in ſuperiori egiſſet, nunc de illius vlcere docere intendit, quod calculo eſt affine. Cōnexio.

Si quis mingat ſanguinē, aut grumos, aut diſuria laboret cū dolore ad hipogaſtrium, pecten, & perineum attinente, loca veſicæ laborant. Intentio.

Vt per iſta ſymptomata doceat cognoſcere morbos veſicæ, ac perinde vlcera ipſius ſicuti ſupra renum. Rō intentionis.

Demonſtratio. *Læſa alicuius membri actione, membrum lædi neceſſe eſt: ergo dyſuria, aut cruenta mictio cũ dolore ad partes illas, morbum ueſicæ oſtendit.*

Antecedens notum eſt. Conſequens probatur, quia vrinatio eſt veſicæ actio. Cum itaque illa, vel ſtranguria laborat, vel ſanguinem, aut grumos mittit, neceſſe eſt illam laborare: at dolor ad hypogaſtrium, pecten, & perinæum non iam per conſenſum, ſed per eſſentiam laborare oſtendit, quia ſitus veſicæ ad illas partes eſt.

1. adnotatio. *Quòd non dixit abſolutè veſicam laborare, ſed loca circa veſicam, quia, ait Gal. per illa ſymptomata non ſolum malè habere veſicam colligimus, ſed reliqua vrinaria membra, vreteres ſcilicet, & renes, à quibus ſanguis manare poteſt: at licet id verum ſit, tamen renes loca circa veſicam dici non poſſunt. Præterea dolor indicat paſſionem per eſſentiam, quando perſeuerat, vt hic intelligit Hippoc. cur ergo dixit, loca circa veſicam, nõ ipſam veſicam? Dicunt aliqui propter collum ipſius, quod non ſolum veſica, ſed collum ipſius laborare per hæc ſigna deprehendatur: alij dicunt ſignificare per hæc non ſolum veſicam laborare, ſed ob morbi magnitudinem per conſenſum partes adiacentes.*

2. adnotatio. *Quòd laborare hic grauem veſicæ morbum denotat: nam ex ſanguinis, aut grumi mictu, vlcus veſicæ ſignificatur. At quoniam ſi legas ſtranguriam ſine ſanguine, non neceſſariò vlcus oſtenditur, idcò dixit laborare, quia ob lapidem, & alias veſicæ affectiones difficultas vrinæ, & dolor ad illa loca fieri poſſunt: ſed ſi coniunctim legas, ſanguinis mictum cum ſtranguria, neceſſariò vlcus denotatur, non iam putridum, vt in ſequenti. Nota tamen, quòd abdomen habet tres partes, hypochondrium ſupremam, hypogaſtrium mediam, pecten infimam, quæ pilis eſt donata propè pudendum, perinæum autem ſpacium eſt inter pudendum, & anum, cui veſica ſubſtrata eſt.*

APHORISMS LXXXI.

Si quis ſanguinem, aut pus, &c.

Cõnexio. *SEquũtur vrinariorum vaſorũ affectiones, & ſicuti in antecedenti de veſicæ morbis egit: ita nunc eam rem aggreditur, ſed particularius.*

Intentio. *Mictio ſanguinis aut puris, aut ſquamularum cum graui odore, veſicæ vlcerationem denotat.*

Rõ intentionis. *Vt per hæc oſtendat peculiare veſicæ vlcus, idque ſordidum.*

Demonſtratio. *Sanguinis, aut puris mictus, vlcus, aut renis, aut veſicæ indicat: Sed grauis odor non niſi à veſica venit: ergo vbi talia apparent, vlcus veſicæ oſtenditur. Maior iam aute 75. Aphoriſ. explicata eſt: ſquamæ verò corroſionem tunicæ ipſius veſicæ indicant: at grauis odor veſicæ quo*

que eſt peculiaris, quia maior in ea fit putredo, vt mox dicemus: igitur vbi illa apparent in vrina, vlcus veſicæ denotatur.

Quòd ſquamæ per eſſentiæ proprietatem læſam veſicam oſtendunt. Sunt autem ſquamæ, & maiores, & latiores, quã furfures, quos ſcabiem veſicæ oſtendere ſupra dixit. Sed quia aliquando per aduſtionem ex venis talia corpuſcula, aut his ſimilia educi poſſunt, ideo addidit, grauem odorem, qui ulceris ueſicæ eſt proprius: nam ueſica eſt ſentina ipſius lotij, quod grauiter olet, & eſt valdè propinqua recto inteſtino, & pudendis, quæ omnia ad putrefactionem ſunt ualdè parata. Odor igitur malus, uel dicitur, quia ſit mediocriter, vel quia ſit intensè talis: primo modo apparet excrementum in omni vlcere veſicæ, & ex ſcabie etiam illius: at ſecundo modo non niſi in putrido, & ſordido vlcere veſicæ. 1. adnotatio.

Quod locus affectus magni momenti eſt ad dignotionem, & curationem, & prognoſticum. Nam curatio tantum euariat, quantum affectus locus variare ſolet, vt rectè ſcribit Gal. quare Medicus ſemper conari debet, vt affectam partem dignoſcat, id verò aſſequitur, vel ab excretis, uel ab actione læſa, aut dolore, uel tumore, quæ omnia Hippoc. tetigit in dignoſcenda veſica, vel renibus malè affectis. 2. adnotatio.

APHORISMVS LXXXII.

Quibus in meatu vrinario, &c.

Cvm hactenus de renum, & veſicæ affectibus dixiſſet, modo de affectione ipſius penis agit, ſeu meatus vrinarij, qui eſt à veſicæ collo ad glandem vſque. Cõnexio.

Si in meatu vrinario generetur tuberculum, eo ſuppurato & rupto, doloris fit ſolutio. Intentio.

Vt demonſtret, tubercula, quæ in penè naſcuntur per ſuppurationem curanda eſſe, & quò Medicus in talibus tuberculis ſuppurationem, & ſolutionem prædicere poſſit. Rõ intentionis.

Facta ſuppuratione, & ruptione tuberculi ad meatum vrinarium, cauſa morbi tollitur: ergo & morbus. Demonſtratio.

Conſequens clarum eſt. Antecedens probatur, quia rupto abſceſſu, euacuatur pus, quæ cauſa erat doloris, & euaneſcit tumor.

Quòd iſte tumor, vel fit in collo veſicæ, vel in penè ipſo, quacumque ratione accidat, vera eſt ſententia, quia ſolent tales humores ſuppurari, tum, quia calor debilis eſt earum partium, tum etiam, quia multa ſcatent humiditate, & quia dolor magnus eſt: igitur medicus vbi hunc tumorem viderit, adiuuabit ſuppurationem, ut quàm cito rumpatur, cum per reſolutionem non ſoleant finiri. Cæterum tubercula, quæ fiunt in mea- 1. adnotatio.

tu vrinario ad collum ueſicæ cum duritie, & acuta febre peſſima ſcripſit in Progn. Hippoc. & ſoluit ſi vrina purulenta mingatur albam habens ſubſidentiam, & eadem ratione tollitur, tumor in meatu ipſius penis, debent autem curari iſta quam citò, quia ualdè ſunt doloroſa, & diſuriam, aut sburiam inducunt, undè maximè affligitur æger. Hippocr. hic non tantum uoluit docere exſolui iſta tubercula facta ruptura, ex ſuppuratione, quàm monere Medicum, non aliter id fieri ſolere.

APHORISMVS LXXXIII.

Mictus noctu plurimus, &c.

Cõnexio. *CVm de vrina hactenus Hippoc. multa, & ſcitu digna ſcripſiſſet in antecedentibus, modò claudens librum, de vrina mentionem facit, quoad quantitatem ex ea eliciens præceptum ualdè utile.*

Intentio. *Mictus noctu plurimus paruam deiectionem ſignificat.*

Rõ intentionis. *Vt demonſtret eſſe corpus tranſpirabile, ac fluxile, ſic, ut urinæ multitudo alui excrementa imminuat, & èontra ac perindè non mirandum eſſe, ſi quando aluus ſicca eſt, ubi præceſſit copioſa urina, & etiam ut cognoſcamus iſtas duas euacuationes ita ſe habere ad inuicem, ut altera ab altera diuertat quam maxime, & Medicus noxium alui fluxum ciendo urinam ſiſtere poſſit, & èontra.*

Demõſtratio. *Vrinæ copia imminuit alui excrementa: ergo mictus noctu plurimus paruam deiectionem ſignificat.*

Conſequens clarum eſt. Antecedens oſtenditur, ſiquidem ex eodem chylo qui ad inteſtina tranſmittitur, ſunt alui excrementa, & urina, ſi igitur humor trahitur ad urinas multus, paucus remanet in uentre.

1. adnotatio. *Quòd urinæ copia prouenire poteſt, uel à cauſa externa, ut nimio potu, aut uſu diureticorum, uel à cauſa interna, ut calore ſcilicet hepatis, aut renum, uel totius corporis exſiccatione, de quibus omnibus uera eſt ſententia Hippoc. & licet etiam multa mictio in die paruam deiectionem indicet, nocte tamen dixit, quia eo tempore maximè fit coctio, & poſt ſomnum excrementa excerni ſolent.*

2. adnotatio. *Quòd poteſt reduci iſta ſententia ad omnia alia excrementa, & ad quacumque euacuationem quia cum corpus, ut dixi, ſit undequaque meabile, una euacuatio alteram impedire ſolet, quare etiam ſudor multus paruam mictionem, & deiectionem denotat: ſi tamen homo multum comedat, & bibat, multum vrinæ educet, & multum quoque deijciet: ſed hæc non repugnant, quia ſupponit Hippoc. copiam vrinæ ſolito maiorem eſſe, quod vbi fuerit, ſemper indicabitur pauca deiectio: aliquando tamen agnouit Hippoc. morbum ſolui per uarias excretiones, ut ſanguinis, alui, urinæ, quod tamen rarò accidit: nec eodem tempore, cum una euacuatio alteram impedire ſoleat.*

FINIS.

RODERICI A FONSECA,

In Quintum Aphoriſmorum Commentaria.

APHORISMVS PRIMVS.

Conuulſio ex helleboro lethalis, &c.

CVM in præcedenti libro, Aphoriſmo 16. ſcripſiſſet Hippoc. helleborum periculoſum ſanis, quod conuulſionem afferat, in præſenti modo ſententia docet periculum quod ex conuulſiune emanat. Cõnexio

Conuulſio ex helleboro mortalis. Intentio.

Vt cognoſcat medicus, quid ſperandum ſit ex conuulſione quæ ad helleborum ſequitur: ac perinde admoneat medicum, vt cautus ſit in exhibendo huiuſmodi medicamento. Rõ intentionis.

Demonſtratio.

Illud malum lethale eſt, quod extremos affert labores, & cauſam inſuperabilem habet: Sed talis eſt conuulſio ex helleboro: ergo talis conuulſio lethalis eſt. Maior clara eſt. Minor declaratur: nam conuulſio corpus totum diſtendit, & dolores affert maximos, cumque perſeuerat, nec remedijs cedit, videtur inſuperabilis.

1. adnotatio.

Quòd conuulſio ex hellebòro duplici ratione contingere poteſt: vel ex inanitione, vel ex irritatione. Irritatio fit, aut à medicamento, ſeu humoris qualitate pungente partes neruoſas, & potiſſimum ex ventriculo. Ex vacuatione verò contingit, cum medicamentum vſque ad vaſorum concidentiam euacuauit, nec amplius quod attrahat habet, tunc contrahuntur muſculi. Conuulſio itaque ex helleboro, ex quauis cauſa fiat, mortalis eſt cenſenda, ſi perſeueret, & remedijs non cedat: talia ſunt vomitoria, quæ à principio leuia exhibenda ſuaſit, vt oleum, oxymel, butyrum, theriaca, qnod ſi his malum non tollatur, deſperata res putanda eſt.

2. adnotatio.

Quòd Hippoc. exemplo hellebori monet nos, vt omne validum medicamentum fugiamus, aut ita demus, vt non ſuccedat inſignis noxa: turpis enim eſt calamitas (vt ſcribit idem) medicamento dato hominem occidere. Inducit autem helleborus conuulſionem, tum ſua propria natura, tum etiam cõi: intelligere autem helleborum oportet hic album, quippe qui præcipuè conuulſionem inducat, & quo maximè vtebantur

bantur antiqui: eius tamen vſus apud nos aboleuit. Cæterum 2. Epidemiorum ex hellebori potione Licium, inflammatione licuis oborta, mortuum eſſe ſcribit. Solet autem helleborus inducere quandam ſtrangulationem, & ventriculi agitationem: & quamuis helleborus periculoſus adeo ſit, tamen non propterea, quando neceſſitas vrget, ab eo abſtinendum: corpus vero in cibo, & quiete continendum, humectandũ, & medicamentum corrigendum, nec dandum niſi fortibus: ideò in nephritoſis paſſionibus præcepit Hippoc. Iuuenes à ueratro purgari. 6. Epid.

APHORISMVS SECVNDVS.

Conuulſio à vulnere pernicioſa, &c.

Cõtinuatio. *CVm in antecedenti Aphoriſmo de conuulſione egiſſet, quæ ad helleborum ſequitur, nunc de illa agit, quæ vulnus ſequitur, non minus graui & periculoſa.*

Intentio. *Conuulſio ex uulnere lethalis.*

Rõ intentionis. *Vt ſententiam vtilem ad Prognoſticum afferat, & per conſequens medicus aduertat, ne in uulnere conuulſio ſuccedat, illamque præcaueat omni ratione, præcipuè in neruorum ac articulorum vulneribus.*

Demonſtratio. *Conuulſio ex ſe magnus morbus eſt: Ergo ſi ad uulnus ſequitur lethalis erit. Antecedens probatur: eſt enim magnus, tum quia magnos affert labores & dolores, tum quia cerebrum membrorum princeps occupat. Conſequentia probatur: nam omnis magnus morbus in ſe periculoſus eſt, & cum ex uulnere procedit, iam acquirit vehementiam maiorem, quare ex periculoſa fit lethalis: non enim ſequitur, niſi ad magna vel praua vulnera.*

1. adnotatio. *Quòd hic uulneris nomine, intelligit omnes corporis violentas affectiones, ſeu vera vulnera, ſeu puncturas, contuſiones, fracturas, luxationes in quibus conuulſio accidere ſolet, aliquando Medici culpa, aliquando vero ipſius morbi ratione, nonnunquam vtriuſque gratia. Medicus enim conuulſionem inducit, cum dolorifica remedia adhibet, in parte percuſſa & dolente, vel cum reponit oſſa luxata & iungit fracta quæ inflammatione laborant, cum puncturas non aperit in neruis, vnde obcæcato uulnere conuulſio ſuccedit. Cæterum morbi gratia fit aliquando conuulſio, vbi, licet Medicus omnia ſecundum rationem agat, nihilominus, ſuccedit. Vtrorque autem modo contingit, cum & morbus ſua natura paratus eſt ad conuulſionem, & Medici imperitia accedit. Eſt igitur lethalis conuulſio ex vulnere, & ea præcipuè, quæ præter rationem accidit.*

2. adnotatio. *Quòd conuulſio, quæ uulneri accidit, vel eſt vniuerſalis, vel particularis*

cularis alicuius membri. Hippoc. præcipuè de vniuerſali loquitur, qua maxime cerebrum læditur, & potiſſimum de diſtentione. Solet autem conuulſio in uulnere aliquando ex parte aduerſa contingere, vt ſi malum eſt in ſiniſtra, conuulſio fit in dextra, & eſt periculoſior conuulſio aduerſæ partis. Contingit vero lædi partem ſanam, vel quia occultatur tumor apparens, vel quia ſanguis partis illius in partem læſam per vulnus effluxit, uel quia percuſſio aliquando conſenſu quodam partem aduerſam ferit. Conuulſiones itaque maxime lethales ſunt, quæ in aduerſam partem contingunt.id quod ſcripſit Hippoc. fieri ſæpius in temporum uulneribus. Et quemadmodum conuulſio ex uulnere lethalis iudicatur,ita & reſolutio: nam ex ea membris obitus oſtenditur.

Quod cauſa conuulſionis in uulnere,aut eſt magna ſanguinis effuſio, aut cum nil ex uulnere fluit, aut cum apparens tumor repente diſſipatur, uel in magno uulnere nullus conſpicitur. Ideo ſcripſit Hippoc. malum ingens eſſe,ubi tumor in magnis uulneribus non appareat: Materia enim ad interna uergit & conuulſiones creat,ac deliria. Accidit quoque conuulſio ex percuſſione, à dolore vehementi uulneratis partibus neruoſis, ob inflammationem, aut obcæcato meatu ſanie non potente expirare, ut in puncturis neruorum: quibus omnibus cauſis medicus occurrere debet, & illas prohibere; ſanguinis igitur nimia effuſio reſtinguenda, vbi nil effluit ſanguis mittendus,& purgandus æger: interim partes neruoſæ & ſpina oleo calido perungendæ, dolor leniendus, obcæcatum uulnus aperiundum,& ſanies extrahenda, neruus ſi ex dimidio ſectus fuerit, in totum abſcindendus,ut ſic uitetur conuulſio. 3.adnotatio.

APHORISMVS TERTIVS.

A copioſo ſanguinis fluxu, &c.

CVm in præcedenti ſententia de conuulſione dixiſſet, quæ ex uulnere contingit, in hoc de illa ſermonem inſtituit, quæ ſanguinis effuſionem ſequitur, & ſimul ſingultum accipit, quem in præcedenti omiſit. Cõnexio.

Ex copioſa ſanguinis fluxione conuulſio,aut etiam ſingultus, malum. Intentio.

Quo exponat damnandam eſſe hæmorrhagiam illam, ad quam alterum ex duobus accidentibus ſequitur,& proinde reſtinguendum eſſe ſanguinem, antequam æger in illam incidat. Rõ intentionis.

Cum malo cuipiam horrendum accidit ſymptoma, malum: ſed conuulſio, aut ſingultus inter horrenda ſymptomata connumerantur: ergo, ſi aliquod ex his accidat effuſioni ſanguinis, malũ eſſe exiſtimandũ eſt. Demonſtratio.

Maior certa eſt. Minor ex Hippoc. declaratur, qui inter horrenda ſymptomata febri ſuperuenientia connumerat,conuulſionem,ſingultum, 4. Acut.

lypo-

lypotimiam,& alui fluxum: ſunt enim mala, & vt ſignum, quatenus inanitionem maximam indicant, & vt cauſa, quatenus virtutem ipſam proſternunt.

1. adnotatio. Quòd conuulſio & ſingultus, aut ſequuntur nimiam ſanguinis euacuationem, aut bilis efferueſcentiam. Si primo modo fiat, non ſolum mala habenda, ſed etiam mortalis: at ſecundo modo ſi accidat, non ita timoroſa eſt. Medicus itaque omnibus modis conari debet, vt ſanguis ſiſtatur, eſt enim hæmorrhagia ex illis malis, quæ occaſionem habent præcipitem, & præcipuè, vbi magna vaſa ſunt præciſa. Siſtitur autem ſanguis aſtrigentibus, reuellentibus, cruſtificis, vaſorum præciſione, ligaturis, & perpetua digiti admotione.

1. De morbis.

2. adnotatio. Quòd ſanguinis effuſio hic intelligitur, quacumque parte effluat, ſeu violenta ſit, ſeu naturæ opere fiat, ſeu à medico fabricetur: Vnde etiam monemur, fugiendas eſſe illas extremas ſanguinis eductiones. Hic vero notandum, quod ſicuti neruorum, ita etiam & uenarum affectus uidetur eſſe conuulſio: nam Hippocr. eam affectionem refert ad interceptionem venarum, quamobrem, & ex earum inanitione fieri uerisſimile eſt: uenis enim euacuatis contrahuntur muſculi, unde conuulſio ſequi ſolet. Quare cum ad neruorum affectionem ſequitur magis, uel dolorem uel magnam ſiccitatem comitatur.

4. Acut.

3. adnotatio. Quod ſingultus, licet conuulſio non ſit, magnam tamen cum ea affinitatem habet. Nam ad eaſdem ſequitur cauſas, & eandem ſignificandi uim habet. Eſt autem ſingultús propriè uentriculi paſſio, ſicuti conuulſio cerebri magis. Cæterum ſeptimo huius uoluminis, non ſolum conuulſionem malam dixit, quæ ſequitur ſanguinis effuſionem, ſed deſipientiam quoque, ſi ex ea fiat.

Aphor. 9.

APHORISMVS QVARTVS.

A purgatione immodica, &c.

Cõnexio. CVm de conuulſione, quæ ad helleborum ſequitur in 1. Aphoriſ. egiſſet, eamque mortalem pronunciaſſet, nunc illam uituperat, quæ ad purgationes ſequitur.

Intentio, Ex purgatione immodica (quam ſuperpurgationem uocant) conuulſio, aut ſingultus, malum.

Rō intentionis. Vt oſtendat, iſta duo accidentia non minus mala eſſe, ſi ad purgationem, quam ſi ex tremas vacuationes ſequantur, & propterea cautum medicum eſſe oportere, ne exhibendo pharmaco, ægrum in conuulſionem, vel ſingultum inducat.

Demõſtratio. Omne accidens magnum iam debilitatis a duceniens, malum: ſed ſingultus,

gultus, aut conuulſio, nimium euacuatis ſuccedentia talia ſunt: ergo mala. Maior certa eſt. Minor probatur: quia qui admodum ſunt ex purgati, debiles ſunt. Magna vero mala eſſe conuulſionem, & ſingultum, manifeſtum eſt.

Quod ſi quid facit artem medicam conicturalem, medicamenti eſt quantitas. Quamobrem Hippoc. præcepit, vt recte conſideret medicus, antequam purget hominem, illius naturam, an facilis ſit deiectionis aut difficilis, & interrogandum eſſe, an alias ſumpſerit medicamentum, & qua forma; aliquando enim contingit nihil ex medicamento purgari: nonnunquam vero magis quam oportet: Contingit & alium purgari humorem quem medicus intendat. 1. adnotatio. Libro de medicam. purg.

Quòd in hoc Aphor reprehenduntur illi, qui extremas purgationes incõſideratè exhibent, & qui bis in die pharmacũ propinant, vbi primũ non operatum eſt. Ex hoc etiã Aphor. colligitur, non eſſe faciendam purgationẽ uſq; ad animi deliquium, ſicuti in venæ ſectione aliquando licèt, quia nõ eſt in manu noſtra opus medicamẽti ſiſtere, ſicuti venã claudere. 2. adnotatio.

Quòd medicamantum tripliciter euacuat, aut ſecundum materiæ qualitatem, ſic malua & oleum leniendo aluum mouent: aut proprietate occulta, qua ratione ſcãmonium & Rhabarbarum bilem educunt: vel vtroque modo, vt myrobalani & Tamarindi, qui exprimendo & propria qualitate humores educunt proprios. Cum vero medicamentum, proprio humore educto, ad alios conuertitur, tunc ſuper purgare dicitur: euacuat enim medicamentum primo proprium humorem, vt Rhabarbarum bilem, inde ſequitur pituita, tertio loco melancholica, & denique ſanguis, & ſic de cæteris, vt lib. de natura humana explicauit Hippoc. 3. adnotatio.

APHORISMVS QVINTVS.

Si Ebrius quiſpiam de repente obmuteſcat, &c.

CVm de conuulſione, quæ ad varias cauſas ſequitur, multa hactenus dixiſſet, nunc ad illam accedit conuulſionem, quæ ex ebritate fit, vtpotè grauem, & conſideratione dignam. Cõnexio.

Si ebrius quiſpiam de repente obmuteſcat, conuulſus moritur, niſi febre corripiatur, aut qua hora crapula ſoluitur vocem recuperet. Intentio.

Vt demoſtret, quid eo caſu medicus prædicere poſſit, & quam pernicioſa ſit ebrietas, ad quam mors ſequi facile poſſit. Rõ intentionis.

Diuiditur in duas partes præſens ſententia: in prima ponit concluſionem, in ſecunda vero gloſſat illam. Diuiſio.

Stupor ex Ebrietate terminum habet, vel ſanitatem per coctionem, ſeu attenuationem, vel mortem, per conuulſionem: Sed ſi in ſtupore ex Demonſtratio.

ebrietate

ebrietate tempore ſolutionis, nec febris corripit, nec vox recuperatur; non fit coctio, nec attenuatio: ergo conuulſio & mors expectandæ. Maior declaratur: quia obmuteſcentia illa repentina cum ſit ex ebrietate, cauſam habet vini vaporem, cerebrum, & neruos occupantem: igitur ſi ſanari debet, neceſſe eſt, vel vt coquatur materia, vel diſſipetur attenuata, alioqui repletis neruis conuulſio & caloris innati extinctio ſequetur. Minor probatur: nam ſi calidum innatum validum fuerit, & concoquat vini vaporem, vox recuperatur, & ſoluitur crapula: vel, ſi adeò fuerit craſſus humor, ſeu vapor, vt non poſſit niſi valido calore attenuari, febris ſuperueniens & humorem diſſipans ſoluit crapulam. Sanguis enim augetur & tumet in ebrijs, vnde fit venarum illa interceptio, & ſanguinis ſtatio Hippoc., quam non niſi febris attenuare & diſſipare poteſt.

1. adnotatio. 3. Acut. *Quòd inter vina omnia, album, & generoſum non dulce (Hippoc. teſtimonio) caput, & mentem ferit, magis quàm dulce; non enim ita penetrat dulce vinum ob ſubſtantiæ craſſitiem. Ebrietatem itaque vinum inducit, tum quia calidum eſt, & facile fumat, tum quia (vt ait Card.) in ſe aquam ardentem continet. Maximè autem inuadit cerebrum & neruos, in ſuperiore parte ſitos. Idem autem vini vapor inducere ſolet, inſaniam, vigiliam, aliquando etiam ſtuporem, & ſomnum, pro diuerſa corporis diſpoſitione: alios enim reddit lætos, alios autem melancholicos. Nam cum vapor adurit bilem, (quod præcipuè in principio fit) inducit inſaniam & vigiliam; verum diſſipata parte tenuiori vini, ſtuporem & ſomnum, & ſtupidam inſaniam gignit. Cum itaque ſomnum inducit, ipſemet ſomnus, ſi quid aliud, crapulam ſoluere poteſt. Verum, ſi ex crapula mutus fiat, hoc eſt, nec ſentiat, nec moueatur, ſi ad diem tertium, quo tempore crapula ſolui ſolet, non recuperet vocem, aut febre non corripiatur, conuulſus moritur, natura ſuperata, & copia humorum obruta.*

2. adnotatio. *Quòd ex hoc Aphoriſmo monemur, vt caueamus vinolentiam, ſiquidem ex illa non ſolum grauis hic morbus, ſed & multi alij acuti oriri ſolent. Certum enim eſt, ſi Epidemiorum ægros percurramus, multos inueniemus, quibus vinum acutorum morborum, & mortis cauſa fuit. Nam ſicuti vbi error in victu contingit, ſi corpus eſt male diſpoſitum, morbus gignitur, ita maxime in vino, quippe quod citiſſime viſcus princeps cerebrum petat, & ſanguinem attollat. Hic autem aphoniam, ſenſus, & motus priuationem dicit, quod accidens commune eſt apo-*
4. Acut. *plexiæ, diſtentioni, hyſtericæ paſſioni, quam obmuteſcentiam Hippoc. ad venarum interceptionem refert: quando tamen cauſam habet euidentem, vt hic ebrietatem, minus periculoſa cenſeri debet. Curat au-*
2. de mor. *tem Hippocr. iſtam affectionem fomentis ex oleo & aqua calidis, ſternutamentis,*

nutamentis, clyſteribus acribus, vomitum cientibus, ſanguinem item ex lingua detrahit, eſtque apoplexiæ hæc paſſio affinis.

APHORISMVS SEXTVS.

Qui Tetano corripiuntur, &c.

CVm de conuulſione in omnibus antecedentibus determinaſſet, varias illius afferens cauſas & iudicia, nunc de illa ſpecie conuulſionis agit, quæ Tetanos dicitur, per quam totum corpus diſtenditur. Cõnexio.

Duas habet concluſiones, quarum prima eſt huiuſmodi: Tetanos intra dies quatuor occidit. Secunda verò, Tetano correpti, ſi quatuor dies excedant, ſanantur. Intentio.

Vt in hoc mali genere grauiſſimo, vel ex vno ſigno, & euentus, & tempus illius, cum ad ſalutem, tum etiam ad mortem, dignoſcatur. Docetur enim hic res admirabilis: nam ex ſolo tranſitu quatuor dierum, nulla facta mentione coctionis, ſalutem prædicit. Rõ intentionis.

Duas habet partes Aphoriſmus, quarum altera ſpacium continet, quo diſtentione correpti moriuntur: ſecunda vero, quod ſi tranſeat, ſalui fiant. Diuiſio.

Extremos labores non poteſt natura vltra quatuor dies ſufferre: ergo Tetanus, cum occidet, eo tempore id faciet. Demonſtratio 1.

Antecedens declaratur: quia iſte morbus peracutus eſt exactè, qui adeo offendit naturam, vt eum ſuſtinere nequeat vltra quatuor dies. Conſequens ſequitur: quia tetanos dolores affert intolerabiles. Riget enim in eo corpus totum quaſi lignum, & intercipitur reſpiratio, atque omnis ferè operatio perit.

Si in diſtentione tranſit æger quartam diem, morbus ſuperatur: ergo ſanabitur æger. Demonſtratio. 2.

Conſequens certum eſt. Antecedens probatur. Nam ſi natura vim mali tolerauit quatuor dies, & permanet, ſignum eſt, eam iam vincentem eſſe: quare ſanabitur.

Quòd Tetanos malum eſt, quod ad conuulſionem pertinet: illud tamen, aut ſine motu fit, aut ſine manifeſto motu contingit. In eo autem corpus diſtenditur, & magno dolore conuellitur, & contrahuntur dentes. Cum verò totum corpus rectum manet diſtentum, non inclinans ad aliã partem, Tetanos dicitur: at ſi in partem anteriorem diſtenditur, opiſtotonos; in partem vero poſteriorem emproſtotonos. In dextram autem vel ſiniſtram partem cur non contingat diſtendi corpus, muſculorum & neruorum compoſitio impedit, quæ antè & poſt magis reſpicit. Locus affectus poſterior cerebri pars eſt quæ ad ſpinam vergit, cum ſcilicet 1. adnotatio.

repentè

repentè ſanguis, pituitave, aut etiam craſſus flatus aut frigiditas magn ı, locum illum malem afficiunt. Videtur autem correſpondere hic morbus in toto corpore affectioni illi, quæ (grachio) uulgo dicitur, imo eadem eſt affectio, ſed tetanos totius corporis eſt diſtentio, illud verò alicuius membri particularis: & quēadmodum hic à flatu præſſimum fit, ita etiam tetanum ex eo naſci vt plurimum, eſt veriſimile.

2. adnotatio. 4. Acut. Quòd prædicta diſtentio, cum ex ſanguine fit, ex faciei rubore deprehenditur, & venarum tumore: tunc ſectione venæ curari debet. Cum autem ex frigiditate oritur, uel flatu, calorificis curari debet, maximè autem fomentis & unctionibus, ſternutamentis, ſudorem mouentibus.

Apho. 21. Addit etiam Hippoc. infra, frigidam infuſionem, ſed ſupponit Iuuenem robuſtum, in media æſtate, quem poſtea cooperiendum pannis mul

3. de mor. tis ad ſudorem præcipit. Sed hic difficultatem facit, quod Hipp. ſcripſit, ubi ait, hunc morbum interficere intra dies quatuordecim, quos ſi ſuperaucrit, non amplius mortem afferre: hic uero quartum diem terminum conſtituit. Dicendum eſt, ſcribi hic ea, quæ ut plurimum contingunt: quod autem tertio de morb. dictum eſt, aut raro euenire, aut eo in loco ſtatuiſſe decimamquartam diem quaſi acutorum terminum, ad ſuper abundantiam.

3. adnotatio. Quòd ſigna mortalia in hoc malo ſunt maxillarum exſolutio, corporis diſſolutio, uomitus, per nares excretio, clamores, nugationes, vocis interceptio. Febris vero, ſi quid aliud, maximum ſolet eſſe huius morbi remedium, ubi non ex cauſa calida fiat, ut inflammatione: eſtque morbus rarus, qui tamen uulnera neruoſarum partium ſequi ſolet, & eſt mortalis, ut antea ſcriptum eſt.

APHORISMVS SEPTIMVS.

Epilepſia ante pubertatem, &c.

Cōnexio. CVm de diſtentione ſeu tetano in antecedenti Aph. egiſſet, qui ſpecies conuulſionis eſt ſine motu, nunc de epilepſia ſermonē inſtituit, quæ & ipſa inter conuulſiones reponitur, ſed cum manifeſto motu fiente.

Intentio. Duas intendit concluſiones, quarum prima eſt huiuſmodi: epilepſia ante pubertatem recipit mutationem. Secunda uero: epilepſia poſt 25. annum inueteraſcere conſueuit.

Rō intentionis. Vt de uulgari, noto & grauiſſimo morbo habeat medicus, quòd prædicere ualeat. Docetur enim in Aphoriſmo, & euentus & euenti tempus in comitiali morbo, & perinde etiam, in hoc malo maxime confidendum eſſe in ætate, tamquam in præcipuo illius remedio, & maxima in ea, quæ ad 25. annum extenditur.

In

In duas diuiditur partes, iuxta duas concluſiones: in prima enim demonſtrat, quo tempore ſanatio epilepſiæ maximè ſperanda ſit: in ſecunda uerò tempus monſtrat, in quo iam deſperatus eſt morbus. Diuiſio.

Aetas pubertatis vigeſimumquintum annum cauſam continet epilepſiæ contrariam: ergo ſi per aliquod tempus tollitur talis morbus, in ea ætate continget. Demonſtratio 1.

Conſequens facile ſequitur. Antecedens probatur: nam epilepſia, Hippoc. authore, cauſam habet cerebri frigiditatem & humiditatem. uenarum anguſtiam, & caloris deffectum: at ætas ad 25. annum exſiccando procedit, & uiæ amplificantur: igitur per eam ætatem cauſa morbi contraria roboratur: nam vſque ad illud tempus, calor maximè augetur. Modus quoque alterandi ſimilis eſt; quia ſicuti morbus ex vtero paulatim factus eſt, ita etiam ætas paulatim corpus mutat. Libro de mor. ſac.

Secunda concluſio facilè ex prima deducitur: quia ſi quo tempore ſanari præcipuè morbus deberet, tum ob ſeminis & menſium effluuium, tum etiam ob caloris incrementum, non ſanatur, nec poſtea ſanabitur. Demonſtratio. 2.

Quod epilepſia altera naſcitur à pueritia ante 25. annum, altera vero poſt illud tempus. Rurſus earum vtraque vel accidit nulla parte manifeſte læſa, vel ex aliquo membro initium ſumit, vt à capite ſeu alia corporis parte. Card. ait Hippoc. hic non intelligere illam epilepſiã, quæ ante pubertatem fit, quia in ea ſemper medicus poteſt ſperare remedium ex ætate, cum ſemper exſiccetur corpus, ſed illam, quæ poſt 25. annum naſcitur, ſine cauſa manifeſta, aut victus errore: quia tunc in ætate robuſta fit, nec ex ea amplius remedium haberi poteſt. Hippoc. tamen eam epilepſiam difficillime tolli ſcribit, quæ à pueritia initium capiens ad virilem ætatem producitur, & præcipuè ſi non appareat membrum, vnde manifeſtè incipiat. Poſt hanc ſecundum locum habere dicit, quæ poſt 25. annum aduenit, & ad 45. producitur: at verò ſenes, ſi quando iſto morbo laborant, aut ex eo interimi dicit, vel facilè liberari. Ex quo colligitur hunc morbum poſt 25. annum non eſſe prorſus inſanabilem; ideo addit verbum ferè, quaſi non neceſſario ita ſit. Deſiderat autem in cura huius morbi peritum medicum, ægrum autem iuuenem & laboris amantem, ita tamen ut mens malè diſpoſita non ſit, aut ſtupore quodam attonito detenta: hæc enim ubi adſunt, deſperatæ ſalutis ſunt ſigna. 1. adnotatio. 2. Prædict. Loco cit.

Quod epilepſiæ cauſa Hippocr. multiplex eſt. Nam lib. de ſacro morbo ex humore pituitæ ad ſanguinem fieri ſcripſit: lib. autem de flatibus, auram frigidam per uenas irruentem; quæ duplex cauſa in pueris frenquens eſſe ſolet: lib. autem 7. Epidemiorũ ex atro humore fieri ſcripſit, quæ cum mentem occupauerit, facit melancholiam; cum uerò cerebri corpus, epilepſiam, quæ potiſſimum ſolet fieri in adultis: at cũ 2. adnotatio.

T morbus

morbus conſenuit, cerebrum colliquatur, & prauam qualitatem acquirit, & tunc iam deſperatus eſt. Cæterum duos notat Fernelius epilepticos eo morbos interemptos, quorum adapertis capitibus, alteri abſceſſus in cerebro repertus eſt, alteri uerò corroſa cerebri membrana caluariæ adhærens. Auer. huius mali cauſam immediatam & coniunctam putauit eſſe auram & flatum, tum, quia citò fit & ſoluitur, tum etiam, quia, cum eodem die multoties apprehendat hominem, non videtur uериſimile tantam materiæ copiam agregari poſſe, & eſt probabilis ſententia & ueritati conſona magis, quam ea, qua Galenus putauit ex obſtructione imperfecta naſci.

3. adnotatio. *Quod dixit, epilepſiam amotionem recipere ante 25. annum, nobis ſignificans, uel perfectam illius eradicationem, vel mali diminutionem, maximè autem in ea ætatis mutatione, quæ eſt ad 14. annum: quoniam eo tempore ſeminis & menſium effluuium potens eſt ad malum hoc tollendum. Inter cætera autem, tum ætatis mutatio, tum uictus, nec non etiam locorum, magnam vim habere ad finiendum hoc malum ſcripſit Hippocr.* 2. Aphor. 45. Aph.

APHORISMVS OCTAVVS.

Qui pleuritide laborant, &c.

Cõnexio. *NExus cum ſuperiori huius Aphoriſmi clarus eſt. Sicuti enim ibi de tempore egit quo diſtentio & epilepſia terminari ſolent, morbi celeres & grauiſſimi: ita hic de tempore, quo pleura iudicatur illi ſermo eſt, morbo non minus graui & periculoſo.*

Intentio. *Pleuritici, niſi intra dies 14. ſupernè repurgentur, empyici fiunt.*

Rõ intentionis. *Vt oſtendat duas eſſe præcipuè vias terminandi pleuritidem, vel per ſputum, uel tranſmutatione facta in ſuppurationem: ſimul etiam doceat tẽpus, quo hæc fiant, quò & prædicere, & curare comodè poſſit medicus.*

Demõſtratio. *Pleuritis acutus eſt morbus: ergo niſi intra 14. dies ſupra repurgetur, in ſuppurationem tranſit.*

Lib. de affec. *Antecedens notum eſt Hippoc. enim primo acutorum inter acutos morbos numerat pleuritidem, pulmoniam, anginam, phrenitidem. Conſequens deducitur, quia cum iudicium in acuto morbo intra dies 14. fiat, & criſis ſit magna mutatio, per quã vel augetur morbus, vel minuitur, vel in alium tranſit, ſequitur, ut ſi non ſoluatur per ſputum, in ſuppurationem tranſeat, ſi ſperanda eſt aliquo pacto ſalus. Nam abſceſſus internæ membranæ thoracis duas potiſſimum habet vias, ſolutionis repurgationem per ſputum, aut ſuppurationem.*

1. adnotatio. *Quòd pleuritis altera eſt exquiſita, altera uero notha. Exquiſita dicitur*

citur inflãmatio eius membranæ, quæ coſtas cingit, ex optimo ſanguine, ſeu etiam billioſo cum lateris dolore pungenti ſpirandi difficultate, febre continua, tuſſi & pulſu ſerratilo. Notha uero pleuritis dicitur quicumque dolor ad coſtas eſt, dummodo eius conditiones non habeat, vt quæ à pituita, ſeu à flatu fiat, & quæ externos muſculos thoracis occupat. Hippoc. in hoc loco de uera & exquiſita pleuritide uerba facit.

Quod inflammatio omnis quinque modis terminari poteſt, reſolutione, reſudatione, ſuppuratione, induratione, aut denique putredine. Pleuritis rarò reſoluitur, frequenter tamẽ per reſudationem, quia inflammationes partium internarum ob earum calorem & raritatem facile materiam tranſmittunt. Per ſuppurationem pleuritis terminatur, cum natura mediam quandam uiam tentat, nec omninò uincens, vt in reſolutione & repurgatione, nec uicta, ut in putrefactione. In ſcirrum uero pleuris non degenerat propter partis caliditatem atque humiditatem. In putredinem autem tendit pleuritis, quando peſtilens eſſe ſolet, aut ita grandis inflammatio eſt, vt adurat partem, atque tunc latus liuidum apparet, quaſi (ut ait Hippoc) fulmine percuſſi ſint. Hippocrates igitur pleuritim in ſuppurationem mutari ait, cum quatuordecim diebus materia ſurſum non euacuatur, ita tamen intelligendum eſt, ſi non alia peſſima ſigna appareant, quia prius poteſt ſuffocare hominem, aut putreſaciendo interimere. 2. adnotatio. 1. Acut.

Quòd ſuppuratio in pleuritide duplex eſt; altera perfecta, altera uero imperfecta. Imperfecta ſuppuratio ſemper fit in pleuritide, quæ per ſputum repurgatur, quia quod expuitur aut pus eſt, aut puris naturam redolet. At perfecta ſuppuratio eſt, qua nihil ſupra educitur, aut non in tanta copia, ut poſſit morbum finire, quare remanet, & fit pus, & de hac loquitur Hippoc. cum dicit ſuppurari pleuritim, quæ inter dies quatuordecim non repurgatur. 3. adnotatio.

Quod ſuppuratus ſecundo modo bifariam intelligitur, uel cum pus cõtinetur in vomica & tumore, vel cum rumpitur & in thoracem effunditur. Vtroque modo intelligi poteſt Aphoriſmus: ruptio tamẽ ſequitor uomicã: principium ſuppurationis poſuit Hippoc. ille cum augetur febris, rigor, & pondus pro dolore. Eruptionem verò fieri dixit aliquando ad vigeſimam diem, aliquando ad quadrageſimam, vel ſexageſimam: uidit tamen lateris dolorem ſuppuratum inter dies quatuor, id quod raro contingit, aut quia ex aliqua alia corporis parte natura pus ad thoracem tranſmittit. 4. adnotatio. In Progn.

Quòd non repurgari dupliciter intelligitur, uel quia nihil educitur, vel quia quod educitur non eſt in tanta copia, quanta influit: quo utroque modo ſuppuratio eſt ſperanda. Cæterum ſigna futuræ ſuppurationis ſcripit Hippoc. in doloribus lateris & pulmonis: ſi dolor non ſedetur, nec 5. adnotatio. In Progn.

ad ſputum, nec ad ſanguinis emiſſionem aut medicamentum, & febris perſeueret, aut ſi non aliqua euidens euacuatio appareat, dummodo tamen reliqua bona ſigna adſint. Hic vero in contrarium adduci poteſt, Anaxionem pleuriticum ad trigeſimum quartum diem perueniſſe ſine ſuppuratione. Dicendum, quatuordecim dies numerandos eſſe, à die quo cœpit ſpuere, cœpit autem undecima die, non tamen continuè expuit. Vel dic, caſum illum fuiſſe rarum: Hippoc. autem hic ſcribere quæ ut plurimum contingunt.

3. Epid.

APHORISMVS NONVS.

Tabes ijs maximè ætatibus fit, &c.

Cõnexio. *CVm de ſuppuratis in antecedenti mentionem feciſſet, & ſuppuratio tabi ſit perquam affinis, ideò arrepta occaſione de tabe verba facit in præſenti Aphoriſmo.*

Intentio. *Tabes his maximè ætatibus fit, quæ à decimo octauo anno ſunt ad triceſimum quintum.*

Rõ intentionis. *Vt oſtendat, qua ætate iſte morbus præcipuè accidat, ideò per illud tempus magnam curam habendam eorum, qui prompti ſunt ad eum.*

Demonſtratio. *Quæ ætas cauſas potiſſimum habet ipſius tabis, maximè prompta erit ad illam: ſed ætas à decimooctauo ad trigeſimum quintum annum potiſſimum cauſas habet ipſius tabis: Ergo in ea ætate potiſſimum iſte morbus fiet.*

Maior certa eſt. Minor probatur. Nam in ea ætate multus eſt ſanguis & valdè calidus, quia calidiſſima eſt: ideò ad ruptionem & ad reſudationem ipſius ſanguinis apta. Adde, bilem & pituitam abundare potiſſimum per illud tempus, vnde fluxiones concitantur, malam quoque rationem uictus, quia ob robur non curantur errores.

1. adnotatio. *Quod tabes hic intelligitur pulmonis vlcus, cuius cauſa quadruplex eſt: prima ſanguis extrauenatus, ruptione, reſeratione, ſeu uarice in pulmone facta. Secunda fluxio biliosa & acris à capite ad pulmonem irruens. Tertia ſuppuratio corrupto pure in pulmone. Quarta, occulta quædam putredo ſubſtantiæ ipſius pulmonis, quæ omnium peſſima eſt: quæ omnes tabis ſpecies magis in prædicta ætate fieri conſueuerunt, & præcipuè in his, quorum natura ad eam prompta eſt.*

2. adnotatio. 1. de mor. *Quòd non ſolum in prædicta ætate magis accidit tabes, ſed eſt etiam periculoſior, vt ſcripſit Hippocr. quoniam magis inflammantur, & minus*

minus expurgantur Iuuenes quam ſenes, in his maximè, quæ ruptione & violenta cauſa fiunt. Magis tamen periclitantur ſenes in ea tabis ſpecie, quæ ex ſuppuratione oritur. Sed dices ex ſecundo Aphoriſ. ſi minus periclitantur, quorum ætati morbus eſt ſimilis: ergo deberet tabes omnis in iſta ætate eſſe minus perículoſa. Dic contingere id ex accidenti & non per ſe, ratione ſcilicet inflammationis.

APHORISMVS DECIMVS.

Quibus ex angina in pulmonem, &c.

CVm in antecedenti de tranſmutatione pleuritidis inſuppuratiouem dixiſſet, nunc de tranſmutatione anginæ agit, morbi grauiſſimi. Cōnexio

Duæ concluſiones ponuntur in textu, quarum prima eſt; angina in pulmonem verſa intra ſeptimum diem occidit. Secunda verò: angina quæ in pulmonem vertitur ſi intra ſeptem dies non occidit, ſuppuratur. Intentio.

Vt exitum oſtendat anginæ, cum in pulmonem vertitur, vnde & ad prognoſticum, & curationem vtilis habeatur ſententia. Rō intentionis.

Diuiditur in partes duas Aphoriſmus iſte, penes concluſiones duas ſupra allatas. Diuiſio.

Vtraque concluſio hoc pacto probari poteſt. Angina in pulmonem verſa, vel naturam victam oſtendit, vel valdè opreſſam: ergo uel mors intra ſeptimum diem, vel ſuppuratio ſperanda eſt. Demonſtratio.

Antecedens probatur: quia, ſi natura non poteſt materiam, vel per ſputum, vel per tumorem tranſmittere, ſed intra partem nobilem, neceſſe eſt vel victam, vel admodum oppreſſam fuiſſe. Conſequens probatur: nam ſi victa eſt, intra ſeptem dies occupabitur, non potens ſufferre amplius grauiſſimos labores: at ſi fortis ſit natura, & labores per ſeptem dies ſuſtulit, ſuppurabitur.

Quòd cum triplex ſit angina; una, in qua nihil in faucibus apparet cum magno dolore & ſpirandi difficultate. Secunda, qua rubent fauces, & quæ ſimilem dolorem infert. Tertia in qua tumor & rubor extra apparent: Hippoc. hic potiſſimum de prima & ſecunda loquitur, quia ſunt lethales. Nam prima interficere ſolet die ſecunda, aut tertia: & ſecunda, quamuis diuturnior ſit, eſt tamen non minus lethalis. Quare ſi mortem vitent, fieri non poteſt, quin materia transferatur ad pulmonem & ſuffucando interficiat, aut ſuppuretur: ideo aliqui legunt, qui ex angina liberantur (qualis eſt prima & ſecunda) in pulmoniam 1. adnotatio. Hippocr. 3. Progn.

 inci-

incidunt. Sed tamen melior eſt Cænomani lectio in hunc modum: quibus ex angina malum in pulmonem uertitur, uel moriuntur intra ſeptem dies, vel eos tranſeuntes, ſuppurantur.

2. adnotatio. *Quòd Hippocr. libro de morbis, & in Coacis prædict. iſtam propoſitionem coarctat, addens, ſuppurationem fieri ex angina translata ad pulmonem, niſi ſurſum eductio pituitoſa fiat. Verum, vt alibi dixi, quæ in Aphoriſmis ſcribuntur, vt vltimo loco ſcripta & elaborata ſunt, ita maximè recipi debent, quia raro contingere poteſt vt per ſputum pulmonia ex angina purgetur. Nam, ſi natura poſſet expurgare, id efficeret, nec tranſmitteret materiam ad principale membrum: eſt enim illa tranſmiſſio ſymptomatica, & naturæ oppreſſæ, ita ut inde mors, uel ſuppuratio ſit neceſſariò ſperanda.*

3. adnotatio. *Quod angina, quæ ſe extra profert vel tumore, uel rubore minus eſt periculoſa. Si tumor, vel rubor occultatur, tunc maximè ſperanda eſt vel ſuppuratio, vel delirium, ſi dolor maneat, nec appareat aliqua euacuatio. Nam Eryſipilas quando intro conuertitur, malum eſt: ſignificatur enim per id, materiam vel ad cerebrum, vel ad pulmonem repere. Viæ autem per quas iſta materia ad pulmones fluit, aut uenæ ſunt, aut corporis conſenſus ille, quo dixit Hippoc. tranſpirabile & fluxile eſſe corpus totum.*

APHORISMVS VNDECIMVS.

Qui tabe vexantur, &c.

Cōnexio. *Cum Hippoc. in nono Aphoriſmo ætatem, quæ ad tabem apta eſt, explicaſſet, in præſenti modo ſententia euentum in ea docet ad perniciem, per duo ſigna.*

Intentio. *Si ſputum in tabidis carbonibus iniectum olet grauiter, & capilli defluunt, mortale eſt.*

Rō intentionis. *Vt moneat medicum, ne iſtius morbi ſuſcipiat curam, cum ad illa ſigna peruenit, ſed prædictioni remittat ægrum.*

Demonſtratio. *Quod indicat vlcus malignum in pulmone, & corpus non nutriri eſt lethale: ſed tale eſt ſputum grauiter olens, & capillorum defluuium in tabe: ergo vbi hæc ſigna adſunt, lethalis eſt morbus. Maior declaratur; nam ſi vlcus malignum in parte externa corporis non poteſt ſanari, niſi per ignem, tanto minus in pulmone membro ad putreſcendum apto, & in internis corporis partibus latente. Pilorum quoque defluuium alimenti defectum ſignificat, & ideò corpus non amplius nutriri poſſe, ex quo mors ſignificatur. Minor probatur: quia fœtor puris in*

igne, vlcus putre oſtendit, & pilorum defluuium humorum defectum & altionis priuationem.

Quod puris fœtor, maximè in igne, magnam putredinem oſtendit. Nam ſi calor ignis fœtorem non extinguit, ſignum eſt putredinem maximam eſſe. Addit autem pilorum defluuium, quia, cum ex pulmone aliquando pituita grauè olens educatur, nec mors perinde neceſſariò ſequatur, accedente pilorum defluuio, confirmatur malum: nam illud ſignum, teſte Hippoc. oſtendit pus iam circa cor putrefieri. 1. adnotatio. 2. de mor.

Quod pus à pituita diſtinguitur, quia ſi in aquam infundatur, pus fundum petit, pituita autem remanet: & ſi cum pituita pus mixtum fuerit, ſegregatur pus & fundum petit: aſſumit autem Hippoc. aquam ſalſam ad hanc experientiam. At non ſolum in tabe, ſed & in ſuppuratis ſi pus fœtidum fuerit perniciosum eſſe ſcripſit Hippoc. nec tantum in ſuppurationibus thoracis, verumetiam hepatis ſi pus fœtidum fuerit, mortale. 2. adnotatio. In Progn.

APHORISMVS DVODECIMVS.

Quibus per tabem capilli defluunt, &c.

C*Vm in ſuperiore lethalia ſigna tabis ſcripſiſſet, in præſenti modò ſententia, tempus ipſius morbi ex alio ſuperuenienti ſigno deſcribit.* Cōnexio.

Si in tabe cum pilorum defluuio alui fluxus ſuperueniat, mors in propinquo. Intentio.

Quo non ſolum futura mors, ſed & ipſius tempus à medico deſcribi poſſit; & ut demonſtret, alui fluxum peſſimum ſignum eſſe in omnibus valdè extenuatis. Rō intentionis.

Quod extremè debilitato accidit, & debilitandi vim habet, mortem cito afferet: ſed alui fluxus adueniens tabi, cum defluuio capillorum, valde debili accidit, & debilitandi uim habet: igitur ex tali ſigno mors propinqua dignoſcitur. Demōſtratio.

Maior certa eſt: Minor probatur: nam tabes, cum defluuio capillorum, extremam conſumptionem oſtendit: fluxus uero alui ſuperueniens uim habet debilitandi: eſt enim mala, & ut ſignum, quia iam retentricem facultatem emortuam nunciat, & vt cauſa, quia corpus euacuans uires debilitat.

Quòd Hippocr. duobus modis ſcripſit extingui tabidos, uel per ſuffocationem ſputo retento, aut ex alui fluxu ſuperueniente, id quod ex puris accidit mordacitate ad uentriculum confluentis. Nec uerò ſolum 1. adnotatio. 1. De morbis.

7.Aphor. Aph. 6. *in tabe, ſed in omni longo morbo peſſimum ſignum eſt alui fluxus, vt ſcriptum eſt ab Hippoc. Cæterum, tabes in ſui principio curationem admittere poteſt, antequam inflammatio fiat & corpus attenuetur & colliquetur, quo deinceps tempore nulla ſanandi ſpes eſt reliqua.*

APHORISMVS XIII.

Qui ſpumantem ſanguinem, &c.

Cõnexio. *Magnam dependentiam habet præſens Aphoriſmus cum duobus ſuperioribus. Nam cum in illis ſermonem de tabe habuiſſet, nunc de ſputo ſanguinis verba facit, quod illius ſignum quaſi pathognomonicum cenſetur.*

Intentio. *Qui ſpumantem ſanguinem extuſſiunt, ijs à pulmone educitur.*

Rõ intentionis. *Vt demonſtret, ab excretis, & illorum ſubſtantia, quæ pars intus affecta ſit, & præterea, quando ſanguis ex ore effluens ex pulmone veniat, vnde magnum periculum tabis impendet. Nam vt ſcripſit Hip-* 7.Aphor. Aph.15.16 *poc. à ſanguinis ſputo puris ſpuitio, & à pure tabes.*

Demonſtratio. *Sanguis ſpumoſus ſubſtantiam refert pulmonis, & modo peculiari illius membri expellitur, ſcilicet cum tuſſi: ergo ſanguis ſpumoſus per tuſſim eductus, à pulmone manat.*

Antecedens probatur: quoniam pulmo ſpongiam refert, & ideò ſanguis illius, veluti ſpuma, effloreſcit: per tuſſim quoque pulmo, tanquam per peculiarem & ſibi proprium modum, excernere ſolet, quæ infeſtant. Conſequens facilè ſequitur: quia, ſi ſpumoſus ſanguis quaſi ſubſtantiam pulmonis repræſentat, & tuſſis proprius affectus eſt pulmonis, ſequitur vt ſanguis ſpumoſus, & per tuſſim eductus, à pulmone effluat.

1.adnotatio. *Quod ſanguis, qui tuſſi educitur, neceſſariò immediatè venit à pulmone: quia iſte modus alio membro conuenire non poteſt. Et licet ex capite, thorace, vel alia corporis parte primo emanet, neceſſe tamen eſt, ut ſi per tuſſim debet educi, à pulmone veniat. Sed quoniam adhuc ignoratur, an primo & immediatè ex eo emaneat, ideò ſpumam addit: quia vbi hæc duo adſunt, ut per tuſſim excernatur ſanguis, & ſit ſpumoſus, non ex alia parte, quàm ex pulmone euenire poteſt.*

2.adnotatio. *Quod aliud eſt dicere ſpumoſum, aliud ſpumam habere. Spumoſus ſanguis eſt ille, cuius tota ſubſtantia velut ſpuma eſt: at ſi non tota ſubſtantia fuerit ſpumoſus, poteſt etiam ex alia parte, quàm à pulmone, eductus eſſe. Et nota, quod non ſequitur: ſanguis non eſt ſpu-*

moſus:

moſus: ergo non educitur à pulmone, quia ex venis magnis pulmonis ſanguis educitur per tuſſim ſine ſpuma. Sed hoc verum eſt, quandò à ſubſtantia pulmonis excernitur: fieri enim non poteſt, quin ſit ſpumoſus, quia tunc ex vaſis minimis exijt, in quibus iam elaboratus, neceſſe eſt vt ſpumam habeat per totum. Hic ſanguis maximè conſpicitur per interualla iam vlcerato pulmone, aliquando ſeparatus, aliquando autem ſputo commiſtus: vnde ex eo ſanguine, vel præſens tabes, vel iam futura demonſtratur. Caue tamen ne fallaris, cum ex capite ſanguis ad arteriam fluens tuſſi excernitur, ne putes ex pulmone duci: nec enim tunc ſpumoſus apparebit, & ſigna aderunt quæ ex capite deſcendere oſtendent. Ex thorace vero ſanguis qui educitur, paucus & niger eſſe ſolet.

Quod non eſt neceſſarium in omni tabe ſanguinem expui, ſiquidem aliqui tabeſcunt ſine ſputo ſanguinis, cum ſcilicet pulmo occulta quadam putredine corrumpitur, & educitur pituita quædam putris per ſputum cum frebicula quadam perpetua, quæ nullis remedijs cedit. 3. adnotatio.

APHORISMVS XIIII.

Si tabe detento, &c.

HIc Aphoriſmus cum ferè idem ſit cum duodecimo, non eſt quod in illius expoſitione laboremus. Differt tamen ab eo; quia ibi adiunxit pilorum defluuium, vnde propinqua mors colligebatur; hic verò tacuit effluuium capillorum, & alui fluxum ſolummodo ſcripſit, ideò ſolum eſſe perniciosum cenſuit.

APHORISMVS XV.

Qui ex pleuritide empyici fiunt, &c.

CVm ſupra de pleuritide loquens dixiſſet, transmutari in ſuppurationem, niſi intra dies quatuordecim repurgetur, nunc de termino ſuppurationis agit. Cõnexio.

Qui ex pleuritide ſuppurantur, ſi a ruptione empyematis intra dies quadraginta repurgantur, liberantur: ſi verò effugerint eos, tranſeunt in tabem. Intentio.

Rō intentionis. *Vt medicus ſuppurationis euentum, & transmutationem in alium morbum, vel ex vno ſigno, prædicere poſſit, & propterea curet citiſſimè, ut pus quibuſcunque modis foras pellatur, ne homo incidat in tabem, ex qua poſtea difficillimè liberetur.*

Demōſtratio. *Pleuritis, ſi non repurgatur intra dies quatuordecim, tranſit in ſuppurationem: ergo ſuppuratio, ſi quadraginta diebus non purgabitur, tranſiet in tabem.*

Antecedens eſt Aphoriſmus octauus huius. Conſequens, probatur: quia, quæ proportio eſt validæ uirtutis à principio ad repurgationem, eadem debet eſſe virtutis debilioris in ſuppuratione: ſed illa intra dies quatuordecim operans repurgare ſolet: ergo hæc intra dies quadraginta: Adde quadrageſimum diem eſſe ultimum terminum acutorum, & Hippocratem experientia confirmatum, hoc dogma ſcripſiſſe.

1. adnotatio. *Quod ratio huius dicti ex eo colligitur: quia ſi in ſpatio quadradraginta dierum pus non educitur, ſignum eſt læſum eſſe pulmonem, vel pus (vbi per id tempus expurgatum non eſt) neceſſariò acquirere prauam qualitatem, vnde pulmo erroditur. Sed dices, quomodo pus tanto temporis ſpatio contineri poteſt in pulmone ſine putredine? Dic, Hippocrat. hic ſupponere pus optimum in thorace collectum, quod ideò non erodit pulmonem: adde, naturam ſemper eam partem expellere, quæ ad putreſcendum eſt aptior.*

2. adnotatio. *Quod terminus pleuritidis differt à termino pulmoniæ: quia ſicuti pleura, ſi intra dies quatuordecim non repurgetur, fit ſuppuratio: ſic in pulmone, ſi intra ſeptem dies non repurgatur, ſuppuratur. Et ſicuti ſuppurati intra quadraginta dies, ſi non repurgentur, tranſeunt in tabem ex pleuritide, ita ſuppurati ex pulmonia, niſi viginti diebus repurgentur, in tabem tranſeunt. Numerauit autem dies à ruptione vomicæ, non à principio morbi: quia cum enumeratio quatuordecim dierum fiat à die, quo expuit æger, nec illa certa ſit, ideò non numerauit dies à principio morbi, ſed à ruptione. Ruptionis autem ſigna ab ſputo, & ſonitu, atque ſtertore facilè dignoſcuntur; quamuis Hippocrat. eos, qui pleni pure ſunt, ex concuſſione, non ſtertorem edere ſcripſerit. At dices, cum Hippoc. ſuppuratorum ſigna in Progn. numerat, (febrem ſcilicet maiorem ad noctem, ſudorem, tuſſim, oculorum cauitatem, maxillarum ruborem, pedum tumorem, calorem digitorum) dubium eſt, vtrum de ſuppuratione intelligat antequam rumpatur, vel potius poſtquam rupta eſt? Dico, quod iſta ſigna vtriuſque ſuppurationis eſſe poſſunt, quando iam diuturnæ ſunt. Ruptio verò aliquando ad vigeſimum diem, aliquando ad quadrageſimum, aliquando etiam ad ſexageſimum differtur, vbi ſcilicet ſuppuratus ex vomica futurus eſt: at quando ſuppuratus fit, ob fluxionem*

pituitæ ad thoracem, vel puris ex aliqua alia parte, tunc ruptio principium habet ab illo tempore, quo materia irruit ad thoracem.

Quod Hippoc. in Prognoſtico ſigna ſcripſit, quibus in ſuppuratis aut ſalus, aut mors, nec non etiam anceps euentus à medico poteſt prædici. Salus, ſi febris ſtatim à ruptione ceſſet, pus album & leue & æquale ſit, appetitus redeat, & facilè expurgetur: at mors ſperanda, ſi omnia contraria adſint: Verum, ſi partim bona, partim mala appareant, tunc coniecturam facere oportet, ſigna comparando, & numero, & viribus. Cum vero non repurgato pure, intra quadraginta dies ſuppuratio tranſeat in tabem, medicus magnopere niti debet, vt omnibus remedijs intra illud tempus pus educat. Quod ſi non poſſit expurgari, Hippocr. decimo quinto à ruptione die ſectionem molitur ad coſtas, vt materia extrahatur: quod tamen remedium aboleuit, tum ob magnitudinem eius, tum ob medicorum imperitiam. Solebant etiam antiqui inurere per cruſtas thoracem, ut per eas pus extraheretur, lacte tamen prius nutriebant, & craſſe faciebant hominem. 3. adnotatio. 2. de mor.

APHORISMVS XVI.

Calidum frequentiore vſu, &c.

POſteaquam Hippoc. multa ac præclara hactenus, de conuulſione, tetano, epilepſia, pleuritide, angina, tabe, ſuppuratione, morbis notiſſimis necnon etiam grauiſſimis dixiſſet, nunc ad duas primas qualitates, calidum ſcilicet, & frigidum accedit, quæ & illorum morborum cauſæ potiſſimæ ſunt, & remedia: & in præſenti Aphoriſmo caliditatem aſſumit. Cõnexio.

Calidi frequentior vſus hæc inducit incommoda, carnis effeminationem, neruorum incontinentiam, animi torporem, profuſiones ſanguinis, animi deliquia: ad quæ quidem mors. Intentio.

Vt doceat, nullum eſſe tam innocens remedium, quod noxa careat, & præcipuè, ſi non debito modo fiat, & ut vituperet balnei uſum immodicum. Rõ intentionis.

Quod vim habet humectandi, & fundendi humores, ac reſoluendi, (ſi immoderatè fiat) carnẽ effeminat, neruorum incontinentiam facit: ſed calidum immodico uſu, habet uim fundendi & reſoluendi: ergo prædicta efficiet. Demonſtratio.

Maior probatur: nam carnis mollities, neruorum incontinentia & reliqua, partim proueniunt à calido abſolutè, partim à calido & humido. Calidum aperit, diſſoluit, unde uenarum apertiones, & syncopes, & mortem affert. Calidum humidum carnis facit effeminationẽ, & ner-

& neruorum incontinentiam, & mentis torporem, veluti Auſter (vt antea dictum eſt.) Minor ex ſequenti adnotatione patebit.

1. adnotatio. *Quod per calidum, non ſolum aquæ calentis balnei, ſed omne calidum intelligit, quod nobis voluptuoſum eſt, ſeu ſit in aqua, ſeu in aere; vnde Auſter iſta efficiendi vim habet: quia tale calidum vim habet humectandi & fundendi.* Aphor. 5. huius lib. *Per hunc itaque Aphoriſmum vituperat Hipp. immodicum balneorum uſum, non ſolum aquæ, ſed caldariorum illorum quibus utuntur Germani: & præterea vnctiones, & quæcunque calida prædictā vim habentia, ſiquidem non ſolum ſanitas per hæc culpatur, ſed & cita mors aduenit.*

2. adnotatio. *Quod ille vſus immodicus balnei tripliciter intelligitur: vel ſi ad balneum referatur, vel ſi aqua ſit nimis calida, vel ſi tepida ſit, ſed ſi multum in ea moretur quiſpiam uel ſi frequentur & multoties balneo utatur. Galenus tamen aquam balnei iuſto calidiorē exſiccare potius, quàm humectare aſſerere uiſus eſt: ideò ſecundo modo magis intelligit. Non tamen eſt negādum, animi deliquia, ſanguinis effuſiones, & mortem ad balneum valdè calidum ſequi: humectandi quoque vim aqua feruens, ſaltem actu, amittere non poteſt, quamuis poteſtate ſiccandi uim habeat.*

3. adnotatio. *Quod uerba illa. (Ad quæ quidem mors) duplicē intellectum habent; aut quod mors ſequatur repentina ad animi deliquium, vt contigit illi, cuius mentionē fecit Galenus 1. Progn. aut quod mors ſequatur ad illa omnia, ſcilicet neruorum incontinentiam &c. quia ex illis vita breuior fit: quo utroque modo ſententia intelligi poteſt, & uerò ſimilis eſt.*

APHORISMVS XVII.

Frigidum uerò conuulſiones, &c.

Cōnexio. *CVm de nocumentis calidi in antecedenti Aphriſmo egiſſet, accedit nunc ad frigidi nocumenta explicanda: ſunt enim iſtæ duæ qualitates primæ, ſibique inuicem non rarò ſuccedentes, licet contrariæ.*

Intentio. *Frigidum, conuulſiones, tetanos, nigrores, & rigores febriles affert.*

Rō intentionis. *Vt demonſtret, quàm nociuus ſit immodicus frigidorum vſus, ſiquidem grauiſſimos afferat morbos.*

Demonſtratio. *Quod neruos contrahendi vim habet, & caloris extinguendi, conuulſorium eſt, tetanicum, rigorificum & nigrores inducens: ſed tale eſt frigidum immodicum: Ergo prædicta efficiet.*

Maior declaratur: quia conuulſio & tetanos neruorum ſunt affectiones attractorum: item quod extinguit calorem, liuores inducit, coloremque extinguit, & rigores ſua natura efficit. Minor probatur: nam frigidum exprimendo & condenſando conſtipat, & neruos diſtendit: frigidum etiam ſua natura, & calorem extinguit, & frigiditatem inducit, vnde rigores & liuores.

Quod

Quod calidum & frigidum, vel pro qualitate dicuntur, vel pro corpore calido vel frigido. In præcedenti Aphoriſmo corpus calidum intelligit: hic verò non ſolum corpus frigidum, ſed & qualitatem prædicta accidentia efficere intendit, ſeu ſit aquæ frigiditas, ſeu aeris, ſeu medicamenti ualde refrigerantis. Cæterum, veritatem huius Aphoriſmi facilè experiuntur illi, qui per niues, & Alpes iter faciunt: nam & diſtenduntur ac rigent; partes quoque exangues, vt pedes, illis decidunt & liueſcunt extincto calido. 1. adnotatio.

Quòd frigidum rigores febriles inducere dupliciter intelligi debet. Nam rigor febrilis vel intelligitur ille, ad quem febris ſequitur denſata cute: vel quod ſit ſimilis rigori febrili, ut in ijs qui per hyemem nudi ad frigora ſe exponunt, & dentibus ſtrident: quo utroque modo vera eſt Aphoriſmi ſententia. Ideò ex hoc manifeſtè colligitur, Hippoc. non fuiſſe eius opinionis, vt ſemper ad rigorem ſequatur febris: quia & ex frigore & cruditatibus rigor ſine febre accidere ſolet. Cum verò primo de morbis ad rigorem neceſſariò febrem ſequi ſcripſit, de illo rigore intelligendum eſt, qui ad bilem mordentem partes ſenſiles, conſequi ſolet. 2. adnotatio.

APHORISMVS XVIII.

Frigidum inimicum oſſibus, &c.

CVm in vniuerſum in præcedenti ſententia nocumenta explicaſſet frigidi immoderati, in præſenti modo explicat, quibus potiſſimum membris frigidum noceat. Cōnexio

Duas concluſiones habet Aphoriſmus iſte: prima frigidum inimicum ponit oſſibus, dentibus, cerebro, neruis, ſpinæ. Secunda calidum his amicum. Intentio.

Vt explicet, quæ membra præcipuè à frigido patiantur, videlicet omnia exanguia membra & excarnea: & proinde ab illis pellendam eſſe frigiditatem, caloremque potius in uſu eorum fore ſalubrem. Rō intentionis.

In duas partes iuxta duas concluſiones hæc ſententia diuidi poteſt: quarum prima docet quibus membris frigidum noceat: ſecunda calidum eiſdem utile ponit. Diuiſio.

Partes exangues frigidum habent inimicum: ergo dentes & oſſa, nerui, cerebrum, ſpina, à frigido læduntur. Demonſtratio. 1.

Antecedens probatur: quia, cùm partes exangues frigidæ ſint, à quocumque frigido læduntur, quemadmodum animalia exanguia, vt ſerpentes per hyemem. Conſequentia facilè ſequitur: quia prædictæ partes omnes pauci ſunt caloris, cum pauco ſanguine abundent, & carne careant.

careant. Secunda concluſio facilè ex prima deducitur, tanquam à contrario.

1. adnotatio. *Quòd hæc ſententia habet contrà ſe experientiam. Nam dentes frigidæ lotione conſeruari videntur; ideo ea ratione reliqua membra frigida à ſimili per frigidum ſeruari cum debeant, non videntur ita lædi à frido: propter hanc dubitationem dixit Cardanus, Hippoc. hic intelligere, non de frigido actu, ſed poteſtate, quale eſt frigidum mandragoræ, opij, & præcipuè ſi adhibeatur partibus prædictis nudatis, vt in vulneribus neruorum. Sed tamen non eſt negandum, omnem frigiditatem, etiam aquæ, lædere partes prædictas: nam aqua ſtuporem inducendi vim habet, & omne frigidum, vt inferius Hippoc. ſcripſit. Quod ſi dentes iuuamentum percipiunt à lotione frigidæ, id propter ablutionem accidit. Oculi quoque non rigent à frigido, ratione multæ pinguedinis. In vniuerſum tamen frigidum facilè ægrotare facit partes frigidas, & ideò calidorum vſus illis commodior eſt. Adde, omnes corporis partes prædictas à calido influente, & partium vicinarum actu caleſcere; vnde ad ſui conſeruationem calidum magis, quàm frigidum expoſcere.*

2. adnotatio. *Quòd calidum dupliciter intelligitur: aut moderatum, quale eſt tepidi balnei: aut intenſius, quale eſt aquæ in eo calore, vt ſufferri poſſit: primo modo calidum amicum eſt prædictis partibus, dum ſanæ ſunt: at ſecundo modo magis conuenit dum ægrotant, & nudatæ ſunt. Hinc fit ut valde calidum, ſicut & frigidum, dentibus noceat, non tamen moderate calidum. Hinc etiàm colligitur, (re exiſtente dubia) in effectibus illarum partiũ, calorificis utendum remedijs: cum verò prædictæ partes vulneratæ ſunt, & præcipuè cerebrum, adeò timet Hippoc. frigiditatem aeris, vt multi, vel ex leuibus vulneribus, ob eã iniuriam mortui ſint.*

3. adnotatio. *Quòd Hippoc. in hoc Aphoriſmo ſeparare videtur dentes ab oſſibus, quia reliqua oſſa non dolent, dentes autem dolent, ſeu id per ſe accidat, ſeu potius propter neruum, qui in radicem eorum inſeritur. Cæterum, neruorum nomine intelligit Hippoc. non ſolum uerè neruos, ſed ligamenta, membranas, tendines. Infra quoque ſupradictis membris, quibus dicit inimicum eſſe frigidum, addit veſicam, pedes, ſedem, pudenda, pectus.*

APHORISMS XIX.

Quæ præfrigerata ſunt, &c.

Cõnexio. *CVm dixiſſet in antecedenti, quibus membris frigidum ſit aduerſum, nactus occaſionem, in præſenti ſententia proponit præceptum valde utile, ad calidum & frigidum pertinens.*

Quæ

Quæ præfrigerata ſunt, excalefacere oportet, præter ea quæ ſanguinem profundunt, aut breui ſunt profuſura. Intentio.

Non ſolum vt doceat, per contraria fieri curationem, ſed in ea ipſa curatione aduertendum, ſi quid prohibeat legitimum contrariorum vſum, ſeu illud prohibens actu, ſeu potentia. Rō intentionis.

Duæ proponuntur concluſiones in Aphoriſmo, ideò in duas partes rectè diuidi poteſt. Prima dicit, calefaciendas eſſe partes refrigeratas. Secunda negat id faciendum ſi ſanguis fluat, aut fluxurus ſit. Diuiſio.

Prima concluſio per ſe clara eſt: nam per contraria cum fiat curatio, & calidum & frigidum ſint contraria, ideò refrigerata ſunt calefacienda. Secunda concluſio ita probari poteſt: Sanguinis fluxus maius malum eſt quàm refrigeratio: ergo non ſunt calefaciendæ partes, à quibus vel ſanguis fluit, uel fluxurus eſt. Antecedens probatur: quia hic Hippoc. de ſymptomatica, & morboſa fluxione loquitur ſanguinis, ubi plus quã decet, defluit, à qua vitæ periculum & magnorum malorum impendet, magis quam ex refrigeratione morboſa. Conſequentia probatur: quia calidum, vt antea dictum eſt, venas aperit & fluxionem irritat.

Quòd Hippocr. dixit partes refrigeratas eſſe calefaciendas potius, quam è contra: quia calidum potius corrigit & ſeruat, frigidum uerò deſtruit, & præcipuè cum locutus ſit de membris, quæ facilè patiuntur à frigido. Innuit tamen, conſiderandum à medico fluxionis ſanguinis exemplo, ſi quid probibet, & contra indicat: quia intendendum eſt ei, quod magis vrget. Exemplum habes de ruptione uenæ pectoris ex frigiditate: nam, licet ratione cauſæ calefaciens remedium requiratur, ratione tamen ſanguinis, qui fluit aut fluxurus eſt probibetur: per quæ verba præcautionem iubet faciendam, vt ſi mulieri menſtrua, magis quàm decet, fluxura timeantur, (licet loca illa frigida ſint) non tamen eſſe calefacienda. Quòd verò inter calida, tepidæ infuſio ſanguinem moueat, exẽplo Metonis Hipp. confirmauit, cui cũ nimium quã decebat, ſanguinem fluere è naribus uidit ſe capitis, lotionibus vſum eſſe dicit. 1. adnotatio. 2. Epid. ægro. 12.

Quòd affectus præter naturam, aut unus eſt, aut plures. Si unus, aut eſt ſimplex & ſine cauſa, vel conmitatus & cum cauſa. In affectu ſimplici per contraria curatio fieri debet, ſicuti in reliquis vbi conſentiunt inter ſe. Sed in comitato affectu ſeu uno, ſeu pluribus, (deſidentibus indicationibus) ſemper babenda eſt ratio eius quod magis vrget Quod Hippoc. in præſenti docuit Aphoriſmo, cum probibet calefaciendas eſſe partes vnde ſanguis fluit, etiam ſi ſint refrigeratæ: ſed ſi frigiditas magis læderet, quam ſanguinis fluxus, vt in tetano, aut mortificatis partibus per magna frigora, tunc calefaciendæ: & in ea calefactione curandum, ut paulatim fiat, alioquin magnus dolor concitabitur, & irritabitur frigiditas. 2. adnotatio.

APHO-

APHORISMVS XX.

Frigidum vlceribus mordax, &c.

Cónexio. *CVm abſolutè in præcedenti ſententia docuiſſet, quibus membris frigiditas nocua ſit, nunc explicat quibus morbis potiſſimum aduerſetur.*

Intentio. *Frigidum ulceribus mordax, cutim obdurat, dolorem inſuppurabilem facit.*

Rō intentionis. *Vt oſtendat detectas partes & carne denudatas, à frigido maximè pati, ideò ab ulceribus omne medicamentum remouendum actu frigidum.*

Demonſtratio. *Frigidum uim habet comprimendi & vellicandi partes, congelandi, & extinguendi, ergo vlceribus mordax erit, cutem obdurabit.*

Conſequens probatur: nam quod continuum ſoluit & comprimit, mordendi vim habet: quod item congelat & ſiccat, indurat, & indurando ſuppurationem prohibet: quod calorem extinguit nigrores inducit & conuulſiones creat. At frigidum manifeſtè omnia iſta efficiendi uim habet: quod erat in antecedenti probandum: comprimit enim, & ſiccat, & indurat, calorem extinguit, ad quæ ſequuntur illa omnia.

1. adnotatio. *Quòd ulcus hic omnem continui ſolutionem ſignificat, ſeu illa ſit recens quæ uulnus dicitur, ſeu antiqua quæ ulcus appellatur. Frigidum quoque, cum actu vel potentia dicatur, præcipuè intelligit de frigido actu: quia frigidum potentia, quale eſt aqua calida, aliquando ulceribus conuenit. Eſt autem frigidum aut validum, & ſic mordet etiam cutim, & partes corporis tectas, quale eſt Boreæ: aut mediocre, & hoc licet cutim non mordeat, ulcus tamen mordendi uim habet, ob ſenſus acutiem & inaſuetudinem. Cum uerò tot mala creet frigiditas in vlcere, & tam grauia, monet per id Hippoc. ne frigidum vlceribus admoueatur. Proinde non carent reprehenſione chirurgi, admouentes ſine diſcrimine acetum & albumen oui in vulneribus capitis & partium neruoſarum, cum clamet Hippoc. remouendum eſſe frigidum ab ulcere.*

2. adnotatio. *Quòd frigida medicamenta actu non debent vulneribus admoueri, niſi ob magnam vrgentiam, vt ob ſanguinis fluxum ualidum & timoroſum, aut ad arcendum inflammationem in partibus carnoſis: nunquam tamen in neruoſis, quia per iſta, ob dolorem, inflammatio & conulſio accedunt. Cęterum, ſiquando abluenda ſunt ulcera in partibus carnoſis, uino id faciendum eſſe monet Hippoc. at in partibus neruoſis & in articulis, non uino, quia mordax illis eſt, ſed potius tepida aut calida aqua.* Lib. de ulcer.

3. adnotatio. *Quòd ſuppuratio ea eſt, quæ citò ſi fiat in ulcere, prohibere ſoleat, vt*

docet

docet Hippocr. ſed id intelligendum eſt in vulneribus, quæ ſuppuratio-nem requirunt, qualia ſunt contuſa & diſrupta. Vulnus autem ſimplex prima intentione curatur, niſi aliquid habeat adiunctum, ut intemperiẽ, aut inflammationem, tunc enim curationis initium ab his fieri debet. Vlcus autem calidum frigida repoſcit, non tamen actu talia: quod ſi actu adhibentur, vel admixta cum calidis, vel non ipſi vlceri, ſed circa partes vlceratas applicari debet. Lib. de vlcer.

APHORISMVS XXI.

Eſt autem vbi in tetano ſine ulcere, &c.

C*Vm de conuulſione & tetano ſupra tractaſſet, & à frigido fieri dixiſſet, nunc curandi illud occaſionem arripit, & præceptum tradit ad artem valde vtile.* Cõnexio

Tetanum larga frigidæ perfuſio ſanare poteſt. Intentio.

Vt oſtendat (quod admirabile cuiquam videbitur) frigiditatem & efficiendi & ſoluendi tetanum vim habere, & proinde non eſſe perpetuum argumentum illud, quod à iuuantibus & à nocentibus ſumitur; cum & à ſimile & à contrario ſolui morbus poſſit. Rõ intentionis.

In duas partes ſecari poteſt ſententia iſta, vt prima contineat propoſitionem & gloſſam: ſecunda verò cauſam illius. Diuiſio.

Quod calorem reuocat & auget tetanum ſanare poteſt: ergo frigidæ larga effuſio id efficere poteſt. Antecedens probatur, quia tetanos frigidus eſt morbus, & à repletione oritur: quare à calore ſoluetur. Conſequens probatur: quia frigidæ aquæ perfuſio calorem vnit & meatus denſat. Demonſtratio.

Quod Hippocr. ſermo non eſt de conuulſione omni, ſed de illa, quæ diſtentio dicitur, dummodo non ſequatur ad vulnus, quia frigidum vlceribus mordax. Addit, quod conuulſio ſit in ætate iuuentutis: quia pueritia, & ſenectus iſtud remedium ferre nequit. Supponit etiã tempus æſtiuum, timens frigiditatem, ſicuti bonæ carnis præditum ob eandem rationem. Quæ omnia ſi adſint, ſemper remedium hoc iuuabit: nec tamen ſequitur, vt, ſi non adſint, neceſſario lædere debeat, ſed Hippoc. prædictas conditiones appoſuit, memor ſemper conſeruationis ægri: nam in magnis remedijs præcipuè eius præcepti habenda eſt ratio, quod docet, medicam manum non in nocumentum, ſed in ægri iuuamentum ita promptam eſſe debere, vt, ſi non iuuet, ſaltẽ non lædat, cumq; extremus morbus proponatur & extrema remedia requirens, malè Paulus hoc remediũ uituperat. 1. adnotatio.

Quod illa aquæ perfuſio larga eſſe debet, & frequens, & ex alto, & potiſſimum ad partes corporis carnoſas & calidas, qualis venter eſt inferior ad Hypochondria: Caput tamen vitare oportet: Facta perfuſione æger veſtibus cooperiendus eſt calidis & mundis, ad prouocandum ſudorem. So- 2. adnotatio.

APHORISMVS XX.

Frigidum vlceribus mordax, &c.

Cõnexio. *Cvm abſolutè in præcedenti ſententia docuiſſet, quibus membris frigiditas nocua ſit, nunc explicat quibus morbis potiſſimum aduerſetur.*

Intentio. *Frigidum ulceribus mordax, cutim obdurat, dolorem inſuppurabilem facit.*

Rõ intentionis. *Vt oſtendat detectas partes & carne denudatas, à frigido maximè pati, ideò ab ulceribus omne medicamentum remouendum actu frigidum.*

Demonſtratio. *Frigidum uim habet comprimendi & vellicandi partes, congelandi, & extinguendi, ergo vlceribus mordax erit, cutem obdurabit.*

Conſequens probatur: nam quod continuum ſoluit & comprimit, mordendi vim habet: quod item congelat & ſiccat, indurat, & induranda ſuppurationem prohibet: quod calorem extinguit nigrores inducit & conuulſiones creat. At frigidum manifeſtè omnia iſta efficiendi uim habet: quod erat in antecedenti probandum: comprimit enim, & ſiccat, & indurat, calorem extinguit, ad quæ ſequuntur illa omnia.

1. adnotatio. *Quòd ulcus hic omnem continui ſolutionem ſignificat, ſeu illa ſit recens quæ uulnus dicitur, ſeu antiqua quæ ulcus appellatur. Frigidum quoque, cum actu vel potentia dicatur, præcipuè intelligit de frigido actu: quia frigidum potentia, quale eſt aqua calida, aliquando ulceribus conuenit. Eſt autem frigidum aut validum, & ſic mordet etiam cutim, & partes corporis tectas, quale eſt Boreæ: aut mediocre, & hoc licet cutim non mordeat, ulcus tamen mordendi uim habet, ob ſenſus acutiem & inaſuetudinem. Cum uerò tot mala creet frigiditas in vlcere, & tam grauia, monet per id Hippoc. ne frigidum vlceribus admoueatur. Proinde non carent reprehenſione chirurgi, admouentes ſine diſcrimine acetum & albumen oui in vulneribus capitis & partium neruoſarum, cum clamet Hippoc. remouendum eſſe frigidum ab ulcere.*

2. adnotatio. *Quòd frigida medicamenta actu non debent vulneribus admoueri, niſi ob magnam vrgentiam, vt ob ſanguinis fluxum ualidum & timoroſum, aut ad arcendum inflammationem in partibus carnoſis: nunquam tamen in neruoſis, quia per iſta, ob dolorem, inflammatio & conuulſio accedunt. Cæterum, ſiquando abluenda ſunt ulcera in partibus carnoſis, uino id faciendum eſſe monet Hippoc. at in partibus neruoſis & in articulis, non uino, quia mordax illis eſt, ſed potius tepida aut calida aqua.* (Lib. de ulcer.)

3. adnotatio. *Quòd ſuppuratio ea eſt, quæ citò ſi fiat in ulcere, prohibere ſoleat, vt docet*

docet Hippocr. ſed id intelligendum eſt in vulneribus, quæ ſuppuratio-nem requirunt, qualia ſunt contuſa & diſrupta. Vulnus autem ſimplex prima intentione curatur, niſi aliquid habeat adiunctum, ut intemperiē, aut inflammationem, tunc enim curationis initium ab his fieri debet. Vlcus autem calidum frigida repoſcit, non tamen actu talia: quod ſi actu adhibentur, vel admixta cum calidis, vel non ipſi vlceri, ſed circa partes vlceratas applicari debet. Lib. de vlcer.

APHORISMVS XXI.

Eſt autem vbi in tetano ſine ulcere, &c.

CVm de conuulſione & tetano ſupra tractaſſet, & à frigido fieri dixiſſet, nunc curandi illud occaſionem arripit, & præceptum tradit ad artem valde vtile. Cōnexio

Tetanum larga frigidæ perfuſio ſanare poteſt. Intentio.

Vt oſtendat (quod admirabile cuiquam videbitur) frigiditatem & efficiendi & ſoluendi tetanum vim habere, & proinde non eſſe perpetuum argumentum illud, quod à iuuantibus & à nocentibus ſumitur; cum & à ſimile & à contrario ſolui morbus poſſit. Rō intentionis.

In duas partes ſecari poteſt ſententia iſta, vt prima contineat propoſitionem & gloſſam: ſecunda verò cauſam illius. Diuiſio.

Quod calorem reuocat & auget tetanum ſanare poteſt: ergo frigidæ larga effuſio id efficere poteſt. Antecedens probatur, quia tetanos frigidus eſt morbus, & à repletione oritur: quare à calore ſoluetur. Conſequens probatur: quia frigidæ aquæ perfuſio calorem vnit & meatus denſat. Demonſtratio.

Quod Hippocr. ſermo non eſt de conuulſione omni, ſed de illa, quæ diſtentio dicitur, dummodo non ſequatur ad vulnus, quia frigidum vlceribus mordax. Addit, quod conuulſio ſit in ætate iuuentutis: quia pueritia, & ſenectus iſtud remedium ferre nequit. Supponit etiā tempus æſtiuum, timens frigiditatem, ſicuti bonæ carnis præditum ob eandem rationem. Quæ omnia ſi adſint, ſemper remedium hoc iuuabit: nec tamen ſequitur, vt, ſi non adſint, neceſſario lædere debeat, ſed Hippoc. prædictas conditiones appoſuit, memor ſemper conſeruationis ægri: nam in magnis remedijs præcipuè eius præcepti habenda eſt ratio, quod docet, medicam manum non in nocumentum, ſed in ægri iuuamentum ita promptam eſſe debere, vt, ſi non iuuet, ſaltē non lædat, cumq; extremus morbus proponatur & extrema remedia requirens, malè Paulus hoc remediū uituperat. 1. adnotatio.

Quod illa aquæ perfuſio larga eſſe debet, & frequens, & ex alto, & potiſſimum ad partes corporis carnoſas & calidas, qualis venter eſt inferior ad Hypochondria: Caput tamen vitare oportet: Facta perfuſione æger veſtibus cooperiendus eſt calidis & mundis, ad prouocandum ſudorem. So- 2. adnotatio.

let etiam Hippoc. reuocare animi defectiones : quare 5. Epid. mulierem ferè exanimatam reuocauit, plus quàm triginta amphoris frigidæ, quod ſolum, vt ait ipſe, prodeſſe videbatur: erat enim craſſa mulier, ideò etiam melius tulit remedium. An verò reliquæ conditiones affuerint, non con-
2. Epid. *ſtat. Reuocat etiam aqua tepida emortua membra in debilibus, quemadmodũ in muliere illa, quæ ex cholerica affectione penè exanimata fuit.*

APHORISMVS XXII.

Calidum in quo ulcere pus mouet, &c.

Cõnexio. *Cvm de calidi nocumenti ſupra tractaſſet, in præſenti Aphoriſmo de ipſius iuuamentis ſermonem inſtituit.*

Intentio. *Intentio Hippoc. in hoc Aphoriſmo eſt, pluribus concluſionibus calidi iuuamenta explicare, quæ nouem numero ſunt, & propterea in tot partes diuidi poteſt Aphoriſmus : quarum concluſionum ſeries hæc eſt, calidum, in quo vlcere pus mouet, maximum ſecuritatis præſtat indicium : cutem emollit, extenuat, dolorem lenit, rigores, conuulſiones, tetanos mitigat : capitis grauitatem ſoluit : oſſibus fractis plurimum prodeſt, maximè ſi nudata ſint multoque magis ſi in capite. His etiam prodeſt membris quæ moriuntur aut vlcerantur à frigore. Herpetibus denique exedentibus, ſedi, pudendo, vtero, veſicæ : his omnibus calidum amicum, & decretorium, frigidum inimicum, & interimens.*

Rō intentionis. *Vt oſtendat quanti uſus ſit calidi uſus, & quantum excedat frigidum.*

Demonſtratio. *Cum tot ſint concluſiones, nec unico medio demonſtrari facilè poſſint, benè ſe habebit, ſingulas per annotationes explicare. Quo ad primam concluſionem, ſcire licet, quod ſuppuratio nihil aliud eſt, quàm ſanguinis mutatio in pus, ſeu albam ſubſtantiam, quæ dupliciter conſideratur: uel communiter pro omnibus ſordibus & ſanie, quæ ex vulcere prodeunt; uel pro illa ſuppuratione quæ peculiariter in aliquo tumore colligitur. Hæc rurſus dupliciter fit in ulcere, vel cum tumore, ita vt reſolui non poſſit, aut cum adiunctam habeat contuſionem, uel lacerationem. Quoniam verò non omne vlcus patitur ſuppurationem, quale eſt malignum & cancroſum, vel calloſum; ideò ſcripſit, calidum ſecuritatem afferre, quando in vlcere ſuppurationem inducit, quia ſpes naſcitur ſanationis, quæ ex bona ſuppuratione fit: at contra dificillima curatu ſunt vlcera, quæ, cum alioquin ſuppurari poſtulent, ſuppurare tamen nequeunt, ut maligna illa prædicta: calidum autẽ non ſolum aquæ tepidæ intelligere oportet, ſed calidum in medicamẽtis, ut in emplaſtro, cataplaſmate, unctione: quia omne tale ſuppuratorium adiuuat, tum innatum calorem, tum etiã humiditate ſua putredinem, vnde pus facilè gignitur.*

Quod

Quod calidum, quale eſt balnei tepidi, emollit cutem, & extenuat fundendo, & reſoluendo: ideo etiam ſoluendi pruritum magnam vim habet, vt ſcripſit Hippoc. de homine illo, qui toto corpore prurigine vexabatur, & cutis craſſitie, qui, cum nullis remedijs iuuari poſſet, balneo tamen calidæ aquæ apud Melum, & à pruritu, & à cutis craſſitiæ liberatus eſt. Calidum item doloris eſt leuatiuum, & propterea fomenta ex aqua calida, aut ex ſale, eruo, milio calidis, ad lateris dolores leniendos adhibemus. Rigores & tetanos leuat calidum, quia iſti ſunt frigidi effectus, licet per accidens frigidæ infuſio tetanum liberare poſſit, ut antea dictum eſt. Soluit item balneum capitis grauitatem, dummodo non valde ſit repletum: id quod facit, tum capiti adhibitum reſoluendo, tum etiam extremis, ut pedibus & manibus, euocando. Addit etiam, humectare nares, ſputum urinaſque promouere, & corpus fluidum ad medicamenta efficere. 1. adnotatio. 5. Epid. 3. Acut.

Quod oſſibus fractis plurimum prodeſt, ſeu fracturæ ſint ſine ulcere, ad ſanguinem euocandum & pruritum ſoluendum, ſeu cum ulcere: & præcipuè oſſibus nudatis, & in capite, quia frigidum vlceribus mordax. Sed calidum, quale eſt aquæ, in uulneribus capitis non ita conuenire uidetur, propter humectationem, ſiquidem nec etiam vino humectanda eſſe ſcripſit Hippoc. Timet etiam Galenus, ne aquæ vſum neruis denudatis officiat magiſque probat uſum calidi & ſicci medicamenti. 2. adnotatio. Libro de cap. vuln.

Quod emortuis partibus à frigore calidum adiutorium eſt, ut patet in pernionibus, & membris emortuis à frigore. Calidum autem moderatum intelligere oportet: quoniam, ſi repentina fiat ad ignem mutatio, maius ſit nocumentum. Ideo Hippoc. ad perniones aqua calida utitur, & nos partibus emortuis animalia per medium diſecta adhibere ſolemus. Herpetibus etiam confert calida, bilis ardorem mitigans & potentia refrigerans, & abluens. Sed dices, Galenus frigida & ſicca adhibet herpetibus in principio, & etiam ualdè calida & ſicca poſtea ad putredinem, ut ſunt paſtilli Andronis. Reſponde, aquam conuenire ad temperandum & abluendum, reliqua autem ualdè ſicca & calida ad putredinem. Addit, calidum amicum eſſe ſedi, pudendo, utero, ueſicæ, quia ſunt partes exangues, & præcipuè inter cætera uterus, quippe cuius morbi ut plurimum frigidi ſunt, flatuoſi, ac ructuoſi, vt ſcripſit Hippoc. 3. adnotatio. 2. ad Glau. In Epid.

APHORISMVS XXIII.

Frigido uerò in his vtendum, &c.

POſteaquam calidi commoda & iuuamenta in præcedenti narraſſet, accedit modò ad frigidi utilitates percenſendas. Cõnexio.

Tres concluſiones proponit, quarum prima frigido utendum eſſe ait, Intentio.

ad ſanguinis fluxiones ſiſtendas & præcauendas. Secunda ad inflammationes rubras, in ſui principio. Tertia ad eryſipelata nõ ulcerata: & ideo iuxta prædictas tres concluſiones in tres partes diuidi põt Aphoriſmus.

Rō intentionis. *Vt demonſtret, quibus malis frigidum ſuccurrat, quo medicus in illis eo uti poſſit.*

Demonſtrat io 1. *Frigidum aſtringit, ſanguinem ſiſtit, calorem pellit: ergo ad ſanguinis fluxiones aptiſſimum eſt remedium.*

Antecedens clarum eſt. Conſequens deducitur manifeſtè. Addit tamen, frigidum non loco fluxionis ipſiſſimo, ſed potius ad loca, vnde fluit, admouendum. Cauſa multiplex eſt: primo, quia fluxionis locus eſt quaſi ulcus, & frigidum ulceri nocet: ſecundo, quia occupat maius ſpatium: tertio, quia infert dolorem & grauitatem, ſi loco fluxus poneretur, unde magis noceret. quarto, quia melius intercipitur fluxus, antequam ad locum accedit. Debet autem adhiberi frigidum, præcipuè ad radices uenarum, & per eorum exortum, ut in naribus, ad frontem, ad collum, ad hepar, in utero, pubi, lumbis, & coxis.

1. adnotatio. *Quod hic frigidum, non ſolum aquæ intelligendum eſt, ſed & aliorum medicamentorum, quæ frigida ſunt & aſtringentia, qualia ſunt plantago, portulaca, acetum, album oui, & reliqua huius generis: quæ remedia magis conueniunt factis iam reuulſionibus, quam à principio. Solet etiã frigidæ larga infuſio ſanguinem ſiſtere, retrahendo calidum ad partes internas, quemadmodum, ſi quis extrema in frigidam emergat. Sanguis verò non ſolum per frigidum ſiſti ſolet, ſed etiam & per emplaſtica medicamenta & cruſtifica.*

Gal. 5. Metho.

Demonſtratio. 2. *Omnis fluxio calida in ſui principio refrigerantia expoſcit: ergo rubræ inflammationes frigidum expoſcent. Antecedens probatur: quia frigidum inhibet fluxionem, & temperat partem: at rubedo efflorеſcens ſignificat affectum calidum: ergo, &c.*

2. adnotatio. *Quod verbum illud (eflloreſcens) ſignificat roſeum partis calorem: principium verò, morbi tempus quo maximè iſtud remedium confert. Hipp. vtrumq; coniunxit, ſignificans, hoc remedium adhibendum eſſe in ſanguineis inflammationibus, & in principio: quia poſt illud, inflãmatio uel reſoluentia, uel ſuppurantia deſiderat, quo tempore frigida non cõuenit. Ideo addit in textu, hoc remedium nigreſacere inueteratas inflammationes, maximè autem in externis inflammationibus, & quæ in latitudinem extenduntur, qualia ſunt eryſipelata, propterea non abſolutè dixit inflammationes, ſed flagrores, affectum ſignificans, in quo magis peccat alteratio, quàm materia. Sed tamen, cum eryſipelas poſſit eſſe cum vlcere, & ſine eo, addit in textu, frigidam adhibendam eſſe eryſipelati non vlcerato, quod erat in tertia concluſione probandum, ſiquidem ulceratum lædit.*

APHO-

APHORISMVS XXIIII.

Frigida ueluti nix & glacies, &c.

SVperius Hippoc. damna expoſuit, quæ frigidum facit in vniuerſum, qualecunque illud ſit; nunc ad illa accedit, quæ frigidum immoderatum facit. Cõnexio.

Duæ ponuntur in textu concluſiones; quarum prima ex ſecunda demoſtratur. Eſt autem huiuſmodi: frigidum pectori inimicum. Secunda, tuſſes mouere ait, venarum ruptiones, & deſtillationes. Intentio.

Vt demonſtret, in quantum vitare homines debeant valde frigida, cum tot incommoda pareant. Quare colligitur, nec etiam in ſanguinis fluoribus ex pectore, conuenire frigidum. Rõ intentionis.

Frigidum tuſſes mouet, venas rumpit & deſtillationes facit: ergo pectori eſt inimicum. Conſequens manifeſtè ſequitur. Antecedens probatur. Nam frigidum exaſperando & indurando tuſſim mouet: at tuſſes facilè rumpunt venas induratas & non cedentes, fluxiones quoque excitat frigiditas, tum exprimendo, tum dolorem inducendo. Demonſtratio.

Quod per hunc Aphoriſmum voluit Hippoc. admonere medicum, ne in affectibus pectoris (etiamſi id requirat affectio) valdè frigidis vtatur, ſeu intus extrauè: & præterea, vt moneat ſanos, ne utantur niuatis illis potionibus, cum tot mala efficiendi uim habeant, & præcipuè in his qui pectus habent debile, & ſtomachum, & hepar, & reliqua viſcera pauci caloris, quia ex intenſa iſta frigiditate extincto eorum calido hydropes fiunt & ſenectutes hecticæ. Vnde primates hoc noſtro ſæculo, pocula niuata aſſumentes, ſanitati malè conſulunt, etiam Hippoc. auctoritate. Igitur tam uehementer frigida vitanda ſunt in quotidiano uſu, quamuis ut medicamenta nonnunquam conueniant, quemadmodum in ſynochis & febribus ardentibus. Melius itaque ſibi conſulunt Iaponenſes qui quotidiano vſu aquas calidas aſſumendo diutiſſimè viuunt: præter cætera autem incommoda, dentes etiam quàm maxime lædunt intensè frigida.

APHORISMVS XXV.

Articulorum tumores & dolores abſque vlcere, &c.

CVm Hippoc. in 23. Aphor. frigidi iuuamenta in vniuerſum explicaſſet, nunc ad ea propria accedit, quæ aquæ frigidæ ſunt. Cõnexio.

Frigidæ larga effuſio magna ex parte leuat & extenuat articulorum tumores, & dolores, & conuulſiones. Intentio.

Rō intentionis. *Vt oſtendat, quibus morbis aqua frigida quæ promptiſſimum & ſimpliciſſimum eſt remedium, maximè conferat: ſimul etiam doceat, ſtupefacientia medicamenta deberi quandoque à medico vſurpari.*

Demóſtratio. *Frigidum aquæ reprimit, roborat, ſtuporem inducit: Ergo articulorum tumores, & dolores leuat, nec non etiam conuulſiones. Antecedens notum eſt. Conſequens deducitur: quia frigidum denſando reprimit, & fluxiones inhibet, qua ratione leuat tumores, materiam intrò pellens: ſtuporem verò inducendo, dolorem leuat, ſtupor enim ſequitur ad vaſorum & ſpiritus denſationem, & caloris extinctionem, per quæ ſenſus fieri ſolet: quatenus autem calorem reuocat conuulſiones etiam curat.*

1. adnotatio. *Quod tumor articulorum, alius eſt calidus, alius frigidus. Rurſus, calidus, uel à ſanguine craſſiori fit, ut bubo & carbonculus, uel à tenuiori, ut eryſipelas. Hippoc. itaque de tumore calido intelligit, & præcipuè de eryſipelatibus. Concernit etiam frigida reliquis calidis tumoribus & ſanguineis, vel in principio ad repreſſionem, uel ad dolorem leniendum. Dixit autem articulorum tumores & podagras, quoniam iſti tumores, vt plurimum cum dolore inflammationeque ſunt, qua utraque ratione frigida confert.*

2. adnotatio. *Quod frigida conuulſiones leuat, vel per accidens, (vt ſupra dictum eſt) reuocando calorem, vel per conuulſiones: hic intelligit membrorum duritiem, aut laxitatem, quarum primum articulos inflammatos, ſecundum uerò luxatos ſequitur. Cæterum frigida aqua hic intelligitur, uel talis, qualis eſt aquæ fontanæ, aut putei, vel etiam quæ niues glacieiuè habet uim, quia utraque efficiendi prædicta poteſtatem habet: frigidior dior tamen aqua in partibus carnoſis, & affectibus calidioribus magis requiritur.*

3. adnotatio. *Quod ſtupefacientia remedia, quædam id modicè faciunt, ut aqua frigida: alia uerò immodicè, vt opium, mandragora, quorum uſus uel intus eſt, uel extra. Primorum uſus innocuus eſt: at ſecundorum valdè timendus. Nihilominus tamen illis aliquando utimur in maximis doloribus: tutior uerò eorum eſt uſus in calidis affectibus, & præcipuè poſt ſtupefacientium mediocrium uſum, admiſcendo tamen calida, & partem poſtea corrigendo. In internis itaque affectibus Philonium Romanum & theriaca recens magni ſunt uſus ad ſtupefaciendum. Cæterum in hoc Aphoriſmo Hippocr. laudauit frigidum aquæ ad ſtupefaciendum, tanquam tutum.*

APHORISMVS XXVI.

Aqua, quæ cito calefit, &c.

Cōnexio. *Cum de aqua multa hactenus dixiſſet, & in nocumentum & in iuuamentum, ideò occaſionem nactus, de notis agit in boc Aphoriſmo, quibus bona aqua dignoſci debet.*

Aqua,

Aqua, quæ citò calefit, & citò refrigeratur, leuiſſima. Intentio.

Vt vel per vnum ſignum aquæ præſtantiam oſtendat, & à contrario etiam prauam. Rō intentionis.

Aqua, quæ citò calefcit & frigeſit, facilè alteratur: ergo leuiſſima. Demonſtratio.

Antecedens notum eſt. Conſequens probatur: quia, quod facilè alteratur, ſignificat ſe, tenues habere partes & facultatibus ſpoliari immodicis.

Quod aqua ad tuendam ſanitatem tanti momenti eſt, vt homines regionum, qui prauas habent aquas, nec ſani, nec diu uiuere poſſunt: Imo neceſſe eſt eam regionem, qua homines diu viuunt, & ſani ſunt aquã habere bonam. Aquæ autem bonæ etiam aerem bonum eſſe oſtendunt. Vbi igitur aqua praua fuerit, arte reducenda eſt, vel coctura, uel diſtillatione ad bonitatem colligenda eſt pluuia in Ciſternis mundis. Cum verò multæ ſint notæ cognoſcendi bonam aquam, pondere, guſtu odore, loco, & alteratione, Hippocr. ſignum ab alteratione ſumpſit: quia, per nullam alteram melius & contractius bona aqua deſcribi poterat, ſiquidem iſta conditio reliquas omnes bonæ aquæ notas, uel ſaltem plurimas comprehendit. 1. adnotatio.

Quod leuitas hic ſignificat, vel pondus, vel quod à corpore noſtro facilè ſuperetur: vtroque modo intelligi poteſt. Nam quæ facilè alteratur, tenuiſſimas habet partes; ideò etiam pondere leuiſſima erit. Sed Hipp. magis intelligit in ſecundo ſenſu: quia talis eſt pulchrior & medicinæ accomodatior. Eſt autem aqua pluuialis ſine dubio omnium optima, ſed quæ ex æthere, æſtiuo tempore, deſcendit, & tempeſtiua eſt, dummodo in locis mundis excipiatur, quia talis aqua ex magno calore fit, & ideò valdè tenuis & cocta. Habet tamen ſemper aliquid extergentis facultatis: quia plurimæ aquæ pluuiæ ex mare deſcendunt, qua ratione fit, vt fontana, quæ ex collibus ad orientem ſitis orta emanat, illi præferenda ea ratione videatur. Aquam autem laudans Hippocr. eam cenſet eſſe optimam, quæ ex profundiſſimis fontibus manet, æſtate frigida, hyeme autem calida. 2. adnotatio.

Quod in uniuerſum aquæ potatores ſaniores degunt, quàm vini bibaces, & diutius etiam viuant: quod in patribus illis antiquis uiſum eſt in Eremis degentibus, non quod uinum in re non ſit utilius, tum ad ſanitatem, tum etiam ad ſenectutem producendam, ſed quia eius eſt ſuauitatis liquor ille, ut homines magis quam decet ſe illi dent. Et inde fit, ut iecur aduratur, & caput ad omnes fluxiones diſponatur: hinc podagræ origo, & Veneris etiam intemperantia maior. Appellauit autem Hippoc. aquam magis corporis caſtigationem, quam nutrimentum. 3. adnotatio.

APHORISMVS XXVII.

Quibus noctu bibendi eſt auiditas, &c.

Cõnexio. *CVm aquæ potus ad ſiſtendã ſitim in vſu ſit mortalibus, recta ratione necti poteſt hæc ſententia cum ſuperiori de ſiti verba faciens.*

Intentio. *Bonum eſt noctu ſitientibus obdormiſcere.*

Rõ intentionis. *Vt demonſtret, non ſolum per ſanitatem, ſed etiam in morbis medelã eſſe ſitis, vbi dormituros ſomnus apprehendit, ac perinde etiam bonum ſignum eſſe, dormire poſt magnam ſitim.*

Demonſtratio. *Somnus à ſiti ſuccedens robur naturæ oſtendit: ergo bonum. Conſequens clarum eſt. Antecedens probatur. Nam, ſi ualida corripit in nocte & tamen homo dormit, ſignum eſt uirtutem eſſe validam & cauſam ſitis ſuperantem: imò ipſam ſitim non habere cauſam vehementem & inſuperabilem, unde, & ut cauſa, & vt ſignum, laudari debet.*

1. adnotatio. *Quod ſitis alia eſt naturalis, alia præter naturam. Naturalis ex defectu humidi fit: at præternaturalis ex ardore uentriculi, vel pulmonis: qui concitatur, uel intemperie partium, uel ex bile, aut calidioribus cibis, ex potionibus, in uentriculo exiſtentibus. Sed etiam eſt alius modus, cum coctione efumant vapores calidi, qui ſitim excitant. Eſt etiam ſitis propria eorum, qui nimio replentur cibo, unde ſcripſit Hippoc. eos, qui*
1. prędict. 6. Epid. *plurimum comedunt ſolere ſitire, & proinde regulam poſuit ad ſanitatem, nõ delaſſari ac non ſitire. Somnus igitur non ſedare ſolet naturalem ſitim, quæ ex defectu humidi fit, ſed potius eam, quæ eſt præter naturam, humectando & temperando ſiccitatem & acredinem.*

2. adnotatio. *Quod vbi ſitis dormituris præter rationem eſt, hinc bonum eſt ſomno ſedare per id temporis: at ſi tam intolerabilis fuerit, vt ſomnum auferat, tunc aqua tolli debet. nam Hipp. 6. Epid. ſuperficialem ſitim tolli per ſomnum, hic tamen dicere contrarium videtur, magnam ſitim proponens. Dic Hippoc. non dicere hic abſolutè poſt magnam ſitim dormiendum, ſed bonum eſſe, ſi poſt eam ſomnus ſuccedat. Cæterum etiam vigiliam remedium eſſe ſitis, quæ ex ſomno fit, idem eſt auctor, quia diſſipat calorem, qui ſitis cauſa eſſe poteſt, retractus per ſomnum. Cum uerò quis poſt ſomnum ſitii, & ualidè, nec uigilia poteſt tollere ſitim, non ſtatim currere oportet ad aquæ potum, ſed prius permittendum eſt, ut calor ad ſuperficiem defundatur: quia ſi prius bibatur aqua, timor eſt, ne calor ſuffocetur & hydrops naſcatur.*

3. adnotatio. *Quod ſitis ſymptoma eſt quod per febres valdè affligere ſolet: quare medicus eam lenire debet. Inter ea uerò, quæ ſedandi ſitim locum obtinent, aqua eſt, aut per ſe, aut cum aceto miſta, præcipuè ſi bilis fuerit in*

uentriculo: ſic & aer frigidus inſpiratus, ſilentium, oris ablutio ſomnus, & vigilia, vbi alter alterius cauſa fuerit.

APHORISMVS XXVIII.

Suffitus aromatum muliebria educit, &c.

CVm de calidorum vſu antea multa dixiſſet Hippoc. modò ad remedium confugit, quod calidorum nomine comprehenditur, ſuffitum ſcilicet aromatum. Cõnexio.

Suffitus aromatum muliebria educit. Intentio.

Vt oſtendat magnum remedium in ſuffitu prædicto conſiſtere, ad omnes affectiones muliebres, quæ ex retentione fiunt, & præcipuè ad menſes educendos, à quorum retentione omnes ferè mulierum morbi dependent. Rõ intentionis.

In duas partes rectè partiri poteſt præſens ſententia. In prima concluſionem intentam ponit: in ſecunda uerò cautionem adhibet. Diuiſio.

Suffitus aromatum aperit, dirigit, tenuat: ergo muliebria educit. Demonſtratio.

Conſequens facilè ſequitur: quia muliebria, cum non effluunt, vel obſtructione, vel diſtorſione contingere ſolet. Antecedens probatur: quia vapor aromatum penetrando aperit & dirigit obſtructas vias ſanguinem attenuat, atque denſitatem uteri rarefacit: eſt enim calidus, tum ratione materiæ à qua eleuatur, tum efficientis: roborat etiam uterum, & ad expulſionem diſponit. In ſecunda parte docet nocumentum, quod in præſcripto remedio eſſe ſolet, capitis grauedinem: facilè enim uapores omnes caput replent, & eo magis calidi ac odorati. Docet itaque per hæc, cum adhibentur talia, compenſanda aſſe iuuamenta cum nocumentis, itemque nullum eſſe tam innocens remedium, quod aliqua ex parte nocere non poſſit.

Quod muliebria, non ſolum menſes intelligere oportet, ſed & quæcunque vtero comprehenduntur & illi grauia exiſtunt, ut fætus, ſecundæ, flatus, grumus, ſemen, aqua, & ſi quid aliud. Verum priuſquam ad hoc remedium venias, an uterus aliquo affectu calido laboret, aduertendum eſt: nam ſi ob calorem & ſiccitatem, vel defectum, retineantur menſes, aut ex inflammatione, vel ſcirro, non erit utilis aromatum ſuffitus, ſed in affectibus à frigido ortis in obſtructionibus, diſtorſionibus. 1. adnotatio.

Quod non ſolum aromatum ſuffitus ad omnes uteri affectiones frigidas, ut ſuffocationem, flatum, obſtructionem, hydropem, dolorem, confert, ſed & omnes alias frigidas affectiones corporis atque humidas: nam ad ſuppurationes, catarrhos, anginas, capitis dolores aliquando vſurpatur ſuffitus aromatum. Et hoc eſt, quod ſcripſit, ad alia utilem eſſe multa, niſi capitis generaret grauitatem: quia, quando ore naribusve attrahitur, tunc præcipuè noxa repletionis imminet, magis quam cum utero ſubdun tur. Sed compenſat o damno, ſi uſus aromatũ magis urget, illo uti oportet. 2. adnotatio.

Quod

3. adnotatio, de natur. muli. *Quod aromata intelligit medicamenta calida & odorata, quæ igni impoſita ſuauem aſpirant odorem, quæ ipſe enumerat Hippoc. & inter ea reponit dictamū, amomum, cardamomum, caſtoreū, andiantū, helenium, ariſtolochiam, apij, feniculi, rutæ ſemen, & multa alia. Sed nos præſtantiſſima habemus, belzoinum, moſchum, ambram, zibetum, nucem moſchatam, macem. Eſt autem vſus ſuffitus Hippocr. duplex alter aridorum, quando ex bolo, aut puluere, à carbonibus effumant: alter humidorum, cum ex decocto aliquo educitur vapor; uterque ſuffitus muliebria educit. Adhibet autem fomenta Hippoc. per canales plumbeos, aut arundines, alligata vndique circum muliere. Nec ſolum ſuffitu conferunt aromata ad educenda muliebria, ſed in peſſis, emplaſtris, & iniectionibus.*

APHORISMS XXIX.

Prægnantes purgabis, &c.

HIc Aphoriſmus idem eſt cum primo quartæ ſectionis; quare eo loco cum abundè à nobis ſit declaratus, non eſt cur modo rurſus ea in re laboremus. Reuocat modo illam ſententiam in memoriam ad aphoriſticam doctrinam reducturus etiam muliebres morbos. illis enim expurgatio non prætereundum remedium eſt.

APHORISMVS XXX.

Mulier in utero ferens, &c.

Cōnexio. *CVm de purgatione, & aromatum ſuffitu quæ duo remedia vtero gerentibus generoſa ſunt hactenus egiſſet, nunc ad ſanguinis miſſionē accedit & ſuam ſententiam profert de illa in grauida muliere.*

Intentio. *Sectione abortum facit in grauida, & eo magis quo fœtus fuerit grandior.*

Rō intentionis. *Vt medicus cum magna cautione ſanguinis miſſionem adhibeat in grauidis, nec niſi magna urgente neceſſitate illa utatur.*

Demōſtratio. *Sectio venæ infanti tollit nutrimentum: Ergo abortum faciet, eòque magis, quò fœtus grandior fuerit.*

Antecedens declaratur: quia infans ex ſanguine materno uiuit & augetur: ergo ſanguine ablato, nutrimentum illi tollitur. Conſequens manifeſtè deducitur: nam adempto nutrimento, infans perimitur, & eo magis, quo maior fuerit, quia maiori indiget nutrimento.

1. adnotatio. *Quod ſanguinis miſſio, vel eſt mediocris, qualis noſtris temporibus, in quibus rarò libram excedimus: uel magna, qualis antiquis. ſiquidem teſte*

Galeno

Galeno mediocris ſanguinis miſſio illis erat duarum librarum. Rurſus mulier prægnans, uel eſt ſanguinea, uel mediocris habitus, aut gracilis & pauci ſanguinis. Hippoc. *igitur ſententia vera erit, tum de magna ſanguinis miſſione, tum de mediocri, ſi comparatio fiat ad mulieres pauci ſanguinis. At vbi mulier ſanguine referta eſt, tantum abeſt vt ſanguinis miſſio, præcipuè mediocris, lædat, quin ab abortu liberet. Quare ſecundo prædictionum, dyſenterias ſeu cruentas deiectiones ad partum melius diſponere ſcripſit: quibuſdam enim id remedium neceſſarium eſt, ne ſanguinis abundantia ſuffocetur fœtus; ſed hunc caſum excipit* Hippoc.

Quod ſanguinis miſſio, etiam mediocris, timoroſa eſt in grauidis, non ſolum ob ſanguinis demptionem; ſed propter motum illius, & maximè ſi fiat ad partes inferiores: quia ſanguis deorſum petens, ſuffocare poteſt puerum: & ad partes ſuperiores ſi magna ſit, retrahit ſanguinem ad cor & infantem calore deſtitutum relinquit. 2. adnotatio.

Quod ſi purgatio & venæ ſectio comparantur ad inuicem in prægnante, id fit vel abſolutè, uel reſpectiuè. Abſolutè ſemper periculoſior eſt purgatio: nam horrendum eſt omne medicamentum, & commouens vterum valdè. Adde, quod illius actio non pro arbitrio poteſt reprimi, ſicuti ſanguinis miſſio. At licet id ita ſit, conſiderandum tamen, vtrius remedij maior ſit vrgentia: ſecurior autem eſt purgatio à quarto ad ſeptimum menſem, venæ ſectio in primis menſibus. Ab utroque igitur auxilio abſtinere oportet in grauidis, nec niſi, magna in neceſſitate illis remedijs utendum. Quod autem medicamentum adhibendum ſit explicauit in primo Aphoriſmo, at de ſanguinis miſſione non dixit, tetigit tamen periculum. 3. adnotatio.

APHORISMVS XXXI.

Mulierem grauidam morbo quopiam, &c.

CVm explicaſſet, purgationem & venæ ſectionem valdè timendas eſſe in grauidis, ideò ex prædictis colligit præſentem ſententiam valdè celebrem. Cõnexio.

Morbus acutus, in grauida muliere, lethalis eſt. Intentio.

Vt demonſtret uno ſigno deſumpto à morbi acuti eſſentia, quid in eo prædicere medicus poſſit, & hunc Aphoriſmum annectat ſuperioribus, cum in illis cauſa huius tradatur. Rõ intentionis.

Morbus acutus in grauida ferè facultatem ſuperat: ergo eſt lethalis. Demonſtratio.

Antecedens probatur: primo, quia omnis grauida mulier debilis eſt, & exanguis: ſecundo, ob abortus periculum, qui per ſe magnus eſt ac grauis morbus: tertio, quia non ſufferunt remedia magna, purgationem,

ſanguinis miſſionem, vel inediam: ex illis enim abortus periculum impendet. Conſequentia deducitur, quia mortalis eſt morbus ut plrimum, qui facultatem ſolet deijcere.

1. adnotatio. *Quod per acutos morbos, ualidos & magnos intelligit, ſeu cum febre ſint coiuncti, ut phrenitis, pleuritis, febris ardens; ſeu ſine febre, ut epilepſia, tetanos, apoplexia: & ſunt periculoſiores iſti morbi & grauiores. Non eſt autem neceſſarium, ut ſemper ſequatur mors ad grauidam mulierem acuto morbo laborantem, ſed ut plurimum contingit. Eſt autem periculoſior morbus, quò grandior eſt fœtus. Verum dices, ex tribus remedijs magnis, ſectione uenæ, purgatione, inedia, quo uti debemus? Cardanus, ubi timet certum abortum, confugit magis ad inediam & leui medicamento euacuat: quia in ea minus uidetur eſſe abortionis periculum, in quo maximè conſiſtit pernicies prægnantis. Cæterum, licet mulier utero gerens ex acuto morbo euadat, nec abortiat, tamen difficilem habebit partum, ob labores quos ipſa & infans paſſi ſunt: unde infra ſcripſit,* Apho. 55. *grauidas, quæ febribus corripiuntur, difficulter & cum periculo parere, aut abortientes periclitari. Sunt autem acuti morbi, ſicut & reliqua partus mala, grauiores in his, quæ fœminas gerunt, quam mares, quia mas naturalior eſt quam fœmina: & ideò ſi percurras emortuas mulieres ex abortu & partu in Epidemijs, inuenies plures mortuas eſſe ex femellis, quàm ex maribus. Verum in morbis æquè grauibus, non minus periculoſus eſt abortus maris, quam fœminæ, imò periculoſior, quod à cauſa fiat maiori. Mares itaque laboribus acutorum magis quam fœminæ reſiſtent, & ideo minus perdentur: at cum perduntur, grauius affligunt, non tamen ſic in partu accidit.*

APHORISMVS XXXII.

Mulieri ſanguinem euomenti, &c.

Cõnexio. *CVm in 28. Aphoriſmo de remedio ad menſes educendos egiſſet, nunc de ipſis menſibus præcepta tradit ualdè utilia.*

Intentio. *Vomitus ſanguinis in mulieribus, erumpentibus menſtruis, ſoluitur.*

Rō intentionis. *Vt poſſit medicus ex euacuatione prædicere ſolutionem uomitus, & prætereà, imitando naturam, in tali affectione menſes moueat.*

Demonſtratio. *Menſium eductio, in muliere ſanguinē euomenti, reuellendo euacuat: Ergo ſoluet morbum. Conſequens clarum eſt. Antecedens etiam eſt manifeſtum: ſanguis enim ob menſium defectum ſurſum vergens, cum per uterum educitur, fit & reuulſio & euacuatio.*

1. adnotatio. *Quod ſanguinis vomitus hic intelligitur omnis eductio illius per os, ſeu ex capite, ſeu ventriculo, ſeu etiam pulmone veniat, dummodo non à ru-*

à ruptione, vel eroſione proueniat. Quare etiam ex pulmone effluentem reſeratione vaſorum, talis ſanat euacuatio in muliere: vidimus enim ex pulmone reiectum magna quantitate ſanguinem à muliere, uſque ad quatuor libras, ſine tamen aliquo alio malo, ob menſium defectum. Medicus itaque imitando naturam, ubi ſanguinis vomitus apparet, ad uterum retrahere debet, tum ſecando pedum venas, tum cucurbitulas admouendo, & frictiones, & aromatum ſuffitus.

Quod omnis ſanguinis vomitus timoroſus eſt ſanguis enim quando ſupra effertur, qualiſcunque ſit, aſſerente Hippoc. malum: at peſſimum, ſi à pulmone; ſed minus timoroſum ſi appareat in muliere, cum ferè cauſam habeat manifeſtam, menſtruorum ſcilicet abundantiam. Cum itaque uiæ & partes inferiores ſunt impeditæ, ſanguis regreditur ad ſuperiora, & per venam cauam ad hepar, hinc ad uenam portæ, & per venas meſaraicas ad inteſtina, & uenas ſtomachi, vnde euomitur. Sanguis itaque menſtruus iſtum uomitum ſanat: quem etiam ſoluerent hæmorrhoides & ſanguinis deiectio. Aliquando autem ſanguis ad cor tendit per venam cauam, inde verò ad pulmonem vertitur: magna enim eſt communio & conſenſus vteri & pectoris. Quapropter illa, quæ ex utero fit euacuatio, ſecundum rectum cum fiat, reiectationem ſanguinis ſoluere poterit. 1. adnotatio. 2. Epid.

APHORISMVS XXXIII.

Mulieri menſtruis præter naturam, &c.

IN præcedenti ſententia, menſium effluuium vomitum ſanguinis ſoluere cum dixiſſet, modò de effuſione ſanguinis, quæ per nares fit, in menſium defectu, verba facit. Cõnexio.

Deficientibus menſtruis præter naturam, ſanguis è naribus exiens, bonum. Intentio.

Vt oſtendat, hoc ſignum magnam vim habere, ad mala, quæ affert retentio menſium, & ad ipſos menſes promouendos, ac perinde licere aliquando à naribus ſanguinem detrahere in his affectibus, vbi tamen alia non proſunt deorſum trahentia. Rõ intentionis.

Mala ſymptomata, quæ ex retentione menſium præter naturam prouenere, his prouocatis, ea minuuntur: ergo bonum. Demonſtratio.

Conſequens clarè ſequitur. Antecedens declaratur: ſiquidem vbi præter naturam menſes retinentur, quod fit vbi mulier in tempore eſt, nec prægnans ſit, plenitudo ſanguinis in corpore adeſt: ergo ſi illa euacuetur, leuabuntur mala ſymptomata, vt horror, lumborum dolor, ſuffocatio, febris, & alia huiuſmodi: itidem ex iſta tranſmutatione ſolet natura,

iam

2. præd. *iam ſui memor, ad menſtrua educenda inſurgere. Quare dixit Hippoc. nares ſanguine ſtillaturos ſpem eſſe, ſi caput concutiatur & aures ſonitum faciant; id quod etiam per menſes fieri conſueuit.*

1. adnotatio. *Quod capitis & vteri magnus eſt conſenſus, & omnis vteri affectus citiſſimè ad caput, & in eo ad ſynciput præcipuè euolare ſolet: quia illa pars maiores habet venas. Quare mirum non eſt, ſi retentis meſtruis, ſanguis ad nares vergat cum meliori conditione quam ad os: quia nec per viſcera tranſit nobilia, cum per nares effluit, & ſine nocumento eſſe ſolet. Vnde rectè dictum eſt in hoc Aphoriſmo, hanc ſoluere retentionem menſtruorum: contra autem in ſuperiori, menſium effluuium ſanguinis vomitum. Fieri tamen poteſt, vt & ſanguinis in reiectio ſoluat huiuſcemodi affectum, & ideo bona ſit in ratione cauſæ, non tamen in ratione ſigni. Sed & ſi per hæmorrhoides, & alui fluxum ſanguis eueniat, melius ſoluet menſtrua: veruntamen Hippoc. eius potius quæ per nares fit, mentionem fecit, quoniam ſermo illi eſt de iunioribus, quibus cum ſanguis ſit calidior, frequentius etiam ad nares uergit.*

2. adnotatio. *Quod licet etiam, imitando naturam, vbi alia remedia fruſtra tentata ſunt in eductione menſium, ad nares trahere: nam ſi natura mouens ad nares menſtrua ſoluere poteſt, ergo & medicus, & præcipuè in his, quibus talis euacuatio familiaris eſt.*

APHORISMVS XXXIIII.

Mulieri uterum gerenti, &c.

Cõnexio. *CVm euacuationem illam, quæ per ſanguinem fit, abortum facere ſuprà dixiſſet, nunc quid de ea ſentiendum, quæ per aluũ fit, docet.*

Intentio. *Prægnanti ſi aluus multum effluat, periculum eſt abortus.*

Rô intentionis. *Vt per hæc demonſtret, in grauida muliere, non ſolum vitanda eſſe medicamenta, ſed & cibos qui aluum mouere ſatis poſſunt, & perinde etiam, vt iſtius euacuationis exemplo doceat, omnem aliam euacuationem periculoſam prægnantibus propter abortum.*

Demõſtratio. *Alui fluxus copioſus alimenta tollit infanti: ergo abortus periculum inducet.*

Antecedens probatur: quia ex copioſo illo effluxu, ſanguis ad hepar & cor trahitur, ad partes nobiliores, & ideò vterus eo deſtituitur.

1. adnotatio. *Quod alui fluxum hic intelligit eum qui copioſior ſit, ſeu à natura, ſeu ab arte factus: talis enim euacuatio, non ſolum, quia alimenta fœtui negat, periculoſa eſt, ſed etiam quia materia per inteſtina vtero adiacentia tranſiens, dolores & tormina ſolet efficere vnde expreſſiones quæ adiuuant fœtus euacuationem, adde, pituitam laxare vaſa uteri. Solet autem*

tem vt plurimum bilis & ſalſa pituita hunc fluxum efficere.

Quod prægnantes mulieres ita tractare oportet, maximè in primis & vltimis menſibus, vt nil uiolentū illis accidat. Nā quęcunque leuis cauſa, fœtu adhuc imbecilli, abortū efficere poteſt vt ſi mulier ſaltauerit, vel laborarit, aut quidquam amarum guſtarit, aut timuerit, aliaue huius generis accidant. Curandum etiam, ne aluus multum effluat, cibos exibendo qui potius ſtrictiorem illam ſeruent ne que vero valde id faciant: quia ex iſtis alui retentionibus aliquando fluxus exoriri ſolet. Cæterū alui fluxus copioſus aliquando mulierum ab abortù liberat, & melius ad partum diſponit, cum ſcilicet repleta fuerit, & mala accidentia, vel dolores patiatur, nec tamen frequens admodum ſit, ita vt mulierem defatiget, aut teneſmum inducat. Hinc factum eſt, vt non abſolutè pronunciauerit, abortum ex copioſa defluxione, ſed timendum eſſe, ac perindè reſtinguendum, niſi critica ſit, vel maius ex ea conſtrictione periculum emineat. 2. adnotatio.

APHORISMVS XXXV.

Mulieri hyſtericæ, aut difficulter, &c.

C*Vm de morbis, qui vtero contingunt, ſermonem inſtituiſſet Hipp. nec non dixiſſet, remedium ſingulare ad educenda muliebria ex ſuffitu aromatum peti, nunc qna ratione ſe habeat ſingultus ad muliebria, edocet: videtur enim vtriuſque remedijs eadem ad expulſionē ratio.* Cōnexio Intentio.

Hyſtericæ mulieri, vel difficilè parturienti ſternutatio ſuperueniens, bonum.

Vt demonſtret, non ſolum ad prædictionem in bonum euentum, in dictis affectibus vtile eſſe ſternutamentum cum ſpontè aduenit, ſed vt medicus in illis, imitando naturam, ſternutationes moueat: & præterea vt doceat, non ſecus ac ſuffitus aromatum, vim habere, ſternutamentum ad pellenda muliebria, & præcipuè fœtum in partu, & quidquid hyſtericam paſſionem in muliere gignat. Rō intentionis.

Sternutamentum robur naturæ indicat in hyſtericis & parturientibus & adiuuat expulſionem: Ergo bonum. Demonſtratio.

Conſequens certum eſt. Antecedens probatur. Nam & vt ſignum, & vt cauſa bonum eſt ſternutamentum ſuperuenire in dictis affectionibus: vt ſignum, quia indicat naturam ſe colligere & ad motum præparare: vt cauſa, quia virtutem excitat vitalem, vt pellat cauſam morbi & quæ in vtero ſunt concutiat: totum enim corpus excitatur & commouetur in ſternutatione.

Quod Plato putauit, vterum quaſi animal errabundum indignari, 1. adnotatio.

vbi

vbi non coit, & concipit, ac perinde moueri, & ſuffocationem inducere mulieri, & reliqua ſymptomata praua: quam paſſionem vteri ſuffocationem appellant, à ſymptomate quod in eo malo accidit præcipuo, priuatione ſcilicet reſpirationis. Hippocr. hyſtericam paſſionem vocat.

1.de mor. muli. *Cæterum Plato ex Hippocr. deſumpſit, qui ſcripſit, vterum reſiccatum, vbi coitu non vtitur, ad ſuperiora vt ad hepar & ſeptum tranſuerſum,*
6.de locis affec. *moueri, & ſuffocationem inducere. Galenus tamen non moueri vterum affirmat, ſed conuelli ſolum, & eam paſſionem exoriri ait ex putrefacto ſemine, vel ſanguine menſtruo: quia auram gignit malignam cor, & cerebrum ferientem, à qua offenſa membra illa, robur amittunt ſuum, & perditur reſpiratio, & ſenſus & motus. Verum ex manifeſto tumore vteri ad ſuperiora, ſenſui conſpicuum eſt, eo loci ſe extendere & ad ſeptum peruenire: etiam Hippocr. ſententia experimento conſona. Vtcumque tandem ſit, ſternutamentum ſeu auram illam pellens à membris præcipuis, ſeu mali cauſam ex utero diſcutiens, & vitalem excitans facultatem, morbum ſoluit.*

2.adnotatio. *Quod, ſicuti aromatum ſuffitus educunt muliebria omnia, menſes, flatus, ſemen, fœtum, ſecundas, ita & ſternutatio illa omnia efficiendi vim habet: & ſicuti in calidis vteri affectibus, vt inflammationibus non conuenit ſuffitus aromatum, ſic nec ſternutatio. Sunt tamen vt plurimũ frigidi affectus vterini, & præcipuè qui à cauſa externa procedunt: unde*
7. Epid. *Hippoc. ſcripſit, plurimas paſſionum mulierum eſſe flatus & ſignum adducit ructus, ventris tumore, murmur, & lumborum dolores, & circa renes & coxas.*

3.adnotatio. *Quod ſternutamentum aliquando ſymptoma eſt & malum ſignum, cum ſcilicet morbis pulmonis accidit, aut capitis, nec tamen exinde leuatur malum, & cum frequentia ſunt, & à principio morbi: vt puerulo quatuor annorum nepoti euenit, qui, cum maligna febre & peſſimis exantematibus afficeretur, ſecunda à morbo die plus quàm ſexaginta edidit ſternutamenta; quæ indicabant morbi cauſam à cerebro eſſe, ut verè fuit, ſiquidem perpetua in ſomnum delatione nona die, quaſi flos, cecidit. Cum autem aduenit ſternutamentum in alijs morbis, qui à grauedine non dependent, nec caput obruunt, bonum ſignum eſt, vt in Prognoſtico Hippocr. explicauit: non tamen vteri præfocationibus bonum eſt in prægnantibus, quia licet ratione morbi iuuet, tamen abortum efficiendi vim habet. Suffocari etiam prægnantes mulieres ab vtero, explicauit Hippoc. cum fœtus alimenti defectu ad ſuperiora voluitur.*
1.de mor. muliebr.

APHO-

APHORISMVS XXXVI.

Mulieri menſes decolores, nec eodem, &c.

CVm ſupra dixiſſet, aromatum ſuffitus muliebria educere, nec non de ſanguinis vomitione, aut per nares eductione menſtruorum, purgationes reſpiciens; nunc præceptum valdè vtile tradit ad mulierum tutelam, ad menſium effluuium pertinens. Cōnexio.

Purgatione indiget mulier, vbi menſes decolores apparent, nec modum tempusve exactum ſeruant. Intentio.

Vt demonſtret, quod menſium vitium expurgationem poſtulet. Rō intentionis.

Menſes decolores, & erratici cacochymiam inducunt; ergo purgationem poſtulant. Demōſtratio.

Antecedens probatur; quia color menſium non naturalis vitioſum ſanguinem oſtendit. Conſequens facilè ſequitur: ſiquidem vitium humorum expurgationem, abundantia autem ſanguinis ſectionem venæ efflagitare apud medicos ratum habetur.

Quod, cum menſes ad excrementa pertineant, ideo ſit, ut conſideremus in eis ſubſtantiam, tempus, quantitatem, qualitatem, & modum; quæ omnia explicauit Hipp. meſtrua depingens, cum naturali effluunt ratione, in hunc modum ſcribens. Moderati autem ſunt menſes prodeuntes in omni muliere, ſi ſana ſit, ad ſuarum heminarum menſuram, vel paulo plures, aut pauciores; atque hoc ad duos, vel tres dies; longius enim tempus aut breuius morboſum, aut ſterile eſt. Cæterum qualitatem exponens ait, procedere ſanguinem veluti à victima, & cito congelari, ſi ſana futura eſt mulier. Cum itaque menſes non ſeruant in ſanguine colorem viuidum, qualis victimæ eſt nuper mactatæ, ſeu in eo ſolum pecent, ſeu ſimul quantitate, tempore, aut modo, purgatio indicatur: quia ex eo oſtenditur corpus malis humoribus præditum. Quare ad ſanitatem, & conceptum, vtilem anotauit ſententiam. 1. adnotatio. 1. de mor. muliebr.

Quod Hipp. menſes decolores refert, vel ad pituitatem, vel ad bilem, ſub cuius nomine tum flauam, tum atram comprehendit. Ad pituitam itaque refert menſes albos, pelliculoſos, ſalſos, grumoſos; Ad bilem autem, flauos, nigros, carbunculoſos, acres, turbatos, purulentos. Cæterum conſiderare oportet menſium colores, vel èlinteis ſubditityſ, & ſiccatis, vel in arena: ſi enim color ad album vergit, pituita purganda eſt: verū ſi ad flauum vel nigrum, bilis. Præter iſta ſigna aderunt reliqua cognoſcendi vtrius humoris ſit cacochymia, & tunc humorem expurgare oportet, & victum inſtituere conuenientem. 2. adnotatio.

Quod quædam mulieres ſunt à naturaślioſæ, aliæ autem pituitoſæ. 3. adnot.

bat. At ſicuti non ad omnem mammarum extenuationem ſequitur abortus: ita impoſſibile eſt in abortu non fieri mammarum extenuationem.

Quod alia ſunt ſigna per quæ futurus abortus cognoſcitur. Primum à cauſa manifeſta petendum, vt ſi laborarit mulier, aut quidpiam violentum paſſa ſit; inde ſuccedant dolores lumborum, & ventris, ac coxarum, ſimiles his, qui ex partu fiunt. Nec tamẽ iſta ſufficiunt, ideo ſcripſit Hipp. in his conſiderandos eſſe tres dies, intra quos iudicatio de abortu fit: Nam ſi ceſſarint dolores illi, non abortient: at ſi non ceſſauerint, abortum facient. Cum mammarum ſubita extenuatio apparet, tunc certus abortum prædicere poteris; adde ſi mulier abortire ſit ſolita, & id facilè patiatur. 3. adnotatio. 7. Epid.

APHORISMVS XXXVIII.

Mulieri geminos ferenti, &c.

ADeo cohæret hic Aphoriſmus ſuperiori, vt illius pars rectè cenſeatur: pendet enim ex eo, tanquam effectus ex ſua cauſa. Cõnexio.

Duæ concluſiones ponuntur in Aphoriſmo, quarum prima eſt: mulieri geminos ferenti, ſi vna extenuetur mamma, alterum abortit. Altera vero: quod ſi dextra extenuetur, mas perditur; ſi verò ſiniſtra, femina. Ideo in duas partes, iuxta duas concluſiones, diuidi poteſt. Intentio. Rõ intentionis.

Vt demonſtret magnum conſenſum partium dextrarum ad dextras, & ſiniſtrarum ad ſiniſtras; nec non, quod valdè mirabile eſt, poſſe unam mammam, ſine altera ęgrotare, ac perinde vnam vteri partem, alia manente illęſa; & vt per hoc ſignum habeamus, mares dextra, feminas autem ſiniſtra vteri parte geri.

Mammarum ſubita extenuatio abortum indicat; Ergo ſi vna ſolum extenuetur in gemellis, alter perditur ſolum. Demonſtratio. 1.

Antecedens ex antecedenti Aphoriſmo ſatis patet. Conſequens probatur: quia illa extenuata mamma, morbum indicat ad vteri partem, quę illi ex directo eſt; quæ vero ſolida eſt, benè valere ad alteram partem fœtum.

Mares dextra vteri parte geruntur, fœminæ ſiniſtræ. Ergo mamma dextera extenuata maris, ſiniſtra verò fœminæ abortum indicat. Demonſtratio. 2.

Antecedens ex Aphoriſmo 48. huius libri ſumitur, quo proditum eſt, mares ad dexteram partem, fœminas vero ad læuam geſtari. Conſequens probatur: quia compaſſiones maximè ſecundum rectum fiunt: at mamma dextra dexteram partem vteri reſpicit, ſiniſtra vero ſiniſtram. Ergo.

Quod vnam mammam extenuari, altera remanente fieri poteſt, tum in his, quæ vnum, tum in his quæ duos geſtant pueros. Sed vterque caſus 1. adnotatio.

admodum rarus eſt, ob magnum mammarum inter ſe conſenſum, non tamen impoſſibilis. Ideo non raro videmus in paralyſi, in hemicrania, eandem partem ſecundum medietatem pati, vt minus mirum ſit, ſi in duabus id contingat. Quare natura, duas fabricauit mammas, duos oculos, duos renes, duos teſtes, vt altero affecto alterius vteretur præſidio. Vnde malè cardanus expungit Aphoriſmum, & negat Hipp. eſſe.

2. adnotatio. *Quod gemelli gignuntur duplici ratione; vel in eodem coitu, quod ſæpius fit diuiſo amborum ſemine; vel in diuerſis temporibus ſuperfœtantibus mulieribus. In vtroque caſu fieri poteſt, vt vnus perdatur ex pueris, altero remanente: quod non ſolum in abortu, ſed in partu contingere poteſt, vt vnus pellatur, & poſt aliquod dies alter. Gemelli tamen vt plurimum ſimul & gignuntur, & parturiuntur. Vt vero duos geſtari mulieres poſſunt, ita & tres, & quatuor: ſeptem quoque mulier Piſis fecit, quorum quinque viui educti ſunt, licet ex his poſtea tres mortui ſunt; non quod in vtero cellulæ ſint plures, ſed quod diuidantur ſemina, & robuſta ſint, accedente coſtellatione cæli. Contingit enim plurimum, generationes, & ſuperfœtationes, quaſi populariter graſſari, quod Braſauolus ſe obſeruaſſe litteris prodidit.*

APHORISMVS XXXIX.

Si quæ, nec prægnans, nec puerpera eſt, &c.

Cõnexio. *CVm de mammarum extenuatione in antecedentibus dixiſſet, nunc de lactè problema proponit ſcitu digniſſimum. Lac autem in mammis generatur, & conficitur.*

Intentio. *Si lac habet mulier, neque prægnans eſt, neq; peperit, ei menſtrua defecerunt.*

Rõ intentionis. *Vt moneat, non ſemper ex abundantia lactis colligendum eſſe imprægnationem, aut partum, vt vulgus putat: quare iſta propoſitione ſe tueri mulieres poſſint, ſi ex eo adulterij, aut coitus, aut quod infantes occiderint, accuſentur.*

Demonſtratio. *Lactis generatio ex abundantia ſanguinis ad mammas confluentis fit: Ergo, quæ mulier, neque prægnans, nec peperit, lac habet, ei menſtrua defecerunt.*

Antecedens declaratur: ſiquidem mammæ nutriuntur lacte ex ſanguine elaborato. Cum verò ſanguis abundat, vt in grauida, tunc ob exuberantiam lac emittitur. Conſequens ſequitur manifeſte: ſiquidem abundantia ſanguinis ad mannas tanta, vt lac gignatur, fieri non poteſt, niſi vel in toto, vel magna ex parte, menſtrua ſupprimantur.

Quod generatio lactis, ſeminis, & menſtruorum, valdè conſentiunt: ſunt enim omnia excrementa & ſuperabundantia, ſed non ſine vtilitate genita, ad generationem ſcilicet, & nutritionem animalis. Apparet autem lac in mulieribus quarto menſe, ſed imperfectum: verum ſeptimo, octauo, & nono: iam perfectum. Materia illius eſt ſanguis menſtruus, ſecundum tamen pinguiorem partem ipſius, quæ ad mammas extruditur, (ait Hippoc.) expreſſione uteri et omenti. adiuuante attractricæ ipſarum mammarum virtute. Sed dices, ſi fœtus ad ſeptimum menſem maior eſt, & ideo magis ſugit, ſequitur, quod tunc temporis minor ſanguinis copia adeſt: ideo lac non debet abundare eo tempore. Dic quod licet fœtus ſit grandior, tamen, quia ex diuturnitate temporis multus aggregatus eſt ſanguis, ideo fit ut in hac parte magis abundet. Adde naturæ prouidentiam eo mittentis lac, alimentum futurum infanti extra vterum: quo tempore, etiamſi menſtrua fluant, ob conſuetudinem tamen & ſuctum pueri lac in mammis gignitur. 1. adnotatio.

Quod caſus qui proponitur ab Hippoc. valdè rarus eſt; qua ratione, ait Cardanus, non eſt dicendum, menſium retentionem abſolutè cauſam eſſe lactis, quia ſic omnes lac gignerent, ſed præter iſtam cauſam requiri virilitatem in muliere: quia cum lac non fiat niſi per actionem ſeminis maſculini, & illæ ad maſculi vergant naturam, lac cōficiunt ob menſium defectum. Narrat à Vega, ſe vidiſse famulam, quam ex lactis abundantia medicus alter grauidam affirmabat, quod tamen ille negauit, & poſt nouem menſes palam factum fuit, mulierem caſtè vixiſse. Sunt tamen & alia ſigna cognoſcendi grauidam mulierem, quæ adduci poterūt. Cæterum Hippocr. (ſeu quicunque alius eius libri auctor fuerit) putat puerum etiam in utero ſugere lac per os, & argumenta affert, habere pueros ſtercus in inteſtinis cum naſcuntur. Cum verò alibi ſæpe dicat, nutriri infantem in utero per vmbilicum, videntur hæc ſibi repugnare. Niſi dicas nutriri quidem per vmbilicum fœtum, attamen nihil prohibere eo tempore, quo lac naſcitur, aliquid remeare à mammis in uterum, ut aſſueſcat puer ad nutritionem futuram extra uterum: quamuis feces illę argumentum non ſint nutritionis, quæ per os fit, ſed potius ſanguis combuſtus quę ex hepate ad uenas meſaraicas, ad inteſtina reſeruatus eſt. 2. adnotatio.

APHORISMVS XL.

Quibus in mammis ſanguis colligitur, &c.

C*Vm de lactis generatione dixiſſet in præcedenti, quod in mammis ex ſanguine procreatur, nunc ſymptoma proponit quod ſanguinis motum ad mammas ſequi ſolet.* Cōnexio

Intentio. Quibus in mammis ſanguis colligitur, furorem ſignificat.

Rō intentionis. Vt demonſtret ſignum, ex quo prædicere medicus poſſit futuram inſaniam, ac perinde ſanguinem ad mammas confluentem, non ſolum lac, ſed ſi aut multus, aut malus ſit, inſaniam parturire poſſe, & alia mala ſymptomata. Vnde ſcripſit Hippoc. qui inſania corripietur, ei hoc ſignum præſagit: ſanguis colligitur ipſi ad mammas. (2. Epid. Sect. 6.)

Demonſtratio. Sanguis collectus ad mammas, cor & cerebrum facilè afficit: ergo inſania ex eo ſperanda eſt.

Antecedens declaratur: quia magnam habent mammæ cum corde & cerebro communicantiam. Conſequentia probatur: quia ſanguis qui colligitur ad mammas, vel quantitate peccat, uel qualitate: ſi multus ſit, ita vt obruat mammas, tunc lac gigni nequit & caleſcit & putrefit: unde inſania. Sic etiam, ſi atra bilioſus eſt, & valdè calidus, paratus eſt inſaniam facere.

1. adnotatio. Quod vox iſta (collectio ſanguinis) ſignificat repentinam raptionem illius ad mammas: quia cum paulatim confluit, lac gignitur. Interdum autem etiam iis, quibus menſtrua defecerunt, vel parturientibus non purgatis paulatim colligitur, & prauæ naturæ fit, vnde ſuppurationes & gangrenæ. Cæterum collectio ſanguinis ad mammas, & cauſa, & ſignū eſt inſaniæ: ut cauſa, quia ſua qualitate euaporat ad caput & cor: ut ſignum, quia ſi in mammis ſanguis abundat; in cerebro quoque abundare colligitur, maximè verò virginibus, ob menſium retentionem iſtud euenire conſueuit, ut ſcripſit Hippocr. ſanguis enim non habens exitum, ad cor & ſeptum tranſuerſum rapitur, & mammas, vnde delirium. Ex ſanguine itaque ad mammas de repentè collecto; iudicium fit, & ad cor, & ad ſeptum tranſuerſum uergere; vnde inſania fit. Collectionem autem intelligit Gal. tumorem ex ſanguine melancholico, aut bilioſo, qui non poteſt in hac tranſmutari. (De virg. morb.)

2. adnotatio. Quod in iſta affectione medicus citò remedia adhibere debet, ſanguinem ad infernas partes reuellendo & euacuando & refrigerantia adhibendo. Solet autem ſanguis colligi ad mammas, præcipuè mulieribus ex partu, eoque conflui ad lactis generationem, & ſanè in copia aliquando tanta, ut facili induceri poſſit inflammationes, quas medicus, quoad fieri poteſt, prohibere debet: ſicuti, vbi lac non gignitur, prouidere quo veniat, ubi tamen lac maternum ad nutriendum infantem ſit accommodatum: nec enim ſemper anteponendum illud eſt, ſiquidem (vt ſcripſit Hippocratem) lac proprium vtile, lac proprium nociuum: idem quoque de alieno ſcribens. (Lib. de alim.)

APHO-

APHORISMS XLI.

Si ſcire uelis, an mulier conceperit, &c.

Cum de abortu & partu in antecedentibus plura ſcripſiſſet, nunc ad conceptionem accedit, & grauiditatem, quæ partum ſeu abortum præcedere ſolet. Cõnexio.

Si mulier ad mulſæ potum ventris tormina patiatur, concepit, ſi minus, non concepit. Sunt enim duo concluſiones contrariæ, quarum altera ex altera deducitur. Intentio.

Vt per hoc ſignum cognoſcere poſſit medicus, etiam in primis diebus, cum ambigua res eſt, an mulier conceperit nec ne. Multum enim refert id cognoſcere quamprimum, quo adhibeamus curam, ne perdat fætum mulier. Adde, hoc experimento dignoſci poſſe, an mulier, quæ lac habet, prægnans ſit nec ne. Rõ intentionis.

In duas partes diuidi poteſt iſte Aphoriſmus, vt prima cõtineat mulſæ apparatum: ſecunda uero concluſiones intentas. Diuiſio.

Prægnanti mulieri coarctantur inteſtina: Ergo ad mulſæ potum tormina patietur. Demonſtratio.

Antecedens probatur: quia uterus dum concipit, tumet, & coarctat inteſtina. Conſequens deducitur: quia mulſa flatuoſa eſt & maximè cruda. Flatibus igitur in inteſtinis conſiſtentibus ex illa coarctatione tormina naſcuntur, ſeu dolores eorum & rugitus.

Secunda concluſio deducitur ex prima: quia licet non prægnanti ex mulſa flatus fiant, tamen non ſunt inteſtina coarctata. Ideò facilè permeare flatus cum poſſint, nec dolores, nec tormina efficient.

Quod mulſa potio eſt ex aqua & melle confecta, quæ uel cruda eſt, vel cocta. Sed cum cruda magis flatuoſa ſit, ideo magis ad propoſitum experimentum eſſe uidetur. Quamuis autem alia multa ad flatum inducendum dari poſſet, tamen mulſam elegit ut minus nociuam. Tempus autem ad eam aptum obſeruat, cum mulier id dormitum: quia minus per ſomnum diſoluetur flatus, quàm per vigiliam. Adde, in uigilia facultatem flatum per inferna pellere, quod in ſomno non fit, & quamuis per ſomnum multa fiat coctio, multi perinde gignuntur flatus. 1. adnotatio.

Quod tempus huius experimenti, maximè circa primum menſem eſt, & propè ſecundum; quia poſtea manifeſta iam ſunt indicia prægnantis ex tumore apparente, motu, & menſium defectu. Sed dices, in primo menſe clauditur vterus: ergo trahet ad ſe inteſtinum quo cum connectitur, ideo latius fiet & non ſtrictius, nec flatus fient. Dic, quod licet claudatur uterus in primis diebus, tumet tamen multa humiditate con- 2. adnotatio.

in communi, ut mulier marem gerens coloratior ſit ea, quæ fœminam portat: vel ſit comparatio einſdem ad ſe ipſam, ut coloratior ſit cum marem quàm cum fœminam gerit. Vtroque modò vera eſt ſententia, non tamen ſemper, ſi comparatio fiat huius mulieris marem gerentis, ad aliam quæ fœminam portat: quia, ſi fœminam gerens ſit ſanguineá & calidæ naturæ, poterit eſſe coloratior illa quæ marem gerit, ſi ſit frigidæ temperaturæ. Verum Hippoc. ſenſus eſt, vt mulier quæ maſculum fert, ſit coloratior quàm conueniat mulieri vtero gerenti, quæ in uniuerſum colore priuata eſt; vnde quæ fœminam gerit, maculas ſolares in facie habere dixit, quæ vero coloratior eſt, marem vtero ferre. Libro de ſteril.

Quod Hippoc. voluit ſemen maſculinũ eſſe calidius fœmineo, eo propter augeri marem magis à ſolidiori & calidiore, ac motu: fœmina cum ex aquoſis & humidis magis. Verum tum marem, tum fœminam maſculinum, & fœmininum ſemen habere, ex mulieribus conſtat, quæ cum uno uiro ſemper fœminas, ad alium autem trãſgreſſæ ſemper mares gignunt, &ècontra. At dices, ſi ſemen maſculinum fortius eſt fœmineo cur ſcribit Hippoc. ſuperari aliquando maſculinum ſemen à fœmineo. Dic id fieri poſſe, quia ſua multitudine & frigiditate ſemen maſculum à fœmineo quaſi obruitur. Conducit etiam ad ſexum uterus calidior aut frigidior: ille enim ad generationem maris aptior, hic ineptior: vnde infra ſcribit, geri mares ad dexteram vteri, quia calidior eſt eà pars animalis. Accedit maxima cauſa ſexus, que eſt ſimilitudo parentum: vnaquæque enim pars corporis ſimilitudinem habet matris & patris in generationibus. Itaque cum ſuperat ſimilitudo maſculina in genitalibus, mas gignitur, cum verò fœminina fœmina. 2. adnotatio. Loco cit. Lib. de dig.

APHORISMVS XLIII.

Si prægnanti fiat in utero eryſipelas.

CVm trigeſimaprima ſententia manifeſtam conexionem habet hic Aphoriſmus, ſiquidem illius exemplum eſſe videtur. Cõnexio.

Si prægnanti fiat in utero eryſipelas, eſt lethale. Intentio.

Vt unum ex acutis morbis proponat à quo maximè mors prægnanti imineat

Omnis morbus acutus in prægnanti eſt mortalis: ergo ſi fiat in utero eryſipelas prægnanti, mortale erit. Rõ intentionis.

Antecedens patet ex Aphoriſmo trigeſimo primo. Conſequens probatur: quia eryſipelas vteri eſt acutus morbus, & eo periculoſior, quo magis abortum minatur, quam alius acutus morbus. Demonſtratio.

Quod eryſipelas hic non ſolum verum & exquiſitum, ſed inflammationem 1. adnotatio.

tionem ſignificare poteſt: quia ad vtrumque mors ſequi ſolet. Efficit autem uteri inflammatiò ſeu eryſipelas ſęuiſſima ſymptomata, quia membrum ualde ſenſile eſt, & quod citiſſimè ſuas communicat affectiones partibus nobilibus. Neceſſe autem eſt interimi puerum per talem morbum, ideo ſequi abortum & multipliciter affligari mulierem, quamobrem lethale. Hic neceſſariam fore mortem ſignificat, non tamen quin aliqua euadere non poſſit, ut ex lib. de natura mulierum colligitur; quod inter ſymptomata eryſipelatis uteri ponit Hippoc. tumorem pedum, & cruris & uentris, febrem, rigorem, inquietudinem, dolorem pectinis, & lumborum & capitis, ruborem faciei, ſitim, liuorem, puſtulas per totum corpus.

De mor. mul. *Nunc morbum curat idem lactè aſinino ad purgationem, & clyſteribus refrigerantibus; ſed tamen puto ſanguinis miſſionem non eſſe omittendam, & principalem eſſe in hoc caſu.*

APHORISMVS XLIIII.

Quæ præter naturam tenues uterum, &c.

Cõnexio. *Cvm de mammarum extenuatione ſupra locutus ſit, nunc accipit totius corporis gracilitatem, & præceptum tradit valdè vtile ad generationem.*

Intentio. *Præter naturam extenuatæ abortiunt, donec craſſeſcant.*

Rõ intentionis. *Quo moneat medicos, vt prohibeant ab his coitum, ne concipiant vt perdant, ac prius conentur reducere ad naturalem ſtatum: quod ſi tales concipiant, magnam habendam eſſe illarum curam.*

Demõſtratio. *Pręter naturam tenues pauco ſanguine & calido innato abundant: ergo ſuſtinere conceptum non poſſunt diu, priuſquam craſſeſcant.*

Antecedens probatur: ſiquidem extenuatio præter naturam indicat inopiam ſanguinis, & ſpiritus, ac perindè innati calidi. Conſequens probatur: quia ſi paucus eſt ſanguis in corpore, vbi creſcit, puer non poterit nutriri, quia corpus matris, quod ualidius eſt attrahet ſanguinem. Adde inopiam caloris & uteri debilitatem: quibus de cauſis fit ut ſuſtinere fœtum non poſſit, niſi reducatur prius ad naturalem habitum.

1. adnotatio. *Quod extenuata mulier, uel talis eſt ex natura, vel ex morbo: primo modo, uel ualde extenuata eſt, vel mediocriter. Omnes itaque ualdè extenuatæ, ſeu à natura, ſeu à morbo, abortum facient. Ideo illud præter naturam, immodicè interpretandum eſt. Verum quæ à natura, eſt extenuata non ualdè, puerum geſtare poterit, imò graciles mulieres craſſis ad* Gal. *conceptum eſſe aptiores, ſcripſit Hippoc. Cæterum tempus abortus ad ſecundum menſem legunt aliqui in textu: quia cum per id temporis grandior iam ſit fœtus, & mulier ſanguinis inopia laboret, nutriri non poterit.*

rit. Sed dices, quomodo vterus concipere potuit, cùm eædem cauſæ uideantur & conceptum & abortum impedire. Dic faciliorem eſſe conceptum, quam retentionem.

Quod tales mulieres ſunt retrahendæ à coitu, donec craſſeſcant, ut ſi fuerint conualeſcentes, & in morbo extenuatæ, aut alia quapia cauſa, quæ inueſtiganda eſt, & ope medica remouenda. Cæterum quæ graciles ſunt & craſſæ fieri uolunt (ait Hippocr.) otio ſe dare debent, mollibus ſtratis uti, & ungi, & pinguibus nutriri. Si uerò mulier, præter naturam extenuata, conceperit, nutrienda contuſis, ſtillatitijs, expreſſis, uino optimo. Apponenda etiam in vmbilico & abdomine quæ nutriendi & roborandi vim habeant, & emplaſtris ex uino, & pane toſto, & cotoneis malis coctis, quo fœtus refocilletur. 2.adnotatio.

APHORISMVS XLV.

Quæ uero mediocriter corpulentæ, &c.

Cum de abortu, qui contingit ex gracilitate præter naturam, dixiſſet in antecedenti, nunc aliam cauſam abortus occultiorem indagat, in magnam utilitatem prægnantium & fœtus. Cõnexio.

Mulier mediocriter carnoſa, ſi abortum facit ſecundo menſe aut tertio, ſine occaſione manifeſta, is ex humiditate vteri procedit. Intentio.

Vt indicet nobis occultam abortus cauſam, qua cognita, & adhibita recta curatione, poſſit deinde conceptus ſeruari. Rõ intentionis.

Abortus prædictus nullam habet cauſam præter humorem vteri: ergo ubi fiet, ex illa cauſa pendebit. Conſequens clarum eſt. Antecedens probatur: nam ſi mulier ſupponitur mediocris habitus: ergo non inopia alimenti perdi poteſt. Si non adeſt cauſa aliqua manifeſta, qua ligamenta rũpi poſſunt, ut ſaltus, uel motus ualidus, aut caſus, vel aliud quidpiam, neceſſe eſt humiditatem vteri in cauſa eſſe, qua laxantur, aut rumpuntur ligamenta pueri, & perditur. Demonſtratio.

Quod per cotylidones intelligunt aliqui ora uaſorum, quæ ad uterum vergunt: alij placentulam illam carneam, per quam fœtus utero annectitur: alij uteri cauitates; quibus omnibus modis intelligere licet. Cæterum ſigna docuit Hippoc. dignoſcendi iſtam humiditatem, quia his mulieribus poſt purgationem mẽſualem mucci ab utero procedunt per duos aut tres dies. Purgare igitur pituitam oportet & exſiccare mulierem, & uteros purgare & exſiccare, maximè per ſuffitus aromatum. Sed multæ ſunt cauſæ iſtius abortus: prima, quia priuatur infans alimento, obturatis uenarum oſculis per quæ nutritur; ſecunda, quia ex illa humiditate ligamenta laxantur & rumpuntur facilè: tertia, quia uterus languet 1.adnotatio. 1.de mon mul.

ex

ex copia humoris: adde & infantis debilitatem, vnde ſe non ſuſtinens decidit.

1. adnotatio. 1. de mor. *Quod præter iſtam cauſam, quam hic adducit Hip poc. alia eſt ab ipſo enarrata. Nam refert hoc accidens ad lænitatem vteri, ſeu à natura talis ſit, ſeu ex vlceribus: vnde fit, quod cum ligamenta non rectè cohærere poſſint, vteroque fœtus, rumpantur ilicò, aut tertio, aut quarto menſe, nulla cauſa accedente. Dat etiam ſigna, per quæ dignoſcitur talis affectus: tactu enim læuitas deprehenditur, aut ſi vlcera præceſſerunt: menſes præterea ab his aceruati prodeunt. Videtur quoque id contingere poſſe, ſi vterus paruus ſit: at cauſæ iſtæ rariores ſunt, quam illa de qua Hippoc. bic loquitur, proinde eas tacuit.*

APHORISMVS XLVI.

Quæ prętere naturam craſſę, &c.

Cōnexio. *CVm de extenuatione egiſſet quæ ad conceptum ſuſtinendum eſt inepta, nunc de craſſitudine verba facit, altero ſcilicet impedimento eoque validiori.*

Intentio. *Craſſæ præter naturam non concipiunt, donec extenuentur.*

Rō intentionis. *Vt oſtendat, non modò extenuationem immodicam, ſed craſſitiem impedire generationem. Vnde, qui prolem amant, neque extenuatas, neque valde pingues mulieres ſeligant, ac perinde maiori eſſe impedimento ad conceptum craſſitiem, quam extenuationem exiſtiment. Nā extenuatæ (vt ſupra dictum eſt) concipiunt quidem, ſed perdunt: at ualdè craſſæ, ne concipiunt quidem.*

Diuiſio. *In duas partes rectè diuidi poteſt præſens ſententia. In prima ponit conclusionem intentam: in ſecunda verò cauſam illius.*

Demōſtratio. *Os vteri clauditur præter naturam craſſis: ergo grauidari nequeunt. Antecedens probatur. Siquidem omentum adeò craſſeſcit, vt obturet comprimendo os uteri. Conſequentia probatur: quia conceptus fieri non poteſt, niſi ſemen intra vterum recipiatur: quod tamen fieri nequit, ubi clauditur os eius.*

1. adnotatio. *Quod craſſities, uel eſt ex natura, vel eſt ex morbo. Quæ igitur ex natura craſſæ ſunt, non eſt neceſſe comprimi os vteri ab omento: quia natura ſuas operationes rectè ſolet conſtituere. At quæ ex morbo non concipiunt, ijs vterus comprimitur. Verum dices, etiam craſſæ ualdè à natura, concipere non debent: quia (vt ſcriptum eſt ſecundo Aphoriſmorum) quæ natura ſunt ualdè craſſæ breuiori uita fruuntur, quam qui graciles, quod venas habeant anguſtas & pauciorem ſanguinem. Dic ineptas quoque eſſe ad conceptum ualdè craſſas à natura, non tamen, ita, ut*

quæ ex morbo vel accidenti, quia non ſimiliter in illis comprimitur vterus. Cæterum omentum aliqui hic non verè omentum intelligunt, ſed pinguedinem, quæ adnaſcitur ori ipſius vteri. Ariſtoteles verò non concipere craſſas ſcribit, quia ſanguis illis in pinguedinem vertitur.

Quod craſſæ non concipiunt, niſi prius extenuentur. Quare extenuandæ ſunt, curſibus, laboribus, pauco cibo, & adhuc anhelantibus aſſumpto, lecto duro, vigilia, curis, euacuationibus: vterum quoque purgare conuenit, & flatum inducere, ac dilatare, per fomenta, & ſpecillos. Cæterum ijs ſtatim ſemen excidit, cum primum coeunt, ſicut & omnibus alijs, quibus os vteri clauditur, vt ſcribit Hipp. primo de morbis mulierum. 2. adnotatio.

APHORISMVS XLVII.

Si qua parte vterus, &c.

CVm de affectibus prægnantium multa hactenus dixiſſet, nunc peculiare vitium deſcribit vteri, quod ad ipſius inflammationem ſequi poteſt. Cõnexio.

Vteri ſuppuratio ad coxam, vt profunda vlcera, curari debet. Intentio.

Vt demonſtret rationem curandi vteri tumores, cum in ſuppurationem tendunt. Rõ intentionis.

Ex ſuppuratione vteri ad coxam ſperandum eſt vlcus profundum: ergo illis medicamentis curari debet, quæ ad talia vlcera ſunt apta. Demonſtratio.

Antecedens probatur: Siquidem vbi pus in vomica continetur vterin, & ſe extendit ad coxam, ſeu naturæ, ſeu artis ope rumpatur, ulcus fiet profundum. Conſequens certum eſt: ſi quidem cura illi debetur per medicamenta penicillis, ſeu filamentis, &c. adhibita, quæ vlceri profundo expurgando ſunt apta.

Quod vox iſta (ἔμμοτον) ſignificat, aut cauum vlcus & profundũ, quo pus emanat; aut medicamentum liquidum, quòd penicillis conceptũ immittitur; vel curationis rationem qua profundua vlcera curantur. Quocunque modo exponatur, ſententia vera eſt. Primo ſic, ſi vterus coxę adiacens ſuppurauerit emmotis curari debet, id eſt, facta profunda ſectione, ac perinde profundo vlcere, vt per effluxionem pus educatur. Secundo modò etiam exponitur, quia ad talia vlcera liquida medicamenta linamentis imponimus, & penicillis ad detergendum, & exiccandum. Tertio modò, etiam vera eſt ſententia, vt eo modo curetur ſuppuratio vteri, quo caua & profunda vlcera curari ſolent, & fiſtulæ, & ſinus. 1. adnotatio.

Quod vterus ſuppuratur dupliciter; vel ex inflammatione, vel ex retentione menſium. Rurſus aut abſceſſus, rumpitur in vtero, aut adiacens tumor coxę ad cutim. Si primo modo fiat, pus etiam educendum per 2. adnotatio.

peſſos,

Libro de ſteril. peſſos, & iniectiones, ſolet Hipp. inijcere lac ad extrahendum pus, inde verò vinum ad roborandum. Verum ſi abſceſſus vergat ad coxam, tunc penicillis vtimur, & ea ratione curamus, qua bubones poſtquam ſecti ſunt. Ponit autem medicamentum proprium ad hunc morbum primo de ſuperfœtatione.

3. adnotatio. 1. De mor. mul. Quod aliquando ex menſium retentione bimeſtri aut trimeſtri fit tumor ad lateris mollitudinem ſupra inguen, ſine capite, magnum, & rotundum; quem tumorem vulgus medicorum (ait Hipp.) ignari, quid hoc eſſet, ſæpe ſecuerunt, & in periculum induxerunt mulieres. Nam tumor ille non eſt reuera aliqua collectio, quæ ſectione indigeat, ſed os vteri tumens ex ſanguine, quo caro fruitur. Ac perinde medicus rectè animaduertat in ſuppurationibus vteri, ne talem ſecet affectum, non diſtinguens vnum ab altero.

APHORISMVS XLVIII.

Mares dextra vteri parte, &c.

Cōnexio. CVm in 42. per colorem dignoſcendi ſexum adhuc in vtero exiſtentē tanquam à ſigno docuiſſet, nunc per aliud ſignum, tanquam à cauſa idipſum declarare nititur.

Intentio. *Mares dextera vteri parte, fœminę vero magis ſiniſtra geſtantur.*

Rō intentionis. Vt doceat, partes dexteras validiores eſſe ſiniſtris; atque vnam ex cauſis ſexus oſtendat: quare etiam maſculos genituros doceat, vt mittant ſemen ad dexteram vteri partem, & mulier ſtatim à coitu ſe voluat ad latus dexterum, ſi maſculum gignere velint.

Diuiſio. Poteſt in duas partes diuidi Aphoriſmus iſte, iuxta duas concluſiones, quarum tamen altera ex altera demonſtratur.

Demonſtratio. Pars dextera calidior eſt, & robuſtior ſiniſtra: Ergo in ea parte mares potius geſtabuntur, fœminæ ſiniſtra.

Antecedens probatur: quia ad partem dexteram, he par eſt ſanguinis officina, & omnes tam venæ quam arteriæ maiores & latiores, ad partē magis dexteram ſunt, quam ad ſiniſtram. Conſequens facilè ſequitur: ſiquidem mas calidior eſt fœmina & robuſtior: igitur mares in robuſtiori parte fient, & calidiori: è contra fœminæ in frigidiori.

1. adnotatio. Quod licet vterus non habeat ſinus euidentes, habet tamen dexterā partem à ſiniſtra, ſaltem ea ratione diſtinctam, quod vaſa omnia ſunt maiora, quæ in dexteram tendunt partem, & ideo pars illa calidior eſt. Semen autem calidius amat partem calidiorem vteri, ideo rapitur ad illam. Solet vero poſt effluuium menſtruorum aliquando hiare magis pars

2. Epid. ſect. 3. dextera quàm ſiniſtra: (vt ſcribit Hippocr.) conceptus autem maximè

fit

ſit ad partem, quæ magis hiat. Cæterum, quod ad dexteram partem fœtus ſit, ex tumore magis ad illam partem vergente, & ex motu etiam qui ad partem dexteram magis ſentitur, oculo item & mamma dextris colligitur, crus quoque dextrum in maſculos geſtantibus euidenter tumet; non ſic in feminis. Adde, partem dextram habere ſemem calidius: nam vas ſeminale dextrum ex caua vena oritur, ſiniſtrum vero ex emulgente, vnde magis coctum eſt in dextro teſte ſemen, quàm in ſiniſtro.

Quod præceptum hoc dicitur verum, non ſemper, ſed magna ex parte: quia aliquando contingit oppoſitum, vt fœminæ ad dexteram partem, mares verò ad ſiniſtram geſtentur; & Braſauolus ſcripſit, ſe obſeruaſſe in uxore, quæ ſemper maſculos ad ſiniſtram portabat. Ratio eſt, uel quia pars dextera in illis imbecillis genita eſt; uel quia pars uteri dextera non rectè hiat & adaperta eſt in coitu, ſed magis hiat ſiniſtra. Ideo cum ſemen fuerit robuſtum, cohæret ſiniſtræ parti, cum dexteræ cohærere non poſſit, ob conuenientiam: & ſic in ſiniſtra, ob iſtam præcipuè cauſam marès aliquando geſtantur. 2. adnotatio.

APHORISMS XLVIIII.

Ad ſecundas deturbandas, &c.

CVm ſupra Hippocr. præcepiſſet, bonum eſſe ſignum, ſi mulicribus hyſtericis aut difficulter parturientibus ſternutatio ſupcrueniat, nunc eandem ope artis eſſe prouocandam, docet, idque ad pellendas membranas quibus fœtus inuoluitur, ſi quando in utero remanent. Cōnexio. Intentio.

Ad pellendas ſecundas ſternutationem inducito.

Vt magnum remedium doceat pellendi, non ſolum ſecundas, ſed fœtum, & quidquid uterum moleſtat. Rō intentionis.

In duas partes ſecatur Aphoriſmus iſte. In prima præceptum ponit. In ſecunda modum docet, quo remedium ſit efficatius. Diuiſio.

Sternutamentum totum corpus concutit: ergo inducendum ad pellendas ſecundas. Demonſtratio.

Antecedens manifeſtum eſt.

Conſequens probatur: quia ſicuti motu tremulo ipſius arboris decidit fructus, magis quàm ſi quis aliter moueat: ita per eam concuſſionem & tremorem decidunt ſecundæ.

Quod ſecundæ ſunt membranæ, quibus fœtus utero adhæret, & inuoluitur; & alligatæ ſunt umbilico. Cum uero infans egreditur, calcibus rumpit illas, ac primo ſe in lucem prodit; inde ſequuntur 1. adnotatio.

gedem membranæ umbilico alligatæ. Aliquando tamen, vel ob impetũ infantis, cum nimis adhærent vtero, vel imperitiam obſtetricis ſecantis vmbilicum ante tempus, aut trahentis magis quam decet, rumpuntur, & in vtero remanent. Cũ igitur remanẽt nec prima, uel altera, die decidunt, putreſcentes peſſima efficiunt ſymptomata & febres acutas, ex quibus mulier interimi ſolet: ac perinde medicum ſumma ope niſi oportet, vt illæ educantur. Inter cætera autem Hipp. ſernutationem, tanquam præcipuum in hoc negotio remedium inducit: quia concutitur corpus & vterus. Sed ad maiorem vehementiam iubet obturandos nares, quia tunc aer pellitur ad pulmonem, inde ad ſeptum & inteſtina, quæ poſt comprimunt vterum.

2. adnotatio. *Quod ſunt alia multa auxilia pellendi ſecundas, quorum ſuffitus aromatum, non mediocres vires obtinent. Inter cætera autem remedia laudat* 1. de mor. mulier. *Hipp. artemiſiam, ſi ſuccũs eius in vino albo ſumatur, itidem violæ albæ florem.*

APHORISMVS L.

Mulieri ſi placet menſtrua ſiſtere, &c.

Cõnexio. *CVm in antecedenti remedium docuiſſet educendi ſecundas idq; commune ad educenda omnia muliebria, ſternutamentum, ſcilicet, mo*Intentio. *do ad remedia ſiſtendi menſtrua ac muliebria tranſit. Ad ſiſtenda menſtrua cucurbitam quam maximam ad mammas apponito.*

Rõ intentionis. *Vt ſingulare remedium ad effluuium menſium proponat, qui morbus non raro in perniciem deducere ſolet mulierem.*

Demõſtratio. *Cucurbita magni auxilij eſt, & paratu facilis in ſuperfluis purgationibus, ſi ad mammas applicetur: Ergo ad ſiſtenda menſtrua mammis applicanda eſt.*

Antecedens declaratur; quia potenter reuellitur ab vtero, & facilè paratur, neç periculoſa eſt. Conſequens probatur: quia remedia optima ſunt, quæ & efficacia ſunt, & facilè, ac tutò parari poſſunt.

1. adnotatio. *Quod ſuperfluum menſium effluuium magna mala parere poteſt: ex eo enim oriri ſolent, malus corporis habitus, hydrops, animi deliquia, & denique conuulſiones, ac mors ipſa. Sunt autem multa auxilia ſi-* 6. Epid. 7. *ſtendi ſanguinem, quæ breuiter Hipp. his verbis complexus eſt: ſanguinis venarum ſupreſſiones faciunt, animi deliquia, figura altera, interceptio, linamentum intortum, appoſitio, ligatura. Verum inter cętera cucurbita facilis eſt apparatu, & ad interceptionem, ac reuulſionem efficaciſſima, ſi ad mammas applicetur: quia magna eſt earum cum vtero communio, ſeu per venarum ad vtramque partem continuationem, ſeu pro-*

pinquita-

pinquitatem : nam ſanguinis miſſio, licet magnum ſit remedium quæ ex brachio fit per vices, tamen non ita tuta eſt ſicut cucurbita.

Quod apud antiquos magnus fuit cucurbitarum vſus, & merito, cum magnam efficatiam habeant ad morbos tollendos. Nunc non adhibentur niſi iam deploratis & reſolutis, & adeo religioſe, vt niſi corpus multoties ſit euacuatum, non audeant adhibere. Sed errant, quia cucurbitæ ad reuellendum cum adhibentur, non egent euacuatione; nec etiã cum ad euacuandum, & deriuandum, ea indigent ſemper, etiam parti affectæ aplicitæ, niſi corpus valde plenum ſit & periculum inflammationis. Cæterum cum ſcarificatione adhibitæ, & maximè cruribus, ſecundum locum poſt venæ ſectionem habent. Vtebatur autem illis Hipp. in anginis, aurium, articulorum, capitiſque doloribus. 2.adnotatio.

Quod duo cucurbitarum genera cognouit Hipp. alteram quę circulum habet anguſtum, ambitum paruum, & oblonga eſt. Alteram ventoſam ore largiori, ac concauam. Prima figura apta eſt ad extrahendum ſeroſos humores ex partibus internis: at ſecunda excute magis per ambitum, qualis hic conuenit. Debet autem admoueri non ipſis mammis ſed ſub illis, & non ſolum una, ſed duæ ſub ipſis mammis locari ligatis prius poplitibus & brachijs ſubdita lana. Sed nota; quod ſi cucurbita inuucat ſpirandi difficultatem, ſtatim amouendam eſſe. Trahit autem cucurbita ratione vacui: cum enim ignis aerem conſumat aut rareſaciat, nouus aterabitur ad replendum. Sed dices, cur poplites & coxas ligat Hipp. ad ſiſtendum ſanguinem, cum potius talis ligatura ad partem attrahere videatur ſanguinem? Dicas, duas maximas uenas ex magno trunco deriuari ad os ſacrum, & per coxas ad pedes protendi, & talis ligatura attrahere ad illas uenas poterit ac deriuare. 3.adnotatio.

APHORISMVS LI.

Quę vtero gerit, &c.

Cõnexio.

CVm ſupra ex mulſæ potu docuiſſet agnoſcere grauidam mulierem, nunc ad eandem rem aliud ſignum affert valdè notabile. Intentio.

Os uteri clauditur his quæ prægnantes ſunt. Rõ intentionis.

Vt demonſtret à ſigno efficaci, quomodo grauida mulier cognoſcatur, etiam primis diebus, & magnam naturæ prouidentiam, quæ nullo magiſtro vſa vteri os claudit, ſimul ac concepit. Demonſtratio.

Vterus ad generationem eſt factus: Ergo facta generatione claudetur.

Antecedens notum eſt. Conſequens probatur: ſiquidem ad generationem requiritur, primo ſeminis attractio, inde retentio, poſt formatio, & exitus: at non poteſt retineri fœtus niſi os vteri claudatur.

1. adnotatio. *Quod vterus quaſi animal mouetur deorſum ad ſemen attrahendum inde recepto ſemine clauditur, quod ipſum manifeſtè mulieres ſentiunt: poteſt item digito à perita obſtetrice clauſio illa dignoſci. Clauditur autem quibuſdam adeò ut uix ſpecillum admittat: in alijs uero non item, quibus ſuperfœtatio contingere poteſt; & clauditur ſine duritie, quod ſignum eſt non ex tumore aut alia re præter naturam illam affici. Sicuti enim ſtomachus concepto cibo contrahitur, & illum amplectitur, ita uterus ſemen, cuius maximè eſt auidus, & attrahit, & amplectitur. Cæterum putauit Ariſt. ſemen non intra vterum inijci ſed ſolummodo ad os ipſius transferri inde vero attrahi ad vterum: at Hipp. glandem hominis ingredi os uteri putat; nam vterus ipſe quaſi animal deorſum mouetur, ad recipiendam glandem, & caput membri. Vnde manifeſtè ſentiunt coeuntes quaſi cucurbita trahi membrum & ſemen abſorberi. Sed dices, quibuſdam mulieribus prægnantibus menſes effluūt: ergo non illis clauditur os vteri. Dic, vel quod ex ceruice vteri prouenit ille ſanguis, uel quibuſdam hiare magis quam decet, ob aliquam cauſam præter naturam; ſed cum rectè ſe habet prægnans, menſes non effluunt.*

APHORISMVS LII.

Mulieri partum gerenti, &c.

Cōnexio *CVm ſupra ex gracilitate mammarum abortum ſignificari dixiſſet, nunc ex lacte ipſo, de valetudine infantis, dum eſt in utero, iudicium facit.*

Intentio. *Duæ proponuntur concluſiones: quarum prima docet copiā lactis in mammis indicare fœtus imbecillitatem: Secunda vero, firmitudinem illarum fœtus robur, Ideo in duas partes iuxta duas concluſiones diuidi poteſt præſens ſententia.*

Rō intentionis. *Vt ex lactè ad mām̄as apparēte, de ualetudine infantis ſumat indiciū.*

Demonſtratio. 1. *Sicut ſe habet vterus ad menſes, ita mammæ ad lac: ſed menſes, ſi in prægnante fluunt, debilem conceptum indicant: Ergo & mammæ ſi lac efluat id ipſum indicabunt.*

Maior probatur ex ſimilitudine magna, quæ eſt lactis ad menſes: idem enim ſanguis alit infantem, & in utero, & extra uterum in lac conuerſus. Minor declaratur ex Aphoriſmo 60. huius libri: nam fluxus menſium in prægnante & vt cauſa, & ut ſignum debilitatis fœtus eſt indicium: at lac multum in mammis ſignum eſt non poſſe attrahere infantem pro quantitate conueniente.

Demonſtratio. 2. *Mammarum ſoliditas vteri robur indicat: Ergo & infantis.*

Antecedens probatur; quia in mammis apparet vteri affectio. Con-

ſequens

quens facilè ſequitur, cum robur uteri infantis robur arguat.

Quod copioſum lac è mammis fluere opportuit ſoliditatis & duritiei earum: quia mammę, cum lacte abundant molles ſunt, cum vero ſanguinem continent, non adhuc transformatũ in lac, ſolidiores ſunt ſicuti tumores ante coctionem duri ſunt, cum vero pus factum eſt, molles; ita mammæ cum lac gignunt, quod per coctionem fit, molliores euadunt. Sed cur lac indicat imbecillitatem infantis? Non lac abſolutè, ſed copioſum dixit, quia non attrahere poteſt infans ad ſui nutritionem neceſſarium: uel dic cum Cardano, lac copioſum fieri in mammis ob debilitatem vteri, confugiente ſanguine & calore ab vtero ad mammas, quia ligamenta pueri ubi relaxantur; acquirunt quendam extraneum calorem & non naturalem, quem fugit naturalis calor, & ad mammas ſe conferens lac gignit, ideo copioſa lactis generatio ſignum eſt corruptionis uinculorum: quare ſi extrà partum fit, imbecillitatem ipſius fœtus ſignificat. 1. adnotatio.

Quod lac tertio & quarto menſe apparere ſolet uſque ad octauum, ſed exiguum & imperfectum: at octauo menſe iam copia inſigni ſe oſtendit. Lac autem quod in prægnante apparet uitioſum eſt ad nutritionem, & in primis etiam partus diebus: quamobrem non deberent mulieres nutrire infantes niſi exacto purgationis tempore, quod editis maribus eſt vſq; ad 30. diem, fœminis autem ad quadrageſimũ. Sed dices, cur circa ultimos menſes magis apparet lac, quam in primis? Dic, quod ſeptimo, octauo, & nono menſe multus iam craſſus ſanguis in venis & arterijs reperitur: cũ vero tunc infans validus ſit & multum inſumat, cogitur multum attrahere; ſed cum ob plenitudinem & craſſitiem non ita libere attrahatur, regurgitat ad mammas, ad lactis generationem. Inde ſit ut fœtus magis ſentiat alimenti penuriam, & calcitrans quærat exitum: tam apppoſitè omnia natura fabricauit atque condidit. 2. de mor. muliebr.

Quod præſtãs Aphoriſmus differt, à 37. quia ibi de ſubita mãmarum extenuatione agit: hic verò de mollitie, quæ ex abũdãtia lactis fit: Iõ ibi neceſſario abortus prędicitur; hic nõ neceſſario, ſed infantis imbecillitas. 3. adnot.

APHORISMVS LIII.

Quę fœtum ſunt perdituræ, &c.

CVm de robore aut infirmitate infantis iudicaſſet in antecedenti, ex mammarũ affectione circa ipſum lac, nunc rurſum in eiſdem mammis alteram aſſumit affectionem, gracilitatis uel duriciei. Cõnexio.

Duæ hic proponuntur concluſiones: quarum prima ait, ante omnem abortum extenuari mammas. Secunda verò docet duritiem mammarum non ſignificare abortum ſed dolorem, uel ad ipſas, vel oculos, uel coxas, vel genua. Intentio.

Intentio. *Vt demonſtret ſemper antecedere mammarum extenuationem ipſum abortum. Secundo, vt doceat contrariam affectionem duritiei non indicare abortum; ideò meliorem eſſe duritiem mammarum, quam illarum extenuationem.*

Demonſtratio. 1. *Abortus fieri non poteſt ſine aliqua violenta cauſa: Ergo neceſſe eſt ante ipſum extenuari mammas.*

Antecedens probatur ex Hipp. primo, de morb. mul. Quod tamen ut plurimum intelligendum eſt, quia aliquando ex cauſa interna fit, ut humiditate cotlydonum ſine aliqua alia violentia. Conſequens probatur: quia cum vterus patiatur, & doleat ante abortum, natura ſanguinem tranſmittit à toto corpore ad ipſum, & maximè ex mammis, tanquam illis quæ magnam cum eo habent familiaritatem.

Demonſtratio. 2. *Mammæ duræ magis ſecundum naturam ſunt quàm tenues: Ergo minus timetur ex illis abortus.*

Conſequens manifeſtè ſequitur. Antecedens probatur: nam extenuatio ex defectu ſequi ſolet ſeu paullatim fiat, ut in abundantia lactis, ſeu ex affectione violenta vteri, cum ſubito extenuantur: at durities ex abundantia fit, quam natura conatur deponere ad mammas, & ideo ad illas dolores gignit: & ſi non capiant mammæ, ad coxendicum articulum, & genua tranſmittit, ad oculos etiam facile in mammis materia eleuari poteſt; & per iſtos abſceſſus uterus minus grauatur & nō fit abortus: quamobrem liceret per iſta tempora ſanguinem mittere.

1. adnotatio. *Quod ſecunda concluſio dupliciter intelligitur: aut quod ſi mammæ ſubito extenueutur, ſi rurſus fiant duræ, dolor ad eas fiat, aut oculos, aut coxam, vel genua. Vel ſecundo modo, ſic, vt quibus duræ mammæ fiunt, dolores ad ipſas fiant, aut articulos ſine abortu. Et videtur hic ſecundus ſenſus verior & acommodatior: quia primus habet contra ſe Aphoriſmum 37. in quo Hipp. ſcripſit, mammarum ſubitam extenuationem abortum portendere. Non ſolum autem in abortu, ſed etiam in partu eadem ratione mammæ ſubitò extenuari ſolent, confluente ad uterum ſanguine, quod non modò ratione, ſed & experiētia comprobatum accipiendum ſcripſit Galenus.*

APHORISMVS LIIII.

Quibus os uteri durum eſt, &c.

Cōnexio. *CVm ſupra collegiſſet Hipp. os uteri ex impregnatione claudi, nunc interponit aliam affectionem, ad quam prter naturam uterus claudi conſueuit.*

Os vteri durum cum ſit, arctatur.

Vt doceat diſtinguere, quando os vteri clauditur ob conceptum, & quando ex morbo: nam ob conceptũ molle eſt, ob alias affectiones durũ. Intentio. Rõ intentionis.

Durities oris vteri vt plurimum eſt cum tumore: Ergo ad illam ſequetur illius coarctatio. Demonſtratio.

Antecedens probatur: quia durum fit vel ex inflammatione, aut ſcirro, qui tumores ſolent obturare. Sed, & cum auertitur aut coarctatur ex ſiccitate duritiem acquirit: unde conuertitur ſi durum eſt os vteri claudi ſolet & econtra ſi præter naturam clauditur dureſcit.

Quod oris uteri durities, non neceſſario adiungit ſibi illius coarctationem, quia lib. de ſterilibus ſcripſit fieri durum uterum, aut, à, concluſione, aut calloſitate: Sed tamen ut plurimum durities ſignum eſt clauſionis uteri. Cęterum curatur hic affectus emollientibus, & aperientibus, & penicillis plumbeis, aut ligneis, ſuffitibus. Dignoſcitur itaque vteri durities contactu, ſed peritam & expertam requirit obſtetricem. 1. adnotatio.

APHORISMS LV.

Quæ geſtantes vterum febribus corripiuntur, &c.

N*Exus eſt apertiſſimus cum 44. in qua dixit, extenuatas mulieres præter naturam abortire donec craſſeſcerent: hic verò eandem tangit materiam, ſed uniuerſaliori modo atque cum alijs circumſtantijs.* Cõnexio. Intentio.

Grauidæ, quæ febribus corripiuntur, aut vehementer, aut ſine cauſa euidenti extenuantur, difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur.

Vt cognoſcamus non ſolum febres, ſed omnes affectiones, quæ grauidis contingunt & debilitandi vim habent, vel abortũ, vel difficilẽ partũ facere: quare medicus id prædicere poterit & quantũ fieri põt illi obuiare. Rõ intentionis.

Matris aut fœtus debilitas, & alimenti defectus, aut abortum, aut difficilem partum faciunt: Ergo grauidis quæ febribus corripiuntur, aut valde extenuantur, talia contingent. Demonſtratio.

Antecedens probatur: quia, niſi mater & fœtus robuſti ſint, non poteſt contineri infans, ſed neque ſi defficiat alimentum: partus ergo ſine robore fieri nequit facilis. Conſequens probatur: quoniam quæ febribus corripiuntur debilitantur à febribus, & per conſequens infantem debilitari eſt neceſſe, quæ verò valde extenuantur præter, id alimento priuantur, vnde ſi extat tempus partus, difficilè pariunt: ſi vero non inſtat, abortum patiuntur.

Quod hic per febres non ſolum acutas intelligere oportet, ſed etiam mediocres dũmodo durent: Nã ad vtraſq; extenuatur corpus: ſed in illis 1. adnotatio.

repente, in his vero paulatim. A febre tamen ephemera non eſt neceſſe ſequi, quæ dicuntur: & cibi extenuatio cauſam habuit manifeſtam. Cęterum quæcunque graui affectione laboret mulier prægnans, neceſſe eſt, vel ſequi abortum, vel difficilem partum: quia præter labores octaui & noni menſis, ad ſunt labores ipſius morbi: & ſicuti octimeſtres viuere non poſſunt; quia duos labores ferre nequeunt, ſic partus difficilis fit, vbi mater grauiter laborauit: ſic enim plures labores contingunt.

2. adnotatio. *Quod omnes grauidæ mulieres extenuatæ ſunt: quia ſanguis à fœtu ſaggitar, & ideo male coloratæ omnes exiſtunt. Adde, laborioſam eſſe non dicatur, ſed neutrum. Ideo non quælibet extenuatio; ſed quæ vehemens eſt, effectum prædictum efficere poterit: neque ſamens licet vehemens ſit ſemper timenda eſt, vt ſi a cauſa procatarctica fiat, cum vigilia, aut famæ. Sed dices, ſi ex cauſa prægreſſa extenuatio fiat & febris, & perſeueret, ſequi etiam ad cauſas manifeſtas, ſed ſequi neceſſario ſi ſine ea fiat. Alij interpretantur pluſquam ratio poſtulat, illud (ſine cauſa manifeſta) ſed contra eſt: quia in febre ardenti corpus extenuatur vehementer, nec ſine ratione, nec pluſquam ratio poſtulat, & tamen ſequitur abortus, vel difficilis partus. Quare melius eſt legere, illud ſine cauſa manifeſta, pro antecedenti & procatactica. Cæterum vbi hæc præceſſerunt in grauida, medicus curet matrem reficere, & ad partum præparare quo ad fieri poteſt.*

APHORISMVS LVI.

Si muliebri profluuio conuulſio, &c.

Cōnexio *CVm quarto Aphoriſmo in vniuerſum vituperaſſet conuulſionem & ſingultum in omni fluxione ſanguinis, & Aphoriſmo 50. cucurbitam admouendam eſſe mammis præcepiſſet ad prohibendam ſuperfluam effuſionem menſiũ, nunc duo proponit accidentia quæ ſuperuenire reſolēt ad purgationem illam, vbi ſuperflua eſt & ſiſti nequit.*

Intentio. *Si effluuio muliebri ſuperueniat conuulſio, aut animi defectus, malũ.*

Rō intentionis. *Vt oſtendat, quam periculoſa ſit ſuperflua menſium effluxio, quæ duo peſſima ſymptomata afferre ſoleat: quamobrem procurandum, vt reſtinguatur ſanguis quoad fieri poſſit: morbus enim iſte eorum eſt qui celerem habent occaſionem & paulo poſt non ſufficiunt.*

Demonſtratio. *Conuulſio, quæ ſequitur ſanguinis effuſionem ex ſiccitate eſſe ſolet, animi verò defectus extinctum calidum innatum ſignificat: Ergo mala ſunt vbi ſequuntur profluuium muliebre.*

Antecedens declaratur: quia, ſi talis præceſſit vacuatio, ex inanitione procedere conuulſionem eſt coniectandum: at vero animi defectio

ſanguinis & ſpiritus copiam exhauſtam ſignificat, vnde concidit virtus.

Quod conuulſio mala eſt, & vt cauſa, & vt ſignum. Vt ſignum, quia ex ſiccitate: vt cauſa, quia corpus angit magis ac torquet. Verum non ita animi defectus; quia animi defectus ſolet eſſe remedium ſanguinis efluentis, niſi vehemens ſit ac duret: at vt ſignum ſemper malus eſt. Cæterum Hipp. accidentia narrat quæ copioſè huic effluxioni menſium ſuper uenire ſolent: primo enim dolores accidunt clauicularum ac tendinum, & corporis torpor, & crurum perfrigeratio, & ſi amplius ſanguis deſcendat ſudor multus diffunditur; ad hæc ſtomachi morſus fiunt, & perfrigerationes, febres, rigores, conuulſiones, dolores ad inguina quaſi partus, urinæ ſtillicidium, ſitis, lingua aſpera, contractiones digitorum, pedum & ſurarum: deinde diſtenſiones totius corporis, ad quas mors ſuccedit. Fiunt uero potiſſimũ iſtæ ſanguinis effuſiones ab utero ex abortu uel ex partu, aut diuturna menſium retentione, aut ex febribus, ut idem auctor docet.

1. adnotatio.

2. de mor. mul:ebr.

APHORISMVS LVII.

Menſtruis abundantibus morbi eueniunt, &c.

CVm de prægnantium affectionibus multa hactenus dixiſſet, nunc ad menſes tranſit, qui mulieribus ſunt familiares, & ſententiam profert notatu dignam. Cõnexio.

Duæ ponuntur concluſiones: quarum altera dicit ex redundantia menſium morbos creari; altera uero ex eorum ſuppreſſione morbos ex utero fieri. Intentio.

Vt doceat magnam & potiſſimam morborum cauſam in fœminis, ex menſium peccato prouenire: quamobrem conandum eſſe medico, ut quantum fieri poſſit, id uitium curet. Rõ intentionis.

Omnis immodica euacuatio aut retentio morbos creat: Ergo tanto magis in menſibus. Demonſtratio.

Antecedens probatur: ſiquidem etiam excrementorum, & puris euacuationes immodicæ ualde lædunt, & mortem afferunt; & repletiones eadem ratione. Conſequens facilè deducitur; ſiquidem ſanguinis effuſiones, quæ per menſtrua ſuperflua fiunt, magis lædunt corpus, quàm excrementorum, ſicuti & retentiones repletiones gignunt: unde putredines & abſceſſus, atque ulcera febres, & alia mala innumerabilia.

Quod in menſtruis quantitas conſideratur, qualitas, tempus, & modus: hic præcipuè quantitatis meminit, quæ (ut ſupradictum eſt) duarum heminarum menſuram excedere non debet, & per duos aut tres dies durare. Vbi igitur excedunt menſes morbi fiunt, & febres, atque totius refrigerationes: at cum retinentur, morbi aut ex utero fiunt, (uti dictum eſt) 1. adnotatio.

quia ex utero, remanentes menſes, multa mala pariunt; aut in utero morbi fiunt ex ſuppreſſione menſtruorum. Hoc vtroque modo vera eſt ſententia: quia retentis menſtruis, ſanguis ad ſuperiora vergens multa mala acuta & grauia inducit; & in utero quoque exiſtentes inflammationes, ſcirros, vlcera, cancros ſuffocationes & clauſiones facient. Non tamen neceſſarium eſt in effluuio ſuperfluo, & vtero fiere morbos; ideo tacuit, & abſolutè morbos fieri dixit in ſuperflua purgatione, ex utero autem, cum nimis retinentur.

1. adnotatio. Quod non ſolum diuerſi morbi fiunt ex purgatione nimia menſtruorum & ſuppreſſione, ſed ijdem quoque: quia ſicuti hidrops, & corporis refrigeratio, & febris, ex immodica euacuatione fiunt, ita ijdem ex retentione fieri poſſunt. Iam verò ſupra diximus, quæ ſymptomata nimiam ſequantur effuſionem menſtruorum: nunc quæ retentionem dicamus. Scripſit Hipp fieri febres anxioſas & horrores, dolores oculorum, capitis grauitates, paraplexias. At vero quæ mala per ſingulos menſes patiantur explicauit, uidelicet febris, horror, lumborū dolor, ſuffocatio in tertio mēſe illis aduenire ſolent: quartò menſe eadem patientur & adhuc magis, duritiem ventris, faſtidium cibi, vigiliam, vrinamque craſſam habent: in quinto menſe dolores fortiores fient: in ſexto iam incurabilis redditur morbus & vltra illud tempus anxia erit, & patietur animi deliquium & denique multa alia peſſima ſymptomata, de quibus eo loci ſermonem facit. Cæterum retentiones menſtruorum ex abortu aut partu, adhuc grauiores efficiunt morbos, quàm ex alia cauſa.

(Margin: 2. Epid. ſect. 3. — 1. de mor. mul.)

APHORISMVS LVIII.

Ad recti inteſtini & vteri inflammationem, &c.

Cōnexio. CVm dixiſſet in antecedenti morbos fieri ex utero ob menſium ſupreſſionem, nunc capta occaſione de ſymptomatibus loquitur, quæ ad vteri mala & vicinarum partium ſequi ſolent.

Intentio. Duæ proponuntur concluſiones, iuxta quas Aphoriſmus in duas partes ſecari poteſt, prima docet ſtillicidum urinæ ſuperuenire ſolere ad inflammationem recti inteſtini, & vteri, ac purulentos renes: ſecunda verò ſingultum ad iecoris inflammationem.

Rō intentionis. Vt cognoſcamus actionem alicuius partis læſam, non ſemper primario ſequi illius morbos, ſed per conſenſum aliquando fieri, ac perinde ſtranguriam non ſemper veſicæ morbum ſequi, ſed & vteri & inteſtini & purulentos renes. Singultum quoque non ſemper eſſe ex ventriculo laborante, ſed per conſenſum morbi iecoris. Secundo vt per hæc, tanquam

ſigna,

ſigna, & morbus, & magnitudo illius cognoſcatur.

Stranguria fit, vel compreſſa veſica, vel humore mordente: Ergo ſequetur ad inflammationem vteri, recti inteſtini, aut purulentos renes. Demonſtratio. 1.

Antecedens notum eſt. Conſequens probatur; quia vterus inflammatus, aut rectum inteſtinum, ob viciniam comprimunt collum veſicę: adde, ob inflammatianem & dolorem irritarè veſicam: adhæc, pus mordax cum ſit, à renibus in ueſicam decidens, ſtranguriam excitat.

Inflammato iecore, cauſa ſingultus oritur: ergo excitabitur.

Antecedens probatur: quia cum ventriculum amplectatur eum comprimit & ad ſingultum impellit, vel ſanioſum humorem demandat, qui ſua acredine mordens ſingultum mouet. Demonſtratio. 2.

Quod iſta ſigna non ſunt pathognomica; neq; enim ad omnem inflammationem vteri & recti inteſtini, ſtranguria ſequi ſolet, neque ad omnem iecoris inflammationem ſingultus; ſed ſunt ſuperuenientia. quæ morbi magnitudinem ſignificant & validas inflammationes. Ideo malæ ſunt cum adueniunt: vnde ſcripſit alibi, propter iecoris inflammationem malum eſſe ſingultum. Sed dices cur grauidis ob tumorem uteri non comprimitur ueſica, & ſtranguriam facit? Dicunt aliqui, quia infans ad ſuperiora magis vergit: alij non induci ſtranguriam, niſi accedat calor præter naturam, qui tamen in prægnantibus non adeſt. 1. adnotatio.

Quod ſtranguria eſt actio læſa ipſius veſicæ, per quam paulatim & frequenter mingere cogitur, ſeu id cum difficultate fiat accedente aliqua meatus obturatione, ſeu ſine ea, cum ſolum ob acrimoniam ſtimulatur ueſica. Solet autem ſequi etiam non ſolum ad vteri inflammationem, ſed ad ſuppreſſionem menſium, ad arenas & calculos. Aliquando ſic corpore ſe expurgante, cum per abſceſſū ad veſicam vertuntur humores acres & modaces, vt in epidemis narrat Hipp. Medicus igitur debet conſiderare, cum videt aliquam actionem læſam, an ex parte primario affectu, an per conſenſum ex aliis procedat, quod ſtranguriæ exemplo nunc monet Hippocr. 2. adnotatio.

APHORISMVS LIX.

Si mulier non concipit, &c.

Manifeſtam connexionem habet hæc ſententia cum quadrageſima prima, in qua de mulſæ potu ad cognoſcendam grauidam mulierem ſcripſit: nunc vero de cognoſcenda ſterili aut falaci muliere agit. Cõnexio.

Si ſuffitus ad nares & os perueniat ex inferma parte, circumligata muliere, non ſua culpa ſterilis eſt. Intentio.

Vt

Rō inten-
ſionis.

Vt doceat hoc experimento cognoſcere, quæ mulieres aptiores ſint ad conceptum, & ſiquando mulier uiro cohabitans non concipit, an ipſius culpa, uel uiri id proueniat: ſed &, ut cauſam ſterilitatis per hoc ſignum dignoſcat.

Demōſtra
tio.

Odor peruadens corpus mulieris ex ſuffitu uteri, corpus & uterum bene conſtituta indicat: Ergo non ſua culpa eſt ſterilis.

Antecedens probatur: quia peruadens odor ſignificat os uteri non eſſe clauſum, & corpus rarum, & permeabile, non humidum, ſic enim extingueretur; nec ualde calidum, quia abſumeretur: igitur, & corpus, & uterus in his benè ſe habent. Conſequens probatur: quia ubi corpus & uterus benè ſunt conſtituti, fieri non poteſt, ut mulier ſit ſterilis: & ècontra ſi non peruadat odor, ex ea pendet ſterilitas.

1. adnota-
tio.

Quod Hipp. alligat mulierem & cingit fortiter, ne odor tranſeat exterius per cutim ad nares, ſed per uterum, & corpus adſuperiora repat. Cæterum ſuffitus ex aliquo adorato eſſe debet, ut belzoino, moſcho, & ambra: poteſt autem ſuffiri per infundibulum uuluæ impoſitum. Adhibet Netopi um Hipp. & caput allij etiam utero apponit & poſtridie aduertit os oltat necne: aut capiti eius alligatum linteum. Sunt & alia experimenta ipſius: exhibet enim de ſterilibus butyrum, aut lac mulieris alentis maſculum, & ſi ructauerit, conceperit, ſin minus non itidē ſi ex appoſitis non ualde fortibus dolores ad articulos proceſſerint & uertiginem patiatur mulier, tunc ſpes eſt ut concipiat, &c.

2. adnota-
tio.

Quod Hipp. hic docet cognoſcere fertilem mulierem ex penetratione ſuffitus, quod tamen non uidetur uerum uniuerſaliter. Nam ſi os uteri plus quam decet hiet, & ſi ex ſede ſua motus ſit, & deorum uerſus, aut ad ſuperiora atractus, poterit penetrare ſuffitus, & tamen mulier ſua culpa ſterilis erit. Reſpondet Cardanus, intelligere Hipp. de ſanis mulieribus, non de his quæ morboſæ ſunt. Sed non placet iſta reſponſio; quia mulier, cui ex natura magis quam decet hiant menſes, ſana eſſe poteſt, & tamen non concipit. Ideo dic non ſemper eſſe uerum, ſed ut plurimum: eius tamen oppoſita frequentius, imo ſemper uera eſt. Quod ſi non penetrauerit odor ad nares & os, ſua culpa erit ſterilis. Sed illud penetrare ad os intelligit, non quod os percipiat odorem, ſed quod bene oleat ex ſuffitu, ſicuti & capitis ſinciput, & lintea, quæ in capite ſunt. Sed dices, ſi calida fuerit intemperies ad os, non uidetur impediri poſſe. Dicunt, ſi ualida erit abſumi: alij uero, quod ut plurimum cauſa ſit ſterilitatis frigiditas & humiditas, ac denſitas uteri & uenarum: ideo propter hæc ſcripſit Aphoriſmum, qui ualde celebris eſt, quia per eum ſaltem gentiles, & hebrei poßunt alias ducere uxores: Chriſtianorum uero eſt cognoſcere cuius culpa malum eueniat, & ſuffitum adhibere antequam ducant uxores. Debet autem fieri experimentum uirginibus, non antequam fluant menſes,

ſes, quia ſic etiamſi, non permeet odor, non conſequitur eſſe ſterilem: nam ante menſes omnia clauſa ſunt.

APHORISMVS LX.

Si pregnanti purgationes menſtrue, &c.

CVm ſupra ex præcedenti febre, vel valida extenuatione de valetudine infantis iudicaſſet, nunc de illa ſermonem habet, ſigno ſumpto à menſibus. Cōnexio

Si menſes in prægnante curſum ſuum teneant, fœtus ęgrotat. Intentio.

Vt ab hoc ſigno notiſſimo, de ſalute infantis in vtero exiſtentis, medicus iudicare poſſit, & præterea quoad fieri poteſt, & roborando, & aſtringendo futuro malo occurrat. Rō intentionis.

Menſium effuſione in pręgnante, aut vteri, aut fœtus morbus ſignificatur: Ergo debilitas eius. Demōſtratio.

Antecedens probatur: quia menſes effluunt, vel quia vterus magis quam opportet hiat, vel quia infans trahere non poteſt. Conſequens probatur: quia ſi vterus ęgrotat, fœtum quoque ęgrotare eſt neceſſe: & ſi fętus ęgrotat, imbecillis neceſſario fiet: igitur vel abortus, vel difficilis partus tali in accidenti fieri eſt veriſimile.

Quod menſes prægnanti ſecundum naturam ſupprimuntur ad fœtus generationem, nec mala ſymptomata inferunt, quia ſanguis paulatim ad vterum procedit, non conturbatus, non multus, ſicut in his, quæ grauidæ non ſunt: adde conſumere bonam partem puerum, vnde repletiones minus fiunt. Cæterum currere in prægnante muliere, intelligitur vel ſemel, aut bis, vel quod frequenter & ſeruato ordine. Si primo modo contingat, non eſt neceſſe malè habere infantem, imo aliquando ob plenitudinem contingit quibuſdam ſanguineis & ſine periculo, & maximè primis menſibus. Quare Hipp. ſcripſit, ſanguinem in grauidis non prodire, ſi ſanus futurus eſt fœtus, niſi primo menſe modicam ſignificationē prębeant: at ſi ſecundo modo fluant menſes, & curſum ſuum fecerint, tunc iam fœtus imbecillitas ſignificatur. 1. adnotatio. De nat. pue.

Quod ſanguis, qui in prægnantibus exit, vel ab vtero, vel à venis, quę in collo ſunt, exire poteſt. Si à venis exeat minus malum putandum eſt: ab vtero vero non exit, niſi quibus vterus magis quam opportet hiat. Hiat autem, vel quod non exactè clauditur, vel quod copia multa accumulatur, vbi fœtus ob imbecillitatem non poteſt trahere. Sed dices, ſi fœtus alligatur vaſis quæ ad vterum deſcendunt, & obturata illa ſunt, non poterit effundi. Dic non eſſe compreſſa omnia vteri vaſa à ſecundis, ſed & illa ipſa vaſa quibus ſecundæ alligantur, vbi fœtus non perfectè hæret, aliquantiſper hiare poſſunt: quare ſanguis effundetur. 2. adnotatio.

APHO-

APHORISMVS LXI.

Si mulieri purgationes non prodeant, &c.

Cõnexio. *CVm multa hactenus cognoſcendi grauidæ mulieris ſigna ſcripſiſſet, nunc quaſi eam rem terminans, dignotionem eam proponit per ſigna valdè nota & celebria.*

Intentio. *Menſium retentio cum cibi faſtidio, ſine horrore, aut febre prægnationem indicat.*

Rõ intentionis. *Vt duobus his ſignis tanquam præcipuis grauidam mulierem dignoſcamus, quod & ad gloriam medici, & ad fœtus ſeruationem non mediocriter conducit.*

Demonſtratio. *Quibus retinentur menſes, cum cibi faſtidio, non ſuperueniente febre, aut horrore, ſecundum naturam fit: Ergo conceptio indicatur.*

Antecedens probatur: quia ſi præter naturam retinerentur, aut febris, aut rigor, aut aliud quidpiam ſuccederet. Conſequens deducitur: quoniam menſes cum retinentur, id dupliciter contingit; aut ob morbum, quod eſt præter naturam: aut ob conceptum, quod ſecundum naturam fit.

1. adnotatio. *Quod menſtruus ſanguis ſupprimitur his qui conceperunt: clauditur enim illis vteri os. Verum mala non affert ſymptomata, ſicuti quando præter naturam id accidit, ex aliquo ſcilicet morbo, quia repente cõfluit & retinetur neque habet puerum qui conſumat ſanguinem, ſicuti prægnans. Attamen fieri non poteſt quin patiatur aliquantiſper: vnde circa primum menſem & vſque ad tertium cibi faſtidia, aut deprauatus appetitus (qui pica dicitur) mulierem corripit, ob uapores qui ex utero ad ventriculum eleuantur: (patitur enim ventriculus facile & facilius quã hepar) poſt quartum menſem potius inflamãtur pedes grauidis, & ceſſat illa inappetentia, quia tunc iam hepar patitur, & ideo humores qui ad ventriculum ferebantur, ad crura eunt: Adde, mulierem uomere, & paucum cibum per id tempus aſſumere, & puerum etiam ſanguinem ſuggere vehementius, quibus contingit ut ceſſet illa inappetentia.*

2. adnotatio. *Quod ſanguis menſtruus duplex eſt: alter qui uere talis eſt, quique per ſingulos menſes euacuatur: alter, qui ideò dicitur menſtruus, quia ad vterum mittitur. Quidam, ut Fernelius, negant nutriri puerum ex menſtruo ſanguine, primo modo: quia valde vitioſus eſt, & àd nutriendum ineptus at ſecundo modo ita intelligunt, ut ex bono ſanguine nutriatur puer, ſed quia demandatur ad uterum menſtruus dicatur. Sed non eſt inconueniens nutriri puerum ex menſtrui ſanguinis meliori portione, reliqua parte in utero aſſeruata ad partum: nam ſi non ex menſtruo uerè nutriretur puer, neceſſarium non eſſet ſupprimi menſtrua ex conceptione.*

APHO-

APHORISMVS LXII.

Quæ frigidos, & denſos vteros habent &c.

CVm pluribus ſignis ſupra oſtendiſſet Hipp. qua ratione ſterilitas dignoſcatur, nunc de illius cauſis ſermonem habet. Cõnexio.

Duæ ponuntur concluſiones: quarum prima dicit, intemperatos uteros ſterile eſſe. 2. vero, moderatos fœcunditate valere, ideo in duas partes ſecari poteſt præſens ſententia: quarum tamen prima tres habet concluſiones de intemperatis uteris. Inteutio.

Mala conſtitutio vteri, aut corporis inepta eſt ad generationem: ergo intemperatæ, non concipient. Demonſtratio.

Antecedens probatur: quia operationes non fiunt niſi à recta partium conſtitutione. Conſequens deducitur? quoniam partes intemperatæ ſunt male conſtitutæ. 2 concluſio clara eſt ex contrario: quia quæ temperatæ ſunt bene ſunt conſtitutæ, ideo fertiles erunt.

Quod Hipp. in particulari cuiuſq; intemperie modum peculiarem ponit. Nam quæ frigidos, & denſos habent vteros, non concipiunt, quia frigiditas, & denſitas non continent ſemen, nec alunt, neque amplectuntur: quæ autem humidos habent uteros non concipiunt, quia ſemen ſuffocatur: quæ ſicciores, & æſtuoſos, quia in his alimentum deficit, ſiquidem ob ſicritatẽ ſemen non alitur, ob nimiã uero caliditatẽ exucitur. Ergo, q̃ medocritatẽ nactę ſunt calidi, & frigidi, humidi, & ſicci, fœcunde ſunt. 1. adnotatio.

Quod cum ſterilitas, & ex muliere, & viro prouenire poſſit: nunc cauſas docet eius in muliere. Quamuis aũt, & ex mala conſtitutione vteri, & ex ſolutione continui ſterilitas prouenire poſſit, tamen de intemperie facit ſermonem, vtpote communiori, & frequentiori, & quia de ſanis loquitur, quæ tamen non concipiunt. Sed intẽperies, vel magna eſt, vel parua. Hic de intemperie magna loquitur, id quod in ſingulis manifeſtauit: neque enim vteri ſpiſſi ſunt, niſi valde frigidi, nec extinguere poſſunt geniturã, niſi valde humidi. Sed cum addit, ſiccos, & æſtuoſos, grandẽ ſigni gnificauit intẽperiem: attamẽ ſi intẽperies non multũ excedant, facile ſe qui põt generatio pſertim ſi vir contrariæ fuerit tẽperaturæ. Quare ſcripſit Hipp. curandũ à Medico, neuteri ſint valde humidi neq; valde ſicci. 2. adnotatio. De morb. mul.

Quod ſequens cauſa ſterilitatis ad uteros pertinet, cum vel nimis ſiãt aut clauduntur, ſeu peruertũtur, aut duri fiunt. Menſes quoq; debent eſſe ſecundũ naturã, quantitate, qualitate, & tẽpore. Sunt ẽt ad cõceptũ aptiores paruæ magnis, graciles craſſis albę rubicundis, nigrę liuidis, quæ venas cõſpicuas habent illis, quæ occultas. Cæt erũ, quæ ratione conceptus impedimenta dignoſcãtur, ſcripſit Hipp. Si. n. ſemen ſtatim decidit, os uteri 3. adnotatio. 1. de morbis. mul.

clauſum

clauſum eſt: at ſi poſtera die exeat genitura, aut etiam tertia vterus perhumectus eſt: ſi vero ſexta aut ſeptima, ſemen computruit, & putrefactum exit (putrefieri autem dixit ex bilis & pituitæ ſalſæ confluxu) quibus in locis, ſolum humiditatem tanquam frequentiſſimam ſterilitatis cauſam poſuit, aut os vteri clauſionem, ſeu cacochymiam.

4. adnotatio. *Quod medicus curaturus ſterilitatẽ benè conſiderare debet illius cauſam, & à mulieribus exactè percunctari, quia illæ cauſas pudore ſuffuſæ celant: vnde, tum quib. difficiles ſunt in ſe tum quia difficile fatentur ſuas affectiones mulieres, raro curantur. Medicus autem quoad fieri poteſt cognita cauſa illi ſe opponat oportet: eſt enim res hæc magnæ gloriæ & vtilitatis Medico. Nam mulieres concipiendi adeo amore tenentur, vt quiduis obire malint. Hinc ſint, ut ſe imperitis ſicophantibus committentes medicamenta nulla ratione exhibita aſſumentes, in mortem aut inſuperabiles morbos incidant. Diſtinguere autem oportet, quæ curari non poſſunt, ab his quæ curationem admittunt: curantur, quæ uitium a natura non contraxere, ſed ex accidenti: bene tamen aduertendum, an vitium ex muliere aut viro proueniat. Cæterum Hipp. non dixit valdè intemperatas abſolutè non concipere, ſed dum tales perſeuerant: quia uterus valde humidus (dummodo talis non fiat à natiuitate) poterit reduci ad temperiem. De vteri autem humiditate ſcripſit Hipp. requirere victus rationem ſiccißimã.* 2. Epid. ſect. 2. *Cumq; ad generationem requiratur in fœminis receptio, inde formatio, poſtea quod retineatur vſque ad partus tempus, curabit medicus ita mulierem regere, vt omnia exactè perferat: quo pacto vero gubernanda ſit mulier, vt concipiat ac genituram & genitum contineat, latè ac diffuſè explicauit Hipp. lib. 1. de morb. mul. num. 26.*

APHORISMVS LXIII.

Par eſt de maribus ratio, &c.

Cõnexio *CVm in antecedenti de cauſis ſterilitatis in muliere determinaſſet, in hoc de illis, quæ viris contingunt, ſermonem inſtituit.*

Intentio. *Sicuti intemperati vteri ſteriles ſunt, temperati autem fœcundi, ita etiam de locis generationis, pudendo in quam & teſtibus, atque ſemine, quæ in maribus ſunt intelligendum eſt.*

Nõ intentionis. *Vt doceat non ſolum ex fœminis, ſed & ex maribus pendere ſterilitatem, quam ob rem medicus rectè aduertat, num ex illis potius vitium proueniat.*

Demonſtratio. *Fœcundia non prouenit, niſi à temperato ſemine, atque bona totius & pudendorum conſtitutione: Ergo ſi mares intemperati fuerint, inepti ad generationem erunt.*

Antece-

Antecedens probatur, vt ſupra: quia operationes non niſi à bona conſtitutione partium prodeunt: at partes niſi temperatæ fuerint, bene conſtitutæ dici nequeunt.

Quod Galenus Aphoriſmum coniungit, quippe ſi ad verbum intelligatur falſus ſit, neque ſapiat Hipp. doctrinam. Verum nos, quoad fieri poterit, conabimur ad verum ſenſum illum traducere. 1. adnotatio.

Quod vitium in maribus, quo ad generationem vel ad informationem pertinet, vel ad temperiem, aut vtrumque. Quo ad inflammationem attinet, membrum breuius quam decet, ſemen intra vterum eiaculari nequit: vnde non ſtatim colligere opportet, ſi ſemē ex vtero foras exit, clauſum eſſe, cum ex breuitate membri id prouenire poſſit; ſed & ex obliquitate meatus. Verum ſi longior ſit quam decet, non concipit mulier, quia ſemen refrigeratur in illa longitudine & non ita ab utero comprehenditur. At ſi magnum admodum fuerit membrum virile, vt dolorem inducat mulieri, dolens vterus ſemen amplecti nequit. Sed ſi vaſa ſint admodum lata per quæ ſpiritus meat, genitura, quo minus penem erigat, impeditur, quia antequam penis ſemen fundat, deprimitur, quod diſſipētur ſpiritus ob raritatem; & hoc eſt quod ſcripſit Hipp. propter corporis raritatem, vel corporis pudendi, aut etiam totius corporis; quia qui habitu ſunt valdè raro, ſpiritu pauco abundant, ad erectionem penis cum deflectitur. Per corpus viarum quoque denſitas quantitatem ſeminis ſufficientem ad generationem traduti prohibet; ſed & totius corporis & uenarum ſua denſitate obſtant, ne ſanguinis copia teſtibus ſuppeditetur. 2. adnotatio.

Quod autem ad ſemen attinet, & ipſum, ſi intemperatum ſit, ineptum eſt ad generationem; vt ſi frigidum ſit in utero coaceruari & coagulari nequit priuatum ſpiritu & calore: at uero ſi nimis calidum fuerit, aduritur & diſſoluitur, ſicuti ſi humidius ſit quam decet: ſiccitas tamen magis laudabilis eſt in ſemine, verum ubi nimium excedit, ipſa quoque non probatur, ut quæ paucitatem ſeminis & ineſſicacem in eo diſtenſionem pareat. 3. adnotatio.

APHORISMVS LXIIII.

Lac præbere capite dolentibus, &c.

CVm de affectibus prægnantium, & quæ ad uterum pertinent hactenus dixiſſet, & de mammis quoque multa ſcripſiſſet; nunc de lacte agit quod illis familiare eſt, explicans illius iuuamenta & nocumenta. Cōnexio

Duplex proponitur concluſio: prima, docet nocumenta lactis, remouēs illud ab his quibus dolet caput, febriculoſis, & hypochondrijs inflatis, ſiticuloſis, acutis febribus, bilioſis deiectionibus, & ab his qui valde exinaniti Intentio.

nan iti uſnt ſanguine ſecumda. Cõcluſio docet quibus adiumentũ ſit lac, tabidis, nõ val. de febricitantibus, febribus longis, & languidis, & pręterrationem ex-tenuatis.

Rõ intentionis. *Vt demonſtret quibus affectionibus lac conferre, & quibus nocere eſt aptum: & per conſequens frequentem uſum (cum ſit nobis familiaris) non parum nocere, ſi non recte adhibeatur, magnumq; in quibuſdã morbis eſſe remedium.*

Diuiſ. *In duas partes rectè ſecari poteſt iſta ſententia. In prima docet, quæ ſint nocumenta lactis, & quibus affectionibus noceat. In ſecunda verò, quibus morbis conueniat, explicat.*

Demonſtratio. 1. *Lac flatuoſum eſt, & facilè in bilem vertitur, & corrumpitur: Ergo non dandum in doloribus capitis, nec inflatis hypochondrijs, & cæt.*

Antecedens probatur: nã facilis eſt euaporatio eius ob tenẽ, & aqueã ſubſtantia, facile bileſcit, quia dulce: facilè corumpitur, quia varias habet partes. Conſequens probatur: nam quia flatuoſum caput grauat, & hynochcõdrijs inflatis & murmurantibus nocet: quia bileſcit, ſiticuloſis febribus in uniuerſum, & magnis, & bilioſis deiectionibus eſt inimicũ: quia facilè corrũpitur, in atiqũ his qui ſanguine ſunt euacuati nõ cõfert, quod non coquatur, ob defectum caloris: & quia etiam in nidorem facile vertitur, acutis febribus alijſq; bilioſis non confert.

Demonſtratio. 2. *Lac facilis eſt coctioris, boni nutrimenti, & difficile exhalat: Ergo tabidis confert, & longis febribus, & ſupra modum extenuatis.*

Antecedens probatur: nam cum facilis ſit alterationis, ideò facilè ſuperatur, optimi eſt nutrimenti, & nobis familiariſſimum, & difficile diſſolubile, ob ſubſtantiam caſeoſam: licet enim facile corumpatur ante coctionem, cum coctum eſt, illius nutrimentum non facile diſſipatur. Conſequens manifeſte ſequitur: quia extenuatis, a febribus longis, ac debilibus conuenit nutrimentum bonum, quod facile ſuperetur ac difficile diſſoluatur ſuperatum: peculiariter tamen tabidis, non ſolum ratione extenuationis, ſed quia vlcera curat repurgando, & aſtringendo, bonum eſt.

1. adnotatio. *Quod quamuis multa animalia lac habeant, non tamen omne lac eſt hominibus in uſu De quo hic loquitur Hipp. eſt, vel muliebre, uel aſininum, equinum, vel caprinum, vel ouillum, vel bubulum: quæ genera lactis, licet inter ſe differant tenuitate, alijſue qualitatibus, tamẽ de omni lacte in commune eſt Hipp ſententia Continet uero lac triplicem ſubſtantiam, craſſam, quæ caſeoſa eſt, ſeroſam aqueam, & butyroſam tenuẽ. Cæterum lac muliebre, Cameli, aſini tenuiùs eſt, magis vero ſeroſum caprinum & ouillum, craſſius & magis caſeoſum bubulum.*

2. adnotatio. *Quod lac in morbis exhibitur, aliquando, vt nutrimẽtum, aliquando vt medicamentum, aliquando vero utroq; modo. Rurſus, uel exhibetur ſimplex: aut cum aqua, & vino ſachare, melle, alijſue rebus admixtum.*

At

At ſi ſimplex exhibetur, aliquando crudum datur & frigidum, aliquã do excoctum, ut pars illa ſeroſa conſumatur. Cum igitur Hipp. negat dandum eſſe lac prædictis paſſionibus, de puro lacte intelligit, & cum ad alẽdum exhibetur: quia lac ut medicamentum conuenit etiam in bilioſis febribus, & acutis, vnde quarto acutorum, in febre ardente ad purgandũ lac aſininum dat, & ad temperandum & purgandum in dyſenteria, quibus bilioſę ſunt deiectiones exhibet lac aſininũ in duobus diebus ad duodecim librarum quantitatem, prius, tamen ignitos lapides inijcit ad ſeroſam partem tollendam cum magno iuuamento. Et in languidis, & extenuatis, (dummodo valida non ſit febris) lac præbet ut alimentum, & medicamentũ. Cum uero magis nutritione indigent vinũ lacti miſcet Hipp. vnde in prædicto dyſenterico exhibebat lac cum uino admiſtũ, & aqua, ad tres vncias quotidie: erat autem lac bubulum.

3. adnotatio.

Quod lac febricitantib. omnib. nocet, quia bilioſum eſt, & in nidorem facilè conuertibile, propterea etiam magis febri acutæ ob maiorem caliditatem obeſt. Ideo dixit in tabidis dandum, ſi non ualde febricitarint: quia aliquando febris putrida cum tabe cõiungitur, unde illud primi epidemio. ægrotabant tabidi non tabido modo, quia febres acutiores erant. Quare non bene Galenus ſoluit iſtam uocem, ſed neque illam, (dum nullũ ex prædictis ſignis adſit) quia ſi cũ febribus lãguidis capitis color, aliauè ſupradicta iungantur, dubitaret quiſpiam, an lac dari deberet, negat id Hipp. Verum neque uox illa. (quibus febres cum bilioſis deiectionibus) etiamſi coniunctim legas, abſona eſt, quia licet acutis febribus etiam ſine illis deiectionibus non conueniat, minus cum illis conueniet. Semper tamen ratio habenda eius quod magis urget, & cum urget magis lactis neceſſitas, exhibendum, etiamſi ſupradicta adſint. Cæterum non ſolum lac prædictis confert, ſed oculorum ardoribus, & ulceribus veſicæ, & uteri, (dummodo non ſint ſordida) & quia anodinum, ad ſedandos dolores utile eſt.

APHORISMVS LXV.

Quibus ſunt cum vlceribus tumores &c.

Cõnexio

QVàm dependentiam habeat hæc ſententia cum ſuperioribus, non eſt facilè conſequi, cum valdè diuerſam in eo agat materiam; niſi referas ad 22. aphoriſmum huius libri, in quo de vlceribus meminit, vt cum affectiones muliebres interpoſuerit, modo ad eandem rem reuertatur.

Intentio. *Duæ proponuntur concluſiones: quarum prima aſſerit, non admodum inſanire, neq; conuelli eos, quibus ſunt cum vlceribus tumores conſpicui. 2. vero, ex tumorum recurſu, ſi ad partem poſteriorem ſit, vlcus conuulſionem, & teta non minari: at ſi ad anteriorem, inſaniam, pleuritidem, dyſenteriam, & empyema. Ideo in duas partes iuxta duas concluſiones aphoriſmus rectè diuidi poteſt.*

Rō intentionis. *Vt ex cūmuni ſigno, & frequēti tumore, quid ulceribus futurū ſit mali aut boni Medicus prædicere poſſit: atq; perinde illos moneat, ne eos tumores reprimant: ſecundo, ut per hæc doceat, quæ potiſſimum ſymptomata ex recurſu materiæ tumoris in vulnere timenda ſint.*

Demonſtratio. 1. *Tumore in ulcere apparente diſtrahit materiā à partibus nobilibus: ergo in eo non admodum inſanient, uel conuellentur vulnerati. Antecedens patet: quia ſi tumor appareat in vluere, non ſit niſi ex humoribus, qui ad illū effluunt: quare primæ partes, & potiſſimū cerebrū, non afficiētur, nec inſanient homines, aut cōuellentur, ſiquidē iſta potiſſimū ſymptomata ex recurſu fiunt, id quod erat in conſequenti probandum.*

Demonſtratio. 2. *Euaneſcente tumore in vulnere, rapitur materia ad partē nobilē ſecūdū rectū: Ergo ſi nō appareat in uulnere, & recedat ad partes poſteriores cōuulſiones et tetani accidēt: ſi vero ad anteriores, inſania, aut pleuritis, aut empyema, aut dyſenteria. Antecedens probatur: quia cū præter rationē occultatur tumor, ſignū eſt materiā illā verti ad nobile membrū. At quia motus ſecundū rectitudinē fiunt, et partes anteriores cū anterioribus, poſteriores uerò cum poſteriob. rectitudinē habent, ideo iuxta illas fiet materiæ recurſio. Conſequēs probatur: quia pars poſterior ad diſtētiones & cōuulſiones maximē apta eſt, q̄a ab ea magis eſt principiū motus. Contra uero anterior ad inſaniam (quia ad partem anteriorē magis uergit ſenſus) & dolores lateris, ac empyemata, tranſlata ad caput materia, vel ad aliquam euacuationem ſanguinis, inter quas, quæ per inteſtina fit facilior eſſe videtur, ideo dyſenteriam faciet.*

1. adnotatio. *Quod per ulcus maximè vulnus intelligit, aut etiam contuſiones, & fracturas, & pręcipuè quę magnæ, vel prauæ ſunt, ut in ſequenti. Cæterū cū dicit, (tumor euaneſcens) intellige tu ſine cauſa aliqua manifeſta, quā cum ſine euacuatione euidenti, facta à natura ſeu arte. Minus ēt cōuelluntur, & inſaniūt, quibus ſanguis multus ex uulnere effluxit. Dixit aūt, nō admodū conuelli quibus tumores ſunt cōſpicui: quia ēt cū tumoribus poſſunt aliquādo fieri inſaniæ, & conuulſiones, ex uehementi dolore aut inflammatione, ut in ſutore illo quinto epidemiorū, qui pupugit acu genu. Nota ēt, ad vulnera accidentia, quæ frequenter ſequi ſolent, peſſima eſſe deliriū, & conuulſionē, et pp ſenſum, & pp neruos, quia ad cerebrū potiſſimū, & quia pars corporis eſt extrema, maximè confluunt humores.*

2. adnot. *Quod pars anterior, & poſterior duplicem ſenſum habet. Primus eſt*

talis,

talis, ut ſi vulnus ſit in parte anteriori ex occultatione tumoris ad illam ſperanda ſint mala: ſi vero in poſteriori, ad illā quoq; mala fieri. Secundus ſenſus eſt, ut intelligamus ad illā partē fieri mala, ad quā vergit materia, ſeu vulnus in poſtica, ſeu antica parte ſit. Vterq; ſenſus verus eſt, tamen primus ſenſus eſt grauior, licet non ſit ita uniuerſalis: at ſecundus ſenſus eſt uniuerſalior, quia licet ut plurimum ex vulnere anterioris partis ad anteriora vergat malū, & poſterioris ad poſteriora, fieri nihilominus pōt, ut aliquando contrariū accidat, quod peius eſt: ſic uidemus nō raro uno tempore vulnerato ad contrariam partem fieri conuulſionem.

Quod conuulſiones, quæ ex vulnere fiunt, potiſſimum ſunt diſtentiones quæ afflicta poſteriori parte contingunt: ideo magis ſequuntur ad vulnera partis poſterioris, non quod vulnera anterioris ſequi ēt non poſſint, ſi neruoſæ partes ſint affectę. Vnde habes ægrū illum famoſum ab Hipp. deſcriptū, cui cum ſeptum trāſuerſum iaculo percuſſum eſſet, ipſeq; rideret, ex eo riſu prædixit Hipp. conuulſionē, & diſtentionē, quæ hominem etiā paulo poſt corripuit, & interfecit. Habes & exemplum illius cui ancora ſupra digitum ceciderat, qui diſtentione correptus, mortuus eſt. Verum ubi ad anticas partes materia uergit, inſania potiſſimum fit, vel ob magnas uel ob ſeptum tranſuerſum, quod ad inſaniam eſt paratiſſimum, nas & arterias, quæ recta ſurſum tendunt ad cerebrum: quod ſi in latere, vel firmetur materia, vel a capite tranſmittatur, pleuritidē, aut pulmoniā, vel ſuppuratione faciet: verum ſi natura valida fuerit, tunc tumoris materiam ad inteſtina tranſmittendo faciet dyſenteriam, non eam quæ cum vlcere eſt, ſed criticam. Addit, ſi rubicundi tumores, qui occultātur, fuerint: quia ſic ex ſa[illegible]uinis copia oriuntur ac perinde magis parati ad prædicta mala. Cęterum quam peſſima ſint prædicta ſigna ſi uulneribus aduenіant, neminem latet; lethalia enim ſunt; ſed inter reliqua ſymptomata maximè lethalia ſunt diſtentio & delirium. 3. adnot. 5. epid.

APHORISMVS LXVI.

In magnis vulneribus & prauis &c.

Cōnexio.

C*Vm in antecedenti ſententia de euaneſcente in vulneribus tumore dixiſſet, nunc de eo non fiente uerba facit. Pendet autem hic aphoriſmus à ſuperiori, ſicuti effectus ex ſua cauſa.*

Intentio.

In magnis uulneribus, & prauis ſi tumor non appareat, ingens malū.

Vt oſtendat bonum eſſe ſi tumores vlcera grauia comitentur, ſicuti valdè timoroſum, ubi tumore deſtituantur, ac perinde medicum in talibus vitare debere repercutientia, & refrigerantia, præcipuè in vulneribus neruoſarum partium. Rō intentionis.

Demonſtratio. *Tumore in vlneribus repente euaneſcente, malum urgens: Ergo ſi non apparet in magnis uulneribus, & prauis ingens malum.*

Antecedens eſt aphoriſmus qui hunc præcedit conſequens probatur: quia qua ratione ex latente tumore transfertur materia ad partes nobiles, unde conuulſiones, & deliria, ita non apparente tumore in graui vulnere, retinetur in membris nobilibus. Quare idem efficiet quarta, aut ſeptima, aut decimaquarta die, cum inflammatione, & dolore hominem perdit.

1. adnotatio. *Quod magnum vulnus, uel communiter, uel propriè capitur. Propriè magnum dicitur quod ſecundum omnem dimenſionem extenditur, communiter magnum dicitur vulnus, & quod malignum eſt, licet paruũ ſit, vel quod in aliqua parte principali factum eſt: de quibus omnibus vera eſt ſententia aphoriſmi. Nam omnia magna vlcera ſtatim debent habere tumorem conſpicuum: quia conturbatus ſanguis ad locum omnem affectum ex principali membro natura tranſmitti ſolet. Quod ſi id nõ fiat, ſignum eſt, quod retenta materia in principe parte, delirium aut diſtentionem afferat, aut quod poſt duos vel tres dies, excitata in parte inflammatione, eadem inferat ſymptomata.*

Materia uero retinetur in principali membro, vel quia debile eſt, aut quia retrocedit, etiam cum mittitur ad vulnus, ob uiarum anguſtiam.

In paucis autem vulneribus, vt in puncturis, non expirantibus vlceribus ſed ſeratis, ſanies aceruatur, quæ inflammationem poſtea efficit, & peſſima ſymptomata. Vnde intellige, ſi tumor non appareat, malum: non tamen ſi appareat bonum ſemper, ut ſi ſit cum inflammatione, & magno dolore, & ſi poſt principium appareat. Huius rei exemplum habes de furore, de quo ita ſcribit Hipp. Sutor ſoleas ueteramentarias ſuens 5. epidẽ. *pupugit ſeipſum ſupra genu, in femur, & ferme digitũ immerſit, cui nullus ſanguis efluxit, ſed vulnus cito clauſum eſt, femurq; totum in tumorem eleuatum, & intenſum, vſque ad inguerum unde tertia die mortuus eſt.*

2. adnotatio. *Quod uerbum illud (ingens) duplicem ſenſum habet; vel ſic: in magnis vulneribus, uel prauis, ſi tumor ingens non appareat, malum. Vel illud ingens ad malum adiungendo ſic: ſi tumor non appareat, quod ſit magnum malum. Primus ſenſus magis eſt ad mentem Hipp. & ipſe de magno interpretatur, ſecundo epidemiorum; quia magnis vulneribus meritò magnus tumor debetur, uerum intellige ad propoſitionẽ. Prauis itaq; vulneribus potius calida & adurẽtia debentur, quale Sulfur eſt, euphorbium, therebintina, ſagapenum: conuenit & euacuare ſtatim miſſione ſanguinis, aut purgatione, & dilatare vulnus ſi fuerit exiguum, & anodina admouere.*

APHORISMVS LXVII.

Incontenta bona &c.

Evidens admodum eſt dependentia præſentis aphoriſmi cum ſuperioribus. Cum enim de tumoribus in vulneribus apparentibus ſermonẽ in duobus antecedentibus habuiſſet, nunc de tumorum natura agit. Cõnexio.

Incontenta bona, contenta vero, & cruda mala.

Vt demonſtret qui boni ſint in vlceribus tumores, & qui etiam mali, nec ſolum in ulceribus, ſed in uniuerſum. Intentio. Rõ intentionis.

Qui tumores facilè exolui poſſunt aut ſuperari boni ſunt, mali vero contrarij: Ergo tumores non protenſi, & molles boni, contra tendentes, & duri mali. Demonſtratio.

Antecedens facilè patet: quia uiæ meliores auferendi tumores ſunt, vel reſolutio, uel ſuppuratio. Conſequens probatur: quia tumores ſine tẽtione, & renitentia, ac molles humores habent facilis tranſmiſſionis, contra uero duri, & tenſi difficilis.

Quod tumor in vlceribus apparens, ſi laudabilis ſit, non debet eſſe cũ tentione, quia tunc durus, & dolorificus, ac difficilis erit ſolutionis. Debet autem mollis eſſe non ſic, ut digito cedat, ſed ut facile ſit tractabilis: qui enim cum tenſione ſunt, & duritie, difficilis ſunt ſuppurationis & reſolutionis, & dolorifici, & a prauis humoribus originem ducunt: quales ſunt, ſcirri, carbunculi, cancri. Quare eiuſmodi tumores cum fere inſuperabiles ſint, impedimento ſunt conſolidationi, & fiſtulas procreare ſolent, & omnegenus maligni ulceris. 1. adnotatio.

Quod Hipp. maximè laudauit medicum, qui tubercula in corpore nacẽtia rectè tractare ſciat. Rectè autẽ tractat, qui collectiones, & tumores, ſanteq̃ fiant, præcauere, ſcit poteſtq; & q poſteaquã facti ſunt, illos ita tractat, ut vel diſſoluentur, vel in pus æqualiter matureſcant. Solent antem ulcerum tumores aliquando reſolui, vt plurimum ſuppurari, & paulatim per vlcus materiam dimittere. Cæterũ tubercula laudabit, quæ in acutũ tendunt in pyramidẽ, quæq; nõ bifida ſunt, & æqualiter matureſcẽtia, ac mollia: Contra malla ſunt, dura, & ægre ſuppurantia: arida enim putredo ex ea indicatur: vnde Hipp. recitat tumorem maxille, qui non uppurabat, ſed arida putredine putreſcebat. 2. adnotatio. 7. epidẽ.

APHORISMVS LXVIII.

Parte capitis poſteriore laborans, &c.

Cvm in 62 de rectitudine partiũ ſermonem haberet, cum exulcere partis anterioris ad anteriora, poſterioris verò ad poſteriora ſentiri mala narraſset; nunc eam nactus occaſionem præceptum tradit utile ad rectitudinem partium ſpectans. Cõnexio

Intentio. *Ad dolores partis capitis poſterioris ſectio venæ in fronte prodeſt.*

Rõ intentionis. *Vt demonſtret præſtans remedium ad affectionem occipitis, nec non ſeruandam eam rectitudinem in reuulſionibus, quæ commodiſſima ſit, propinqua, non diſtantiſſima.*

Demonſtratio. *Sectio venæ in fronte euacuat, & reuellit è parte poſteriori capitis: Ergo vtilis eſt illius doloribus.*

Antecedens probatur: ſiquidẽ ex uena Iugulari duo eleuantur rami ad aurem, quorum alter ad occiput, alter ad frontem tendit; & ideo ſanguis, qui a frontis uena educitur, ob cõmunicantiam, & propinquitatem ex parte euacuat, ab contrarietatem verò reuellit. Conſequens facile ſequitur: quia aufertur morbi cauſa, & impetus materiæ eo cõfluentis.

1. adnotatio. *Quod cum ſanguinem mittimus, uel ſolum quærimus abſolutam eius diminutionem, vel ſolum ad reuellendum id facimus, vel ad utrumque.*

Primo modo ſi fiat, ſemper eligenda eſt brachij dextri vena interna iecoraria dicta. Cum autem ſolum reuellere intendimus, ut in ſedandis ſanguinis fluxibus, tunc à diſtantiſſima parte, & paulatim euacuamus. Cum vero ſimul, & euacuare, & reuellere intendimus, uenam eligemus, quę non multum ex parte diſtet. Sic in pleuritide ſemper ex eodem latere educimus: quia, & reuulſio, & euacuatio commodiſſima eſt, cum maior ſit rectitudo, & contrarietas dextri cũ dextris, quam cum ſiniſtris. Sic in affectionibus occipitis ſecamus in fronte venas, quæ ad euacuandum ob propinquitatem ſint aptiſſimæ, & ad reuellendum ob contrarietatem, & communionem inſignes.

2. aduotatio. *Quod capitis dolor, uel eſt per conſenſum à toto corpore, vel per eſſentiam in capite. Rurſus utroque modo, uel corpus repletũ eſt ſanguine, vel non Vbi igitur è conſenſu eſt, aut corpus ualdè repletum, melius eſt incipere ſectionem à vena brachij: at ubi per eſſentiam eſt in capite, ſine tamen plenitudine, à uena frontis incipere poſſumus.*

Secatur autem vena illa, & non pungitur collo aligato linteo, ut magis turgeat. Porro dixit Hipp. de recta uena: quia ſunt venæ in frõte plures, quarum una recta ſecundum frontem deorſum tendit, eaq; ſecanda eſt, cum dolor poſterioris partis medium ſeruat: quod ſi ad dexteram, vel ſiniſtram inclinet, etiam in fronte id faciendum eſt.

Cæterum ſolebant antiqui (ut refert Paulus) ſecare frontem in morbis, & uenas præcidere, quæ deorſum vergunt, quando fluxio erat ad oculos. Verum ſicuti dolores occipitis ſoluuntur ſectione venæ in fronte, iſta oculorum dolores, & partis anterioris capitis per reuulſionem, & euacuationem ſolui debent, ex occipite. Sed cum ibi nulla uena ſit, quæ conſpicuum ſui præbeat aditum, cucurbitas admouemus, & cauteria, atque ligamenta, ad reuellendos maxime oculorum dolores, & morbos capitis ſoluendos. Solebant etiam antiqui in vertiginibus, & diuturnis capitis

doloribus, ſecare arterias ad tempora, & poſt aures. Quod Scytæ maxime faciebant, unde eunuchi euadebant (vt ſcripſit Hipp.) quamuis puto, id contigiſſe ob maximam ſanguinis effuſionem, non quod qualibet ex illis effuſio id efficere poſſit. li. de aere & aquis.

Nunc iſta remedia in uſu non ſunt, quod timeant medici hemorrhagiam; valida tamen eſſe, & magni iuuamenti in calidis potiſſimum doloribus, & fluxionibus ad oculos, dubitandum non eſt. Cæterum hoc remedium videlicet ſectio frontis, & vaſorum, quæ ſunt in capite, iam corpus euatum ſupponi, & alijs remedijs tentatis fieri potius debet.

APHORISMVS LXVIIII.

Rigores incipiunt mulieribus &c.

Cum in ſuperiori Hipp. remedij ſingularis ad capitis dolores meminiſſet, quod in rectitudine conſiſtit, & communicantia, nunc de rigore ſermonem inſtituit, in eam ſympathiam doctrinam dirigens. Cõnexio.

Rigores à frigidiori parte corporis incipiunt. Intentio.

Vt demonſtret quæ magis in corpore ſint partes exangues, ac perinde quæ citius frigiditatem ſentiant, & per hoc acceſſionis principia dignoſcamus. Rõ intentionis.

Plures habet concluſiones aphoriſmus, iuxta quas diuidi poteſt, & omnes probare intendunt propoſitionem præſcriptam. Diuiſio.

Mulieres horrent magis ex lumbis, ſicuti viri cubitis, & femoribus, etiã primo ſentiunt horrorem: Ergo rigores à parte frigidiori incipient. Demonſtratio.

Antecedens, tamquam notum experientia, aſſumitur. Conſequens deducitur: quia partes illæ ſunt frigidiores: nam pars poſterior priori frigidior eſt: partes extremæ, ut manus, brachia, crura, interioribus ſunt frigidiores.

Quod rigoris nomine intelligere poſſumus omne genus frigiditatis, ſeu vera ſit frigiditas, ſeu horror, ſeu rigor: differunt enim ſecundum magis, & minus. Loquitur tamen magis de rigore & horrore, quam de frigiditate: quia frigiditas prius ſentitur in naribus, auribus, pedibus, ac digitis: at rigor magis in lumbis non ſolum ob frigiditatem, ſed propter venam cauam, quæ per eum locum repit. Hipp. autem non comparat poſteriores partes extremis, ſed anterioribus, ſicuti extremas anterioribus, femora, & cubitos nominans, externas intelligit. Dixit autem mulieribus fieri rigores magis in lumbis, quia illæ viris ſunt frigidiores. 1. adnotatio.

Quod partes, prout ſunt uiſceribus propinquiores, & venas habent maiores, atq; magis raræ ſunt, eò ſunt calidiores, qua ratione priores partes calidiores ſunt poſterioribus. id ipſum probat in textu fieri ex rari- 2. adnotatio.

tate,quæ caloris eſt effectus. Pili vero, qui in anterioribus magis abundant, inditium ſunt raritatis. Sed dices, Hipp. ſcripſit rigorem à ſuperiori ventre magis fieri, febrem autem ab inferiori : attamen venter ſuperior cor habet viſcus calidiſſimum. Dic ventrem ſuperiorem ob oſſeam compaginem, & os ventriculi, quia excellentiſſimi ſenſus eſt, ideo magis morderi. Cõtra inferior vẽter, qui ad putrefactionẽ magis eſt paratus, ideo magis putatur febriũ origo. Adde, in infimo vẽtre iecur eſſe, lienẽ, omẽtũ, inteſtina, in quibus caliditas aſſeruatur, nec perinde oſſeus eſt, ut ſuperior.

6. epid.

APHORISMVS LXX.

Qui quartana corripiuntur &c.

Cõnexio. *CVm de rigore in antecedenti mentionem feciſſet, & inter febres rigorificas quartana, maxime connumeretur, occaſionem nactus præceptum de quartana tradit ad prædictionem, & curam non mediocre.*

Intentio. *Quartana præcauet conuulſionem, & factam curat:*

Rõ intentionis. *Vt demonſtret morbum vnum aliquando eſſe alterius curam ac perinde nõ ſemper eſſe damnandũ. Secundo quo doceat qualis ſit illa febris quę frigidos morbos curare ſoleat. Tertio, ut cognoſcamus quartanam, licet aliquin ſit longiſſima, eſſe tamen ſalutarem in magnis morbis.*

Diuiſio. *In duas partes ſecari poteſt præſens ſententia, prima couclusionem continet quę præcautionem facit. ſecunda, quæ curat.*

Demonſtratio. *Quartana cõuulſionis cãm adimit. Ergo illã, et curare, et præcauere põt.*

Antecedens probatur a Galeno in cõmento: nam rigor per excretionẽ, calor per coctionem, diſſolutionem, et attenuationẽ conuulſionis materiã adimunt. Conſequens probatur : nam quod morbos curare, idem eos præcauere eſt aptum. Vnde Hipp. de abſceſſibus loquens, eos qui factos morbos tollunt, ſi ante fiãt, impedimẽto eſſe negignãtur: quartana aũt febris uim habet abſceſſus, quinimo ad illã per abſceſſum finire acutos morbos, præcipuè in ſenioribus, & circa autumnum explicauit in prognoſtico.

6.epid.

1. adnotatio. *Quod conuulſio, aut eſt cũ motu, vt epilepſia, aut ſine illo, ut tetanos.*

Rurſus quæ cum motu eſt, vel eſt recens, vel inueterata : nã diſtentio ſemper acutus eſt morbus. Fit aũt uel ex inanitione, uel repletione. Hipp. itaq; de conuulſione intelligit, dummodo ex repletione fiat, cuius origo craſſus eſt humor, melancholia ſcilicet, pituita, & flatus : nec enim corpora ad quartanã apta cũ multis, et craſſis abundent humoribus, conuulſionibus corripiuntur ex inanitione. Cæterũ licet cõuulſionis meminerit; tamẽ quartana ſoluendi uim habet oẽs morbos magnos, qui ex craſſis fiũt humoribus, apoplexiam. paralyſim, reſolutionẽ, ſtuporem, articulorũ dolores, melancholiam, & alios huius farinæ morbos. Sed dices, qui a pituita

fiunt

fiunt, non uidentur ſolui poſſe quartana quæ ex malencholia potius naſci tur. Dic, ſolui quidem excretione per ualidos & longos rigores, atenuatione per longum calorem. At quomodo in pituitoſo morbo accēdi quartana poteſt cum pituita in melancholicam tranſire non poſſit? An quod non dicit Hipp. hæc, ſed ſi fiant, quod ſanantur conuulſiones. Fiet autem quibus ex melancholia naſcitur. Vel dic febrē talem accendi qualis quartana eſt in epilepſia, aut apoplexia, & morbum tollere. Vel dic, poſſe in pituiſo corpore fieri quartanam ob malam uictus rationem ex ſanguine aduſto, aut naturæ nixu talem excitantis febrem.

Quod ideo quartana ſoluit multos morbos pertinaces, & longos, quia eſt longiſſima, & paulatim alterat corpus, & expurgat: eam rationem curādi expoſcunt oēs longi, vel pertinaces morbi. Adde, eſſe ſecurā quartanā, q̄ duo nec tertianæ febri, nec putridæ cōuenire poſſunt: nā tertiana nō eſt lōga, neq; ſecura, præterquā exquiſita, putrida uero ſecura nō eſt. 2. adnot.

Quod quartana, de qua hic loquitur Hipp. non eſt illa quæ accidēs eſt alicuius viſceris malè affecti, quia talis non eſt periculoſa: neq; in ſenibus accidit, quod in illis ratione ætatis periculoſa eſſe ſoleat. Proinde aliquando deſinit in paralyſio, vel conuulſionem, aut alium magnum morbum: quare quarto epidem. ſeruus quartana correptus ſtupidus factus eſt. At non contradicunt hæc aphoriſmo, tum quia de quartana loquitur, nō aliis affectibus cōiuncta, tū quia nō dixit in uniuerſū liberare, ſed ut plurimū. 3. adnotatio.

Quod epilepſia non omnis a quartana ſoluitur. Nam quæ poſt uigeſimū quintum annū extēditur, comitare ſolet uſq; ad mortē (quāuis intelligere poſſimus de cōmotione quæ per artem fit) attamen natura quartanā mouens poterit forſan curare. Hic uero memēto aphoriſmi illius 2. libri, quo ſcripſit, melius eſſe ſuccedere febrē conuulſioni, quam præcedere. 4. adnot.

APHORISMVS LXXI.

Quibus arida & dura cutis &c.

CVm in antecedenti aphoriſmo de cōuulſione mētionē feciſſet, eiuſq; remediū ex quartana potiſſimū ſperandū, quando ex repletione fit, nunc de conuulſione iterum verba facit, quę potiſſimū ex inanitione eſt. Cōnexio

Duę proponuntur concluſiones quarū prima eſt huiuſmodi: quibus arida, & dura cutis oſtenditur ſine ſudore moriuntur. 2. uero ait eos cum ſudore mori, quibus cutis laxa & rara eſt. Intentio.

Vt doceat iuſta tēperiē, et cōſtitutionē corporis, ac præcipue ipſius cutis uariari modū mortis, neq; perinde putandā ſudorē ſemper eſſe bonū. Rō intentionis.

In duas partes, iuxta duas concluſiones, partiri poteſt iſta ſententia. 1. docet, quando conuulſi. 2. quando cum ſudore moriuntur homines. Diuiſio.

Cutis

Demõſtratio.1.

Cutis dura, & circumtenſa, magnam ſiccitatem ſignificat: Ergo quibus ægris talis eſt, ſine ſudore pereunt.

Antecedens probatur: quia talis durities, et circuntenſio non niſi extrema ſiccitate progreditur. Conſequens probatur: quia ubi prædominatur ſiccitas, non eſt cur ſudores effluant deficiente materia: ideo tales con nulti pereunt.

Demonſtratio. 2.

Secunda cunclusio facile ex prima deduci poaeſt. Nam laxitas, & raritas cutis ad ſudorem ſunt aptiſſimæ: laxitas enim humiditatem ſignificat, raritas vero ad ſudorem uiam parat. Ergo quibus talis cutis eſt cum ſudore, moriuntur, colliquatis ſpiritibus, & humoribus.

1. adnotatio.

Quod cutis raritas, & laxitas, itemq; durities & circuntentio, hominibus ſunt, vel natura, vel ex morbo. De utraq; vera eſt ſentẽtia. Nam, qui calidi ſunt, & ſicci natura, non facile exudant, ideò ad calidos morbos, & ſiccos valde ſunt parati: contra, qui humidam habent naturam: verum, & de morboſa ariditate, & laxitate quoq; intelligere oportet.

2. adnotatio. 1. prog.

Quod circa ſudorem animaduertere oportet, quod aliqui propè mortẽ exudant, & melius habere videntur, ſicuti contingit Iuueni, quem medicus ille imperitus in balneum ad ſudandum miſit, ideò præcedentia ſigna benè conſideranda ſunt. Sed dices, cur aliqui propè mortẽ melius habent, vnde quidam morbis peſſimis cum febre laborantes repentè ſine febre eſſe videntur, poſtea redeũte facilè moriuntur? Huius rei cauſa multiplex eſt. Nam quidam refrigerantur ob motum caloris ad partes internas, & ideo ſine febre apparent, cum reuera tamen febricitent: alijs ob caloris, & virtutis imbecillitatem ceſſat pugna cum morbo, vnde melius habere videntur: alijs ob extremum naturæ conatum, quæ materiam ex membro principe pellere nititur, quãuis ſtatim pereat regrediente malo (eſt enim mors extremum) ideo in ea magnæ mutationes fiunt, & rumpuntur aliquando abſceſſus qui prius rumpi non potuerunt.

3. adnot.

Quod dantur febres, quæ exiccant, & arefaciunt corpus atq; adeo eyurunt, vt circuntendant cutim, & quodammodo exurant: unde illud; cutis circa frontẽ arida, & circuntenta: & in talibus ſine ſudore mors euenit. Alij verò ſunt morbi, qui cutim laxant, & ſudorem, vel perpetuo inducunt peſſimũ, ut febris Anglica peſtifera, quæ intra. 24. horas cum ſudore hominem diſſoluit, quod tunc mors aduenit coliquato humore; & talis ſudor maxime circa faciem, & ceruicem fieri ſolet, & frigidibus. Quare, & ad prognoſticum utilis eſt hęc ſententia, & ad curationem, vt non ita exiccemus in arida, & circumtenta cute, ſed humectemus quam maxime: verum in laxa, & rara non item conuenit, & reprimere ſudorem, ubi hominem diſſoluit, & alio materiam auertere, ut uel per veſicam, uel per aluum excernatur.

APHORISMVS LXXII.

Auriginoſi non admodum uentaſi. &c.

Non habet manifeſtam connexionem hæc ſententia cum antecedentibus, niſi dicas, quod ſicuti in antecedenti ex natura cutis aridę, uel humidæ mortem cum ſudore, vel ſine eo fieri dixit, nunc ex natura bilioſa flatus remoueat. Cōnexio.

Icterici non ad modum ſunt uentoſi. Intentio.

Vt demonſtret, eos, quorum natura ad icterum inclinat, flatuoſos non eſſe: aut ſaltem, cum regio morbo laborant rurſus uentoſi, ut ſint, ineptos eſſe & a tali morbo immunes. Rō intentionis.

Auriginoſis magna eſt caliditas: Ergo flatuoſi non ſunt. Demonſtratio.

Antecedens probatur: quia multa bile cum abundent, calidi ualdè ſunt: eſt enim calida & ſicca bilis admodum. Conſequens probatur: quia flatus non fit niſi à frigiditate, vel calore imminuto: & ideò maximè in pituoſis, & melancholicis.

Quod icterus, ſeu regius morbus eſt affectus per quem totū corpus flauo aut nigro colore ſuffunditur. Color flaueſcens copiam indicat bilis quę ex Epate originem habet; nigrior autem melācholiæ, quæ ex liene. Hipp. non de ictero loquitur qui ex liene fit, quia tales ſunt flatuoſi, ſed de illo, qui ex hepate naſcitur. Verum dices, in hepatico ictero aliquando fit hydrops ſicca, hepate malè affecto: quin imo Hipp. ſecundo epidemiorum ferè adiungit ictero hydropem & flatum. Dic loqui de ictero, qui fit ſine duritie, vel tumore lienis, uel dic, nō abſolutè proferre nō eſſe veatoſos ictericos, ſed non admodū ventoſos; vel dic, per ictericos, eos intelligere, qui colores habent flauos natura, & bilioſi ſunt valdè, adnotatio.

Sed dices, qui anguſtum habent thoracem, & parati ſunt ad tabē, flatuoſi ſunt, & tamen bilioſi. Dic, illis contingere ob defectum calidi innati propter cordis frigiditatem, de quibus Hipp. non loquitur, ſed de bilioſis, qui eam malam conſtitutionem non habent: iſti enim cum multa abūdent bile, & calidi ualdè ſint, flatus abſumunt, nec ructuoſi ſunt, ſicuti pituitoſi, & melancholici.

FINIS.

RODERICI A FONSECA,

In Sextum Aphoriſmorum Commentaria.

APHORISMVS I.

In Diuturna lęuitate inteſtinorum, &c.

Cõnexio

CVM de flatuoſis mentionem feciſset Hipp. in ultimo Aphoriſmo libri præcedentis, arrepta occaſione rurſus nunc de flatu, qui ructu eijcitur, conſiderationẽ aſſumit, utilem medico præceptionem proponens.

Intentiò.

In Diuturna lęuitate inteſtinorum ſi ructus acidus ſuperueniat, qui prius non extiterit, bonum.

Rõ intentionis.

Vt demonſtret quid ex hoc ſigno prædicere Medicus poſſit, neq; perinde reprobãdũ eſſe ructũ, ut uulgus putat ſpecialiter.

Demonſtratio.

Quod in aliquo morbo Naturę robur oſtendit, bonum. Sed talis eſt acidus ructus in longo fluxu alui, qui prius non extitit: ergo bonum.

Maior de ſe clara eſt. Minor probatur: quia ructus tunc coctionis incipientis eſt indicium, quam natura molitur, flatus ſurſum ad os eleuando.

1. adnotatio.

Quod lęuitas inteſtinorum hic fluxio alui dicitur per quam alimenta aut parum admodum, aut nihil immutata deijciuntur nullo tamen exiſtente vlcere in inteſtinis. Hæc vel breuis eſt, vel longa.

De breui mentionem non facit, quia ex illa parum pericli imminet; cum ſatis inſenuerit, tunc ſequi ſolet ad illam totius corporis refrigeratio, & hydrops.

2. adnotatio.

Quod longa læuitas inteſtinorum, ut plurimum à cauſa frigida prouenire ſolet: quæ enim à cauſa calida exoritur, aut breuis eſt, aut in frigidam deſinit: ac proinde Hipp. ſupponit frigidam cauſam lęuitatis inteſtinorum longæ. Hic fit ut ructus acidus in ea bonum ſit ſignum, ſignũ inquam, ut ſcribit Hipp. non ſolum bonum, ſed utile: quia eſt bonum, etiã vt cauſa: nam per talem ructum ſolet tranſmutari corpus; ideo etiam inducendus, aliquando à medico. Intellige tu in hunc modum; vt ſi non cedat affectio ad cibos qui facilè coquuntur, & non facilè deſcendunt, medicus tentet illegitimam curationem per ſimilia, dando cibos qui facile aceſcant, & difficilis coctionis, ad quos Natura aliquando ſeſe erigit: quę enim per rationem fieri nequeunt, per temeritatem facienda, ait Celſ.

li. epidẽ. ſectione ſecunda.

Cum

Cum uero ructus acidus abſolutè non ſit probandus, utpote imperfectiorem coctionem ſignificans, ideo addit, qui prius non extiterit: quia ſi prius extiterit, nequaquam bonum erit arguens imperfectam actionẽ, ob frigidam intemperiem, ſeu pituitæ, ſeu bilis atræ, & imminutum calorem.

Quod cruditas unum ex ijs eſt ex quibus maximè morborum principium, & origo naſcitur: ea uerò eſt triplex, vel cum nil immutantur cibi: vel cum eſt imminuta coctio: aut cum corrumpãtur & in malam tranſeunt qualitatem. Cauſa omnium, uel eſt aliquis affectus Ventriculi, aut cibi defectus, quantitate, qualitate, aut ordine, ſeu aliarum rerum non naturalium. Cæterũ cibi corruptela duplex eſt; vel acida, per quam ructus acidi proueniunt, vel nidoroſa per quam nidorem quendam, & combuſtionem oſtendunt: hæc ſemper à calido fit. Sed de acida cruditate ita dicendum, eam à frigido procedere: at non abſolutè à frigido, ſed minore calore quàm ut poſſit concoquere. Hinc fit ut quamuis uinum aliquibus aceſcat, non tamen potus aquæ cinamomi: & quamuis dulcia & pinguia, quæ tamẽ calida ſunt, aceſcant, ut ſcribit Hipp. non tamen ideo cum Tralino dicendum, acidã cruditatem à calore aliquando fieri, ſiquidem à calore aliquo, ſed minus quàm conficere poſſit ideo frigidum dicitur reſpectiuè. Vinum enim aceſcit in uentriculo aliquando, non quia calidum, ſed quia non poteſt ſuperari à calore uentriculi, cum aqua cinamomi poſſit, & aqua etiam non aceſcat in quibuſdam quibus uinum aceſcit, quia hæc facilè illud difficile concoquitur. 1. adnotatio. lib. de Affectionib.

APHORISMVS II.

Quibus Nares humidiores, & genitura &c.

Magnam affinitatem habet hic aphoriſmus cum ſuperiori, nam ibi de acido ructu actum eſt, qui humiditatis uentriculi nota eſſe ſolet hic autem de muco & ſemine ſermonem arripit, quæ quaſi pituitæ ſunt expurgationes. Cõnexio.

Duæ concluſiones proponuntur in Aphoriſmo contrariæ, ideo in duas partes rectè ſecari poteſt. Prima; Nares humidiores natura, & genitura humidior ſigna ſunt culpatæ ſanitatis; at contraria melioris. Intentio.

Vt ex duobus ſignis ſolis oſtendat Hippo. & doceat cognoſcere culpatam ſanitatem, aut bonam. Demonſtratio.

Corporu pauci caloris morboſa magis ſunt. Rõ intentionis.

Sed quibus nares humidiores ſunt & genitura humidior, ſunt pauci caloris corpora: ergo ea minus ſana ſunt quam contraria.

Maior probatur: quia calor ad uitam facit & longiorem, & ſeniorem,

rem, à quo proueniunt omnes operationes, nec excremēta gignit ſed abſumit; contra à frigido omnia imperfecta fiunt, & multa excrementa gignuntur, unde frigiditas ſtatim ſibi aggregat humiditatem multam.

Minor probatur: nam cum ex aſſiduo muco cerebri humiditas, & ex ſeminis humiditate reliquarum partium eadem colligatur, hinc fit, ut ex iſtorum humitate totius corporis pendeat humiditas. At hæc multa humiditas non fit niſi per calidi defectum; quia hic non de natiua loquitur humiditate, quæ ad uitam confert, ſed de illa quæ ad natiuam ſequitur frigiditatem.

1. adnotatio. *Quod ex humiditate narium & ſeminis colligitur totius corporis humiditas, ea ratione qua dictum ſupra eſt; at corpus humidum, tum quia excrementis ſcatet, tum quia ad putredinem facilè diſponitur, & obſtructiones, ideo inſalubrior eſt ſicco. Sed iſta comparatio uel intelligitur abſolutè, vel reſpectiuè. Primo modo non uidetur ſequi: quia ſicca corpora ad acutos morbos ſunt aptiſſima, phrenitidem, ardentem febrem, & reliqua. Dic abſolutè veram ſententiam, ſalubriores eſſe ſiccitates aſſiduis imbribus, quia & in humidis frequentius ægrotant homines, & longis &* aph 15. *acutis morbis, ut tertio aphoriſ. ſcripſit. Sed dices, nonne melius eſt expellere excremēta per nares, quod fit in humidis magis quàm in ſiccis, in quibus non excernuntur? Dic ualere argumentum, ſi ſicci excrementa haberent, ideo per morbos melius eſt habere res humidos, quàm ſiccas.*

2. adnotatio. *Quod comparatio illa ſeminis & nariū humidorū multipliciter intelligi poteſt, vel ut fiat comparatio humidi hominis ad ſe ipſum, cum ſemen habet humidum & nares non habet: vel cum fit ad ſiccum hominē aliū, aut temperatum: quibus omnibus modis uerus eſt aphoriſ. Dixit autem natura humidiores inſalubriores, quia ſi quis ex acidenti ſit humidior, & natura ſiccior non dicitur inſalubrior ſicciori ex accidenti; non eſt autē neceſſarium, ut qui nares habet humidos ſtatim genituram habeat humidam (licet id ut plurimum contingat) ideo iunxit illa duo; quia ſi ex uno alterum ſequitur ſufficiebat alterum ipſorum ponere.*

3. adnotatio. *Quod ex ſententia Hipp. cū ſemen ex omni corporis parte decidatur ex ſolo ſemine poſſet colligi totius corporis temperamentum, & uerum dixit Hipp. quia licet ſemen elaboratum illud, & album ex teſtibus proueniat, quia tamen ſanguis, ex quo illud fit, ex totò corpore uenit (exiſtēte ſemine ſuperfluo alimento in partibus) ea ratione ex toto corpore decidere dicitur. Cum verò dico ſemen decidi ex omnibus partibus corporis, intelligo nō ex minimis, ſed ex præcipuis, Corde, Hepate, & Cerebro. Sed dices, ſufficiebat ex ſemine colligere humiditatem totius, ſi iſta uera ſunt. Dico quod ſufficiebat, ſed ex utroq; certiùs colligitur.*

APHO-

APHORISMVS III.

In longis inteſtinorum difficultatibus &c.

CVm in primo aphoriſ. de lęuitate inteſtinorum verba feciſſet, & ſignum poſtea apparens ad prædictionem narraſſet, nunc dyſenteriã aſſumit, quæ altera eſt ſpecies alui fluxus, & ſignum carpit ſuperueniens in prædictionem. Cõnexio.

In longa dyſenteria cibi faſtidium malum, & cum febre peius. Intentio.

Vt demonſtret cibi faſtidium & febrem inter peſſima ſigna eſſe in dyſenteria locanda, & maximè cum adueniunt in debilitato ęgro. Rõ intentionis.

Duæ proponuntur concluſiones: quarum prima malam ponit inappetentiã in longa dyſenteria: ſecunda uerò perniciem, ſi cũ febre iungatur. Diuiſio.

Quod accidit corpori debili exiſtẽti, & debilitãdi vires uim habet malum: talis eſt inappetentia, ſi longæ dyſenteriæ ſuccedat: ergo malum. Demonſtratio. 1.

Maior certa eſt, nec ſolum malum, ſed ualde timoroſum illud accidens eſt habendum. Minor probatur: quia ex longa dyſenteria iam uires languent. Inappetentia uerò ut cauſa adiuuat extenuationem.

Secunda concluſio per ſe clara eſt; nam ſi inappetentiæ iungatur febris, manifeſtum eſt maius eſſe malum, quàm ſi ſola inappetentia adſit: tum, quia febris adiuuat conſumptionem, ſicuti fluxus, tum quia ulcus inflammatum ſignificatur & putre. Sed licet abſolutè febris & inappetentia peiora ſint, quàm ſola inappetentia, ſecundum quid tamẽ fieri poteſt vt peius ſit inappetentia ſola, quia febrienti facile eſt non appetere, at difficile non febrienti.

Quod inappetentia in ſola dyſenteria, uel oſtendit emortuam facultatem ventriculi, hepatis, & inteſtinorum: uel ulcus adeo ſordidum, ut tranſmittat ad uentriculum prauos humores, qui appetentiam corrumpant. Ideo vt ſignum malum eſt, malum etiam ut cauſa: quia cum extenuata ex longo morbo refectionem deſiderent, prohibet id inappetentia: febris autem iam inflammatum, & putre vlcus oſtendit. 1. adnotatio.

Quod cibi faſtidium tripliciter intelligitur, vel cum nihil poteſt deguſtare homo abſolute: uel cum appetit, ſed admouens alimentum non poteſt deguſtare: vel cum alimenta peregrina, & mala deſiderat. Quocunque modo mala eſt inappetentia, ſed peſſima prima, inde ſecunda, poſtea tertia. Cum verò à principio dyſenterię aduenit inappetentia, non ita malum eſt; quia ob confluentiam bilis ad uentriculum fit, & uires validæ ſunt, & ſufferre poſſunt inediam: & de febre idem quoque dicendum. Cæterum cibi faſtidium etiam uituperauit Hipp. cum meracis alui egeſtionibus in diuturno morbo. 2. adnotatio.

APHO-

APHORISMVS IIII.

Circa glabra ulcera maligna &c.

Cõnexio. NExio huius aphoriſ.cum antecedenti ex affinitate petitur,quam cũ vlcere habet dyſenteria ; cum ipſa quoddam vlcus ſit potius, & quemadmodum externa ulcera, de quibus hic loquitur, aliquando ad malignitatem perueniunt,ita & dyſenteria aliquando maligna eſt, cum cibos interficit,& febrem inducit,iam longa exiſtente.

Intentio. *Vlcera quibus pili incircum decidunt magna ſunt.*

Rõ intentionis. *Vt demonſtret vel ex uno ſigno malignam vlceris naturam,et proinde quàm cito remedijs utẽdum quæ illius prauitatem expugnare poſſint, ut ſectiones,vſtiones,ſuppurationes,& efluxiones.*

Demonſtratio. *Omne ſerpens & corrodens malignum:*

At vlcera, quibus pili decidunt corrodentia ſunt, & ſerpentia, ergo maligna.

2. epidẽ. ſect. 1. *Maior declaratur:nam Hipp. roſiones ſolet appellare malignàs ſicuti ferinas ; vnde oris uentriculi dolores,quod eroſione quadam fiant ferinos uocat.Feriũ aũt apud illũ (Galeno teſte) vel uermes ſignificat,aut vlcera ſerpentia,& corroſiua. At minor facile probatur : quia caſus pilorum ex putreſcentia ſuccorum prouenit,qui vel ad vlcus confluunt, vel ex partibus circa vlcus colliguntur;vnde omnia praua vlcera, & difficilis curationis,quæ chionia,ſeu ſelephia dicuntur, ſerpentes & cancri, pilos interficiunt circa partes illis adiacentes.*

1. adnotatio. *Quod vlcus hic ſolutionem continui ſignificat, iam non recẽtem; quia in vulnere antequam fiat vlcus non ſolent tale accidens fieri ; ſolent autem corrodi pili, & decidere ob malignos morbos, in Gallica lue, & cum peſſimi morbi per abſceſſum cerebri iudicantur. Sed dices,pili decidunt ex intemperie ſicca,ut in caluitie,& in defectu humoris alentis, nõ igitur ſpecies ex prauitate ; Dic poſſe ex intemperie decidere, ſed ea iã tanta eſt, ut prauum vlcus effecerit : per ſanitatem autem nil prohibet pilos decidere ex defectu humoris & ſiccitate.In vlcere ſiccitas illa ſiccã facit iam putredinem,ut in calloſis vlceribus ; eſt enim duplex putredo*

2.epidẽ. *ſicca,& humida apud Hipp. leges maxillam cuid m ſicca putredine putrefactam. At dices,cum ulcera maligna alia habeant per quæ cognoſcantur,ut ſi ſerpunt,ſicut in fluxu prauæ materiæ,aut magnæ ſint intemperies,ſi non cedunt medicamentis, ſi corpus ſit cachochymum,cur ad illa cognoſcenda fugit Hipp.ad pilorum decidentiam? Dic quia iſtud ſignũ ſtatim ſe oculis præbet medico inſpicienti ſine ulla alia ratione,uel interrogatione ; nam ſimulac uiderit vlcus medicus in loco pilorum circum-*

circa pilis carentem,ſtatim colligit eſſe malignum, vnde hoc ſignum quaſi prænuntium,& antecedens malignitatem efficit, ut ex longiori tempore ſuccurrat medicus aut expurgando,aut ſuppurādo, aut attemperando.

APHORISMVS V.

Doloribus lateris, & pectoris &c.

CVm ex glabritie vlcerum differentiam collegiſſet Hipp. in antecedēti, ut perindetacitè admonuiſſet conſiderandas eſſe in qualibet ſpecie morbi; nunc id ipſum faciendum in doloribus commonefac. Cōnexio

In doloribus lateris,& pectorum cæterarumq; partium,an ægri multum differant conſiderandum. Intentio.

Vt ex iſta conſideratione pulcherrima, tum affectus, tum loci affecti, tum cauſæ morboſæ certam medicus cognitionem nanciſcatur. Rō intentionis.

Doloris differentia ad diſpoſitionem facit affectus,loci affecti,& cauſæ morboſæ;ergo illa conſideranda eſt in omni dolore. Demonſtratio.

Antecedens declaratur; quia dolor inter ſymptomata omnia ut manifeſtiſſ.iſta oſtendere eſt aptus; nā dolor punctorius mēbranam læſam oſtendit,& bilis eſt ſoboles atq; inflāmationis: grauis, autem viſcerum magis,& humoris frigidi,ac flatuoſi; & ſic de cæteris. Conſequens probatur: quia medicus non poteſt,neq; prædicere,neq; curare, niſi affectam partem,& cauſam cognoſcat.

Quòd doloris differentia, quam conſiderandam proponit, conſiſtit in ſpecie,Magnitudine,Tempore,Situ, & Modo: de quibus omnibus dicendum; Inſpecie conſideramus,ſi grauis eſt,qui carnoſarum partiū eſt,& pituitæ:ſi pungens,qui membranarum,& bilis: ſi pulſans,qui arteriarū, & inflāmationis: ſi grauans,flatus: ſi terebrans inteſtinorum. Magnitudo conſideratur,uel iñtenſione,uel quia latè diffunditur,vt in pleuritide ad mammam, & brachium: quo utroq; modo magnitudo affectus indicatur,paruitas paruitate,mediocritas mediocritate. 1.adnotatio.

Quod tempus & modus in doloribus maximè conſideranda ſunt; Tempus aūt,uel morbi ſignificatur,vel anni: quod utrūq; maximè conſiderandū ſcripſit Hipp.per hæc uerba,quaſi ſeipſum exponēs hic. Dolore in lateribus,pectore,& alijs partibus exiſtere tempora an multum differunt cōſiderandū,quoniā cum melius habuerint,ſtatim deterius habebunt nō errantes.Monet igitur conſiderandum,an dolores ſint continui,an intermittentes: quidam ſemper affliguīt,quidā per interualla,& rurſus redeunt, etiāſi non errauerit ager, ſiquidem talis eſt illorum natura non errantes etiam,propter medicos ne putent melius habere. Tempus quoq; anni conſiderandum; quia in hyeme frigidi dolores fiunt,in æſtate calidi: item an 2.adnotatio.

ſint Epidemÿ, & ex aere pendeant. Situs doloris reſpicit, an profundus ſit, uel ſuperficialis. Non ſolæ aũt differentiæ, uel ẽt multitudines in doloribus ſunt conſiderandæ, quæ ſæpe fallunt bonos medicos, ut ait Hypp. ſic ut in nephritico & colico, in pleuritico & Hepatico, in quibus præcipuè differentia notari debet.

3. adnotatio. *Quod inter cæteros dolores pectorales commemorat tanquam eos, qui inditia ſunt grauiß. affectuum: ex illis enim peripneumoniæ, pleuritides, ſuppurationes, tabes, venarum ruptiones indicari ſolent. Nota litteram dupliciter exponi: alÿ enim transferunt, Dolores, alÿ, Partes dolentes: ſecunda lectio videtur grauior; quia non ſolum docet dolores, quos affectę partis nomine ſignificari certum eſt, cõſiderandos, & an differant, ſed etiã corpora ægra, an differant temperie corporis, habitu, ætate, conſuetudine, uictus ratione, quæ ubiq; locorum conſideranda ſunt, & ad dignotionem, & ad prognoſticum, tum etiam maximè ad remedium, genere, quantitate, & modo rectè adhibendum.*

APHORISMVS VI.

Renum & Veſicæ uitia in ſenibus.

Cõnexio. *Cum in antecedenti ſententia dolorum mentionem feciſſet, docens illorũ differentias eſſe conſiderãdas; nunc ad dolores renum & veſicę peruenit, & morbos illarũ partiũ, quibus dolores vt plurimũ ſunt anexi.*

Intentio. *Vitia Renum, & veſicæ in ſenibus difficulter curantur.*

Rõ intentionis. *Vt demonſtret non modo harum partium morbos difficilè ſanari in ſenibus, ſed etiam horum exemplo omnes alios, & præſertim diuturnos.*

Demonſtratio. *Vitia renũ & ueſicæ ſunt difficilis curationis: ergo difficiliora in ſenib. Antecedens probatur: ſeu ſpectes peculiares illarum partium morbos, qui frigidi ſunt, ſeu partes illas quæ pauci caloris, & excrementis deſtinatę ſunt, ſeu ramediorum applicationem quæ difficillima eſt.*

Conſequẽtia facile ſequitur: cum ſenes viriũ imbecillitate laborent, & excrementa aceruent; unde obſtructiones augentur & dolores.

1. adnotatio. *Quòd morbi & uitia iſtarum partium ſunt abſceſſus, obſtructiones calculi, vlcera, ſanguinis mictus, urinę difficultates, qui omnes ſenectutis sũt proprÿ, ut tertio huius tractationis ſcriptum eſt.*

Aphoriſ. vlt. 6. epidẽ. ſectio. 7. *Senes autem intelligere oportet, & primos & vltimos. Vnde Hipp. renum morbos ſanatos non vidiſſe ſcribit poſt quinquageſimum annũ; Difficultas ergo ſanationis ita intelligenda eſt, ut vel prorſus non ſanentur, uel cũ magna difficultate, uel rarò admodũ. Sed dices, ſi iſti morbi sũt eius ætatis proprÿ: ergo deberent in illis facilius curari; cũ minor ſit morbus q eſt proportionatus. Dic repugnare imbecillitatem uiriũ, & caloris. Prætea*

rea nō ſequitur, ſunt difficiliores curatu, ergo periculoſiores, cū morbus ſit, qui eſt ſalutaris, & tamen difficillimæ curationis qualis quartana eſt.

Quòd euentus in ijs morbis talis eſt, ut quidam ex illis moriātur, alijs uerò per totam uitā durent, non tamen mortis cauſa fiant. Legit aūt Leonicenus, Dolores, Cęnomanus, uitia renum & veſicæ; & utroque modo intelligi poteſt; Sunt uero renū dolores graues, ſed veſicæ mordaces & urentes, qui dolores, ait Cardanus, proprij ſunt carnoſarum partium; ideo Vrigo nō ſentitur in ueſica ſed ad collum, & ad glandem; unde dixit Hippocr. calculoſos pueros pudenda ſcalpere. 2. adnot.

APHORISMVS VII.

Dolores uentris ſublimes leuiores &c.

CVm ſupra docuiſſet conſiderandas eſſe dolorum differentias, in hoc Aphoriſmo unam aſſumit differentiam eorum, quæ ad ſitum ipſius doloris pertinent. Cōnexio.

Dolores ventris ſublimes leuiores, non ſublimes grauiores. Intentio.

Vt ex doloris ſiti ad prognoſticum ſententiam proferat inſignem. Rō intentionis.

Dolores qui ad partes ſunt minus nobiles ſunt leuiores; ſed tales ſunt ad partes ſublimes: igitur ad illas partes dolores ſunt leuiores, & per cōſequens ad non ſublimes grauiores. Maior probatur: ſiquidē partiā inſigniū affectiones, & fortes ualdè ſunt, & maximè dolēt; è cōtra verò ignobiliū. Minor probatur: ſiquidem ſublimes partes intelligit, quæ magis ad ſuperficiē uergunt; ſicut non ſublimes, quæ ad interna magis; Et nobiles partes ad intra ſunt corporis magis, ſicuti ignobiles exterius potius uergunt. Demonſtratio.

Quòd illud ſublime intelligitur uel ſecundum corporis longitudinem, ut ſenſus ſit. Dolores uentris ſublimes eſſe leuiores, quàm non ſublimes, ideſt partium inferiorum: uel ſublime & non ſublime accipi poſſunt penes centrum, & circumferentiam, ut ſit ſenſus dolores quo magis ad circūferentiam uergunt eſſe leuiores. Cardanus primo modo intelligit, primò, quia ſecundus ſenſus (ut ipſe ait) ſatis notus eſt, & indignus Hipp. ſecundò, quia dolores ueſicæ & renū ac inteſtinorū uehementiores apparent, q̄ in hypochondrijs, additq; ut ſæpius dolent ſuperiores partes uentris, ita minus dolent; contra inferiores. Sed ſecundus ſenſus, ut intelligat de partibus ſecundū centrū & circūferentiā, eſt probabilior et uerior. Nā Hipp. non loquitur ſolū de magnitudine doloris, ſed & de grauitate affectionū à qua prodit, fortè cū periculoſū & graue ſignificat: unde ſcripſit in prognoſtico; Dolores uentris inferni, ſi ad ſeptum tranſuerſum tendant, & ſupra ventrē, cū aliquo ex malis ſignis, eſſe lethale, ſed & ſecundo Epidem. rupturas circa pubem innocuas dixit; at quæ ſupra umbilicum ad partem dexteram dolorificas & faſtidioſas, & uomitū ſtercoris inducentes. Ad- 1. adnotatio.

de etiã ſuperiores partes ſenſiliores eſſe; nã & doloribus tenuiũ inteſtinorũ acerbiores ſunt quã craſſorũ. Qđ ſi uteri et veſicæ dolores grauiſſimi ſunt & maximi, non ob id abſolutè in primũ ſenſum trahenda eſt ſentẽtia.

Loquitur autem Hipp. de dolore vnam corporis partem occupante, ut coxendicus dolor, quo profundior fuerit, & ad os ipſum, eò grauior eſt: qui uerò extra magis uergit cò leuior, tum quia natura in ſublimè ad cutim vergit, & foras pellit; tùm quia melius auxilia adhibentur, ut ſi ſecandum ſit, uel incidendum, aut ſuppurandum, aut reſoluendum.

Exemplum habes ex quinto Epidem. Polemum coxæ dolore profundo laborantem, mortuum eſſe: Licon autem non ita profundè dolens euaſit.

APHORISMVS VIII.

Aqua intercuten laborantibus &c.

Cõnexio. CVm Aphoriſmo quarto ex glabritie collegiſſet ulceris malignitatẽ, in hoc Aphoriſmo ex alio ſigno oſtendit tanquam ex cauſa ulcera difficilis curationis.

Intentio. Hydropicis non facilè ſanantur vlcera.

Rõ intentionis. Vt hoc uno exemplo oſtendat vlcera in corporibus prauo ſucco abundantibus & cachochymis difficilè ſanari.

Demonſtratio. In Hydropicis vlcerum cauſa difficilè tollitur; ergo & ulcera. Conſequens clarè ſequitur. Antecedens probatur: quia Hydrops difficilè tollitur cum ſit difficillimè ſanationis; & ideo prauus humor continuè fluens, & ſua qualitate mordax & quantitate humidus ſanationem impedit ulcerum, quæ per exſiccationem fit.

1. adnotatio. Quòd Aphoriſmi ſententia de quacunq; Hydropis ſpecie uerificatur, ſeu ſit aquoſa, ſeu flatuoſa, ſeu leucophlegmatica: humor enim acris, & ſeroſus ac putrefactus ad cutim emiſſus, vlcerare ſolet, & cum à Iecore ſemper generetur fit ut vlcera ſiccari nequeant, & ſi ſiccantur, ſtatim redeũt. Et quemadmodũ ab effectu in quarto Aphoriſmo vlceris malignitatem collegit, ita ex cauſa id nunc colligit, neque enim ſanari poſſunt ulcera dum influit noua materia.

2. adnotatio. Quod vlcera ſuperuenire hydropicis malũ eſt, et ut ſignũ, & vt cauſa. Vt ſignũ, quia ex eo dignoſcitur magnitudo morbi, quæ nõ ſolũ internis, ſed externis membris cõmunicatur. Vt cauſa, quia affligunt & debilitãt ægros. Cæterum ex hoc Aphor. facilè colligitur omne vlcus difficilis curationis eſſe in corporibus mali habitus, & periculoſa eſſe in illis vlcera ẽt parua, cum in bene conſtitutis corporibus contrarium accidat, ut facile in illis, & ſine periculo vlcera etiam magna ſanentur.

3. adnot. Quòd Cardanus hic contendit, aſcitem plerumque à cauſa calida prouenire putrefaciente iecore humorem ſeroſum, ideo per frigida

curand u

curandum eſſe hunc morbum, qualia ſunt ſuccus cichorij, & plantaginis, quod quamuis à ratione non ſit alienum, dicendum tamen, hydropis cauſam ſemper eſſe frigidam, ſaltem ſecundum diſpoſitionem: cum enim ex acuto morbo & calidis oritur, calida dicitur ſecundum habitum, frigida uero ſecundum diſpoſitionem. Sed cum à frigiditate prouenit extinguente calorem, & in habitu et in diſpoſitione frigidus morbus hydrops eſt. Rectè itaq; facient medici ſi in cura hydropis non ſtatim calida exhibeant medicamenta, cum frigida & roborantia magnum adiumentum afferre poſſint, ubi ex calida cauſa morbus ortum habuiſſe compertum habuerint. Cæterũ aquæ abſtinentia & potus per menſes vel annos, hydropes aliquando ſanauit: non tamen ideo cauſa illius cẽſenda frigida, quia non ratione frigiditatis nocet aqua, ſed propter humiditatem, & quia difficilis tranſitus eſt, & hepar, & lienem tumefacit.

APHORISMVS IX.

Latæ puſtulę non admodum pruriginoſæ &c.

CVm de dolore ventris ſublimi, aut non ſublimi ſupra determinaſſet, nunc ad puſtulas animũ dirigere videtur: occaſionẽ quoq; huius ſententiæ ex ulceribus antea enarratis aſſumit. Puſtulæ autem aut vlcus ſunt, aut in vlcus deſinere ſolent. Cõnexio.

Latæ puſtulæ non admodum pruriunt. Intentio.

Vt ex figura puſtulæ demonſtret doloris ſpeciem, & etiam ex dolore puſtulorum & cauſarum illas efficientium naturam. Rõ Intentionis.

Latæ puſtulæ, ſi à frigidiore homore fiunt, minus ſecant cutim, & magis extenduntur quam ſublimes; ergo non admodũ pruriginoſæ ſunt. Demonſtratio.

Antecedens facile patet: nam quo frigidior eſt humor eò minus penetrat: quare cum non in acutum eat, in latum diffunditur. Contra, quo calidior, eò magis dolentes, & pruriginoſæ ſunt puſtulæ acutæ quam latæ. Exemplum habes in Simone qui latas habens puſtulas non admodũ pruriginoſus erat. 6. Epid. ſect. 2.

Quod puſtulas uocat hic, omne genus vlcerum, macularum, & tuberculorum, quæ in cute apparent, dummodo magnitudinem habeant exiguã, inter quæ maxime licet numerare variolas, & morbillos: illæ enim à craſſiori, hi vero à tenuiori ſanguine fiunt. Ad has puſtulas maculæ illæ ſunt referendæ quas petechias vocant Itali. Hiſpani autem Tabardiglio, quæ febribus malignis aduenire ſolent. Nec uero exiſtimandũ morbum illum eſſe modernum aut nouum, ſiquidem Hipp. earum macularũ mentionem in pluribus ægris fecit, aſſimilans illas pulicarum morſibus, Primus locus eſt nuper citatus Simonis, ſecũdus quinto Epid. in filio Eu- 1. adnotatio.

ſtranoris: Rurſus ſeptimo eiuſdem in Temonactis filio: Iterum ſecundo Epidem. ſectio. tertia, & alibi. Vnde colligere licet ſymptoma hoc antiquum eſſe, ſequens ſanguinis ebullitionem malignam.

2. adnotatio. *Quod Hipp. Simonis exemplo oſtendit curam morborum & febrium, in quibus iſta apparent aut apparitura ſunt ſymptomata, non in aliqua conſiſtere euacuatione, quæ per ſanguinem, uomitum, aut aluum fiat, ſed in extractione humoris ad partes externas, fomentis, frictionibus, cucurbitulis, quæ humorum impulſum ad partes externas trahunt. Ideo quocunq; tẽpore appareant exanthemata et eiuſmodi ſymptomata, attrahere licet, quia melius eſt materiã uenenoſam extra trahere, quã intus conſiſtere. Si verò aliquando ſanguinem mittimus vel purgamus id multitudinis ſoluendæ gratia & propter abundantiam fieri putandum eſt.*

3. adnotatio. *Quod, ut ſcribit Galenus, ſicuti magni tumores calidi in acutum vergunt, frigidi verò in latum, ità in puſtulis, & paruis tumoribus contingit. At dices, herpes exedens in latum extenditur, & cum prurigine eſt: non igitur latæ puſtulæ ſunt minus pruriginoſæ. Dic Aphoriſ. ſententiã eſſe comparatiuã, ita ut inter exedentes herpetes, quæ minus lata eſt, minus ſit pruriginoſa. At dices, cum pruritus maximè fiant ab atrabile & ſalſa pituita, ex iſtis humoribus latiores fient tumores, & puſtulæ? Dic facta comparatione inter puſtulas eiuſdem generis ſemper latiores eſſe minus pruriginoſas ſublimioribus.*

APHORISMVS X.

Capite Dolenti &c.

Cõnexio. *Conſiderandos eſſe doloris differentias monuit quinto Aphoriſ. ſed & ideo dolores renum in ſexto conſiderauit: modo accedit ad dolores capitis & ſententiam profert valde utilem.*

Intentio. *Dolor & magnus capitis labor ſoluitur, ſi pus, vel aqua, uel ſanguis, per nares, os, aut aures effluat.*

Rõ intentionis. *Vt medicus habeat ſignum ad prædictionem in ſalutem in magnis capitis doloribus, ſed & uiam doceat illos curandi, & materiam è capite educendi.*

Demonſtratio. *Capite vehementer dolente, ſi per nare, os, aut aures, effluat pus, ſanguis, ſeu aqua, talia vacuantur qualia oportet: ergo confert iſta euacuatio. Conſequens manifeſtè ſequitur. Anteeedens probatur: quia, nares, os, & aures, emunctoria ſunt ipſius cerebri: ſanguis autem, vel pus, aut aqua euidens ſignum ſunt ex illis morbum habuiſſe originem.*

1. adnotatio. *Quod capitis dolor, licet ab intẽperie & flatu prouenire poſſit, tamen uehemens cum eſt, rarò ex illis, frequenter autem ex materia prouenit.*

Materia itaq; uel ſanguis eſt abundans, vel puita, quæ facile in capite aceruatur, cum ſit illius fons. Sanguine peccante in uenis, & per illa loca educto ſanatur morbus: at ſi facta fuerit inflammatio ſanat pus eductum; Verum peccante pituita, aqua educta morbum leuat. Non eſt autem neceſſariũ vt iſta eueniant capite dolente, ſed ſi veniant, bonum prætendere docet. Bonum autem eſt in affectibus omnibus capitis nares & emunctoria humida eſſe, malum autem ſicca; unde ſcripſit Hipp. in capitis doloribus grauibus cum calore, ſi per nares quiddam exit tenue, aut coctum, aut in aures, aut fauces ſecurius habere. Alijs autem ſicca hæc ſphacæli periculum inferre. Neq; tamen ſolum dolores vehementes, ſed ægritudines graues capitis omnes intelligere oportet; ideo addit, capiti circa dolenti, aut ut Cenomano placet, vehementer laboranti. 7. epid.

Quod cum duplex ſit morbi cauſa, vel antecedens, materia ſilicet, quę in toto corpore eſt, vel coniuncta, materia quæ in parte affecta in capite: ad materiam antecedentem utimur euacuationibus & reuulſionibus, corpore exiſtente pleno; ſed ad eam quæ in capite eſt medicamentis que per nares aures, & os atrahant. Sanguis itaque magis per nares exire ſolet, inde uero aliquando & ſcreatu; pituita & per nares, & os: pus ad aures magis uergit propter adenes, & emunctoria. 2. adnot.

APHORISMVS XI.

Melancholicis, & Nephriticis &c.

CVm in antecedenti dixiſſet de materia quæ in capitis doloribus per nares, os, vel aures effluit; nunc de illa ſermonem habet, quæ ex partibus infernis per hæmorrhoidas effluit. Cõnexio

Melancholicis, & Nephriticis hęmorrohides ſuperuenientes, bonum. Intentio.

Vt demonſtret quantum utilitatis his morbis afferant hęmorrohides, & perinde in talibus morbis naturam imitando licere illas prouocare. Rõ intentionis.

Hęmorrohides in melancholicis, & Nephriticis humorem peccantem aducunt: ergo ſi in his morbis appareant, bonum. Demonſtratio.

Antecedens probatur: nam in melancholicis tum reuellendo, tum in euacuando humorem atrum, conferunt: in Nephriticis deriuando, & uacuando. Solent autem iſti duo morbi ex craſſis fieri humoribus.

Quòd hęmorrhoides uenæ ſunt quæ ad anum tendunt, & ſunt in duplici differentia, internæ, & externæ. Internæ inconſpicuæ ſunt quibuſdã, & ortum habent ex vena porte ramis ad ex purgandum hępar. Externę rami ſunt cauæ uenæ ad emulgentes, quę diſtribuuntur ad renes, veſicã ſedem, & pudendum: ideo recta ratione ex uenibus attrahunt, non tamẽ ſoluunt omnes renum morbos, ſed eos magis, qui ex copia ſanguinis fiunt, 1. adnotatio.

quia renum lapides, & vlcera non ſanant, quamuis uacuando prohibeāt & dolores leuent, ad omnem lumborum regionem. Recitat Olerius hominem, qui cum intolerabili renum dolore excruciaretur, nec ullis remedijs malum cederet adaperta hęmorrhoide ceſſauit.

2. adnotatio. *Quod omnes melancholicos iuuant hęmorrohides, ſeu illos qui uerè tales ſunt, ſeu hypochondriaci, ſeu maniaci, aut phrenitici: nā non ſolū craſſus, ſed etiam bilioſus humor per eas educi cōſueuit: unde Hipp. ſcripſit,* li. de Hęmorrhoi. *effluere ſanguinem ex hęmorrhoidibus, cum bilis & pituita ad venas recti inteſtini tendunt, & calefaciunt eas ac implent. Poterunt autem arte procurari, fomentis, & acribus, ut felle taurino, lanceſiculneo, hirudine applicita. Sed animaduertit Cardanus, ut appareat uena, & tumeat, alioquin ulceratur locus ſine iuuamento, unde hęmorrhoides fiunt, ut de Eu-* 5. epid. *demo dixit Hipp.*

APHORISMVS XII.

Diuturnas curanti hęmorrhoidas:

Cōnexio. *CVm in præcedenti Aphoriſmo dixiſſet hemorrhoidas eſſe iuuamentum in magnis morbis, quales ſunt melancholici, & Nephritici: nunc illarum curationem proponit.*

Intentio. *Diuturnæ hęmorrhoides non debent omnes curari.*

Rō intentionis. *Vt oſtendat hęmorrhoidas non eſſe bonas abſoluitè, ſed reſpectiuè; in ſe autem malas eſſe, ac perinde curationem expoſcere, ita ut ſi quando illas curare medicus aggrediatur fiat id cum cautione, ſi fuerint diuturnæ: ac perinde omnem abſceſſum diuturnum curationis etiam periculoſæ, cum ſoleat natura per hæc ſe exonerare.*

Diuiſio. *Duas partes habere poteſt præſens ſententia, ut prima doceat curādas eſſe diuturnas hęmorrhoidas: ſecunda uerò cauſam addat cur nō omnes.*

Demōſtratio. *Curatis omnibus hęmorrhoidibus periculum aquæ intercutis aut tabis impendet: ergo non omnes ſunt curandæ, ſed aliquæ reſeruandæ.*

Antecedens probatur: nam ſanguine ad ſuperiora retrocedente ad hepar, hydropem facit, vel obruens (ut ait Galenus) uel potius atræ bilis malitia, & acredine iecoris calorem corrumpens: Ad pulmones autem morbi fiunt, ut ſuppurationes, & tabes. Conſequens manifeſtum eſt, ſiquidem hęmorrhois leuis morbus eſt, ſi ad tabem & hydropem comparetur; non ergo curari debent, ut illa eueniant.

1. adnotatio. *Quod hęmorrhoides aut ſunt antiquæ, aut recentes; aut una, aut plures, aut cęcæ uel fluentes. Si itaq; recentes fuerint in corpore mali habitus, non ſunt in totum ſanandæ, ſed reſeruandæ; in corpore boni habitus omnes ſanari facile poſſunt. Rurſus antiquæ non debent omnes ſanari ullo*

ullo modo, ſed una quapiam ſeruanda, & ſi una fuerit antiqua non eſt curanda, quia parum affligere poterit. Cum itaq; corpus quod antiquis hemorrhoidibus laborat, vel ex natura melancholici, aut ex uictu ſit factu, mali habitus per eas expurgari ſoleat, tunc ſequitur, ut ſi omnes ſanentur, humor ſolitus euacuari ad ſuperna vergens grauiſſimos pariat morbos. Numerauit hic Hipp. duos, tabem, & Hydropem, ob breuitatem aphoriſticam, non quod multi alij morbi fieri non poſſint. Sicut enim hæmorrhoides habẽtes nec pulmonia, nec pleuritide, neque phagedena, neq; tuberculis, aut lepra capiuntur, ita ſi intempeſtiuè ſupprimantur, omnes iſti morbi fieri poterunt; quia eadem Hipp. auctore abſceſſus qui aliquos morbos tollunt, ſi non fiant & recurrant illos adducunt. 6 epidẽ. ſect. 4. in epidẽ.

Quod non ſolum curandæ ſunt antiquæ hemorrhoides, & fluentes, ſed neque alij abſceſſus, ut fiſtulæ, aut uarices, vel quiſpiam alius antiquus effluxus; proinde ſcripſit Hipp. multos intempeſtiue, curatos pernicioſis morbis correptos eſſe; ſiquidem iſti abſceſſus, & fiſtulæ aliorum ſunt medela. 2. adnot. 6. epidẽ. ſect. 4.

Curantur autem hemorrhoides ſectione, vel uſtione, eo ingenio quo huic affectioni dicato libro ſcripſit Hipp. Sed antequam manus his admoueas totum corpus curari debet, & recta victus ratione inſtituta, ad illorum extirpationem veniendum; nec ſimul omnes, ſed paulatim, & per interuella, ut mox una curetur, poſt aliquot dies altera, una quapiã relicta. Aetius non dubitat omnes hemorrhoidas atiquas poſſe extirpari, facta præcautione, & præſeruatione poſt curam, tum frequenti uacuatione, tũ optima victus ratione: at tutius eſt conſilium Hipp. vt una reſeruetur, interim tamen uomitu purgetur, & exercitijs ſe det. 4. Auct.

APHORISMVS XIII.

Singultu fatigante ſternutatio &c.

CVm de ventriculi ſymptomate, quod ructu fit, ſupra mentionem feciſſet; nunc de ſingultu tractat, & ſternutamento; quorum alterum ad uentriculum, alterum ad cerebrum pertinere uidetur. Cõnexio.

Sternutatio ſingultienti ſuperueniens eum ſoluit. Intentio.

Vt demonſtret rationem ſoluendi ſingultum, nec non etiam per ſuperueniens ſignum in morbis, ſententiam ad prædictionem non inutilem proferat. Rõ intentionis.

Sternutatio cauſam ſingultus tollit: ergo ſingultienti ſuperueniens effectum tollet. Conſequens certum eſt. Antecedens probatur: quia ſeu flatus ſit, ſeu humor qui ſingultum efficit per ſternutationem deorſum pellitur, vel ſurſum, unde liberatio contingit. Demonſtratio.

1. adnotatio. 3. problē. 1. *Quod Ariſtoteles ſingultum refert ad pulmonem, ſicut eructationem ad ventriculum. Illud probat, quia ſternutamentum non perinde ſoluit ructum, ſicuti ſingultum. At medici ad uentriculum transferunt iſtam paſſionem, & talem fieri motum in eo per ſingultum aiunt qualem in pulmone per tuſſim. Dicendum itaque eſt ſingultum ventriculi propriam eſſe paſſionem, quia motus ille eſt alterius membri; at nihil prohibet etiam à pulmone, & alio membro per conſenſum exordiri. Oritur autem cum in uentriculo mali cauſa eſt, vt à repletione, aut etiam euacuatione, ſicut & conuulſio. Attamē Hipp. indicauit intelligendum eſſe hunc ſingultum ex repletione, cum dixit, ſuperueniēs ſpontaneum & à natura factum, motum ſignificans, qualis non ſolet ſuccedere in his qui ex inanitione ſingultiunt.*

6. aphoriſ. 39.

2. adnot. *Quòd ſingultus tollitur per ſternutamentum, non ſolum (ut putat Cardanus) vt ſignum, ſignificans vapores diſſolutos iam eſſe, & petere cerebrum, unde ſternutamentum inducitur, ſed ut cauſa pellens, uel flatum ſupra uagantem, vel deorſum humorem grauantem per illam concuſſionē: qua ratione aduenienſ ſingultus Hyſtericæ, vel difficulter parienti, bonū ſcripſit Hipp. Eſt aut ſternutatio propria affectio cerebri, & uentriculorum eius, qui cum noxam ſentiunt per nares & palatum, magna ui acrem atrahunt, qui poſtea impetu ad nares pellitur. Soluitur ſingultus ſpiritus retētione, calefacto aceto, aut frigidæ collutione & potu, & quod acetum diſſoluat, & quod aqua ſua frigiditate calorē augeat, deorſumq; pellat; mentem etiam alio auocando ſingultus tollitur. Intelligo autem ſemper ſingultum ex repletione factum, non qui ex inanitione, aut inflāmatione iecoris, aliarumue partium procedit. Vt uero bonum eſt ſternutationem apparere ſingultientibus, ita in omnibus morbis (dummodo nō ſint pulmonis, & capitis) ſternutationes proſunt.*

5. aphor. 35.

Hipp. in Prognoſt.

APHORISMVS XIIII.

Hydrope detento, ſi aqua &c.

Cōnexio. *Sicut ſternutationē ſuperuenientem ſingultum ſoluere, dixit in antecedenti, ita nunc ſignum ſuperueniens in hydrope in eandem intentionem adducit.*

Intentio. *Hydropico, ſi aqua e uenis in ventrem defluxerit, ſoluitur morbus.*

Rō intentionis. *Quo doceat prædicere ſalutem in hydrope, & perinde etiam imitandam eſſe naturam à medico, & euacuandum eſſe aquam per uentrem.*

Demonſtratio. *Quando fluit aqua in uentrem hydropico, cauſa morbi tollitur: ergo & ipſe morbus. Conſequens clarum eſt. Antecedens declaratur: quia hydropis cauſa humor eſt aquoſus multus in uenis collectus.*

Quòd cum tres ſint ſpecies hydropis, aquoſa, flatuoſa, & pituitoſa, de omnibus intelligi debet præfata ſententia, præcipuè tamen de aquoſa, & leucophlegmatia, quæ totum corpus tumet, in qua facilius eſt aquam per venas in uentrem confluere. Per uentrem autem non intelligere oportet uentrem inferiorem, ita ut leucophlegmatia ſoluatur in hydropem, quia iſta non eſt ſolutio, ſed uentrem intelligere oportet inteſtina: atq; ita dictio & modus peculiares loquendi Hipp. obſeruanda ſunt. 1. adnotatio.

Quòd medicus imitando naturam ea exhibere debet, quæ aquas educunt in hydrope, tum extra, tum intus. Notandum tamen an hydrops ſit antiqua, et uiſcere corrupte: quia ſi hoc fuerit, non poterit ſolui morbus, quod denuo noua aqua generetur: at cum à principio morbus corripit, nec membra robur ſuum amiſerunt, tunc maximè uera eſt ſententia. Non ſolum autem ſi in aluum confluat aqua, ſed etiam ſi ad urinas uergat, ſolui poterit morbus; ideo etiam iuuat quàm maximè prouocare urinas, at non calidioribus & acribus, ſed potius attemperatis: nam hydropis omnis origo ferè ex colliquatione eſt, maximè ſi ad febres acutas ſequatur colliquatis carnibus, & in aquam conuerſis, quemadmodum ſcripſit Hipp. 3. adnotatio. De Internis Affectionib.

APHORISMVS XV.

Longo alui profluuio laboranti &c.

CVm de acido ructu in primo Aphoriſmo verba feciſſet longo alui profluio ſuperuenienti, nunc de uomitu eidem ſuperuenienti verba facit. Cõnexio

Longum alui profluuium, uomitus ſuperueniens ſoluit. Intentio.

Vt non ſolum ad prædictionem utilem proferat ſententiam, ſed ẽt imitandã eſſe naturam & uomitum ciendum in tali affectione demonſtret. Rõ intentionis.

Vomitus ſuperueniens longæ diarrheæ, naturam morbum ſuperantẽ indicat: ergo ſoluetur illa. Antecedens probatur: quia ex reuulſione illa cum non ex irritatione fiat, ut in cholera fieri ſolet, ſignum eſt iam ſuperari morbum. Conſequens facile ſequitur: nam cum ſuperet natura cauſam morbificam, morbus ſoluetur. Demonſtratio.

Quod uomitus motus eſt ventriculi, quo ſe comprimit ad expellendum noxia. Hic licet ſemper malus ſit ut ſignum; vt cauſa tamen bonus eſſe poterit: Tudpl autem aduenire alui profluuio, vel à principio, vt in cholerico morbo, vel iã diuturno exiſtente morbo. Vomitus in principio adueniens non ſemper ſoluit morbum, cum per irritationem fiat, uerum iam inueterato ſoluit; tunc ex roborata facultate potius euenire ſolet, quæ humorem quempiam in uentriculo collectum, fluxus cauſam, pellit,

pellit, vel nixu retinendi fluxionis, materiam per vomitum eÿcit, illam eandẽ quæ cauſa fluxus erat. Nec ſolum in diarhea, ſed & dyſenteria vomitus ſuperueniens non eſt damnandus, ſi tamen cętera mitius habeant, alioquin reprehendendus.

2. adnotatio. ſecũdo de diætate. *Quod Medicus naturam imitando vomitum inducere debet in aluũ fluxu diuturno, vt reuellendo attrahat materiã. Verum quid dices Hipp. affirmanti, vomitum habere vim non ſolum ſiſtendi, ſed etiam mouendi aluum? Dic vomitum poſſe aluum mouere cum aluus ſicca eſt, non tamen cum fluit, vt hic intelligit: nec enim abſurdum eſt contrariÿ effectus vnam eſſe cauſam diuerſomodo diſpoſitam. Vomitus aluum ſiſtit ſiccando, inquit Hipp. & præcipuè ſtatim à cibo, quia euacuatus ventriculus, non facile dimittet quidquid habet, ideo ſiccantur inteſtina; at ſi poſt cibum per aliquod tempus permittatur alimentum, & acribus, ac ſalſis, & dulcibus utatur, vomitus aluum mouebit, idq; propterea, quia fit commotio, & iam exſatiatus uentriculus demittit in inteſtina: adde ciborum qualitatem adiuuare diſpoſitionem.*

APHORISMVS XVI.

Pleuritide aut Peripneumonia &c.

Cõnexio. *CVm de alui fluxu in antecedenti ſit locutus, tanquam de principali morbo; nunc de eodem, ut ſymptomaticè ſuperueniente, agit, duos magnos, & acutos morbos proponens.*

Intentio. *Detento pulmonia, aut pleuritide diarrhea ſuperueniens, malum.*

Rõ intentionis. *Vt demonſtret ad prædictionem malum ſignum in prædictis morbis, & preterea oſtendat in ÿs purgationẽ non eſſe admodum utilem, cum iſta euacuatio illis non ſit legitima quæ per aluum fit: ac perinde etiam doceat in ÿs qui iam aliquo morbo diutius ſunt affecti improbandum eſſe alui fluxum.*

Demonſtratio. *Diarrhea ſuperueniens detento pleuritide, aut peripueumonia, ſignificat morbi magnitudinem, & debilitatem ægri: ergo malum. Conſequens clarum eſt. Antecedens probatur: nã cum iã Iecur, & uentriculus conſenſu laborant, fit alui fluxio; at iſte conſenſus magnitudinem morbi ſignificat: adde debilitare ægrum, ſiquidem uoxa illa, detento, ſeu habito iam longo interuallo affectum hominem ſignificat,*

1. adnotatio. *Quod pleuritis, & pulmonia ſolent expurgari per ſputum: atque talis eſt in his morbis legitima euacuatio, quia fit peccantis materię, & per loca conferentia: at per aluum tales morbi non ſolent finiri, cum difficile ſit inuenire qua uia ex pectore materia ad aluum fluat, ideo fit ut raro admodum tales morbi per aluum iudicentur; quod cum contingit, id non*

iam inueterato malo & debilitato ægro, ſed potius robuſto exiſtente, & poſt concoctionem accidere ſolet, tranſmiſſa ſcilicet materia, vel per cor ad hepar, vel alia quapiam occulta uia, per communem conſenſum & trã ſpirationem: hinc fit vt medicamentum purgans in pulmonia, vel pleuride ſit parui admodum momenti, præterquam cum dolor vergit ad hypochondrium in falſa pleuritide in qua etiam Galenus ſanguinis miſſionem prafert. A principio igitur ſi purgandi ſunt pleuritici, id prius miſſo ſanguine fieri debet, & non valido medicamento. Recitat Hipp. hiſtoriam Scophi pleuritici, qui ſecunda die mortuus eſt, & cum purgatus eſſet a pharmaco delirauit, cum prius eſſet mentis compos. 2. autor. 5. epid.

APHORISMVS XII.

Ophtalmia laborantem alui, &c.

A*Lui fluxum in pulmonia & pleuritide cum uituperaſſet in antecedenti Aphoriſmo, modò illum extollit in lippitudine.* Cõnexio.

Ophthalmia laborantem alui profluuio corripi, bonum. Intentio.

Vt oſtendat, quod mirabile cuipiam uidebitur, fluxum alui adiumento eſſe lippitudini, & oculis malis, cum pleuriticis & pulmonicis ſit impedimento, & tamen oculi diſtantiores partes ſint ab aluo, quam uenter; atque ita euacuationem non penes diſtantiam, ſed conſenſum metiendam magis: & præterea etiam, ut medicus non ſolum ad prognoſticũ in morbis oculorum bonum ex diarrhea ſignum habeat, ſed etiam ad curationem illorum eum adhortetur. Rõ intentionis.

Alui fluxus ſuperueniẽs lippitudini et reuellit, et euacuat: ergo bonũ. Demõſtratio.

Antecedens probatur: quoniam materia, quæ ſurſum ad caput trahebatur, deorſum pellitur & euacuatur. Conſequens facile patet: quia ex tali euacuatione neceſſe eſt ceſſare morbum.

1. *Quòd licet oculi ſint diſtantes ab aluo magis quam pectus, tamen utilior eſt deiectio in morbis oculorum, quàm pectoris: primum ob rectitudinẽ, & viarum manifeſtũ progreſſum; ſecundò, quia tales morbi non ſunt acuti, ut pectoris, ideo non ſequuntur imbecillitatem, ut in illis, neq; perinde ſtomachus illis conſentire poteſt: adde materiam, quæ ad caput attollitur & oculos, ut plurimum ex hepate aſcendere, quæ facili negotio ad inteſtina per alui fluxum retrahitur.* 1. adnotatio.

2. *Quòd per lippitudinem ſeu ophthalmiam intelligit omnes oculorum læſiones, et præcipuè illas, quę cũ dolore ſunt, & calidæ, ſeu tumorẽ habeãt euidentẽ, ſeu ruborẽ & pruritũ: eſt. n. lippitudo duplex, altera humida, altera ſicca, de quarũ utraq; uera eſt ſententia. Sed oculis inflammatis præſentaneũ remediũ uidetur eſſe uenę ſectio, qa ſanguis peccans euacuatur.* 2. adnotatio.

Dic

Dic utrūq; auxilium præſtans eſſe: At Hipp. hic non iubet potius purgādum in lippitudine, quàm ſecandam uenam, ſed ſcribit, ſi ſuperueniat alui fluxus ſolui lippitudinem; Infra autem docebit ſolui oculorū dolores, aut pharmaco, aut ſectione uenæ, aut fomento, aut potione uini. Eſt verò ophthalmia oculis, qualis febris toto corpori, ideo illam indicant, ut ſcripſit Ariſtot.

APHORISMVS XVIII.

Pertuſa perſectaue Veſica, &c.

Cõnexio Q*Vam connexionem habeat hic Aphoriſmus cum ſuperioribus, non eſt facile uidere, niſi uelis eius occaſionem eſſe deſumptam ex præcedenti libro, in quo de magnis vulneribus ſermonem habuit.*

Intentio. *Vulnera, veſicæ, cerebri, cordis, ſepti tranſuerſi, tenui inteſtini, uentriculi, iecoris lethalia ſunt.*

Rõ intentionis. *Vt ex partium præſtantia magnitudinem vulneris oſtēdat, & ſententiam ad prognoſticum afferat inſignem per vulnera prædictarum partiū.*

Demonſtratio. *Vulnera quæ difficilem conſolidationem habent maxima ſymptomata afferunt, & operationes uitæ neceſſarias impediunt, ſunt lethalia: ſed talia ſunt prædicta vulnera; ergo ſunt lethalia.*

Maior de ſe nota eſt; Minor probatur: nam omnes iſte partes, aut principes ſunt, aut muneri uitæ neceſſario deſtinatæ, veſica, inteſtina, ſeptum, ventriculus, præterea difficilis ſunt ſanationis & conſolidationis, cor ob præſtantiam nullum vulnus ferre poteſt: Iecur præter prēſtantiam ob magnas ſanguinis effuſiones interficere ſolet: ſepti vulnera ad inflammationem aptiſſima ſunt, & difficilis conſolidationis, ob motum & neruoſam ſubſtantiam.

1. adnotatio. *Quòd vlcera prædictarum partium, uel ſunt magna & penetrantia, uel parua, & ſuperficialia: ſi magna fuerint, mortalia iudicat Hipp. non tamen ſi parua: quamuis etiam parua ſint grauiſſima. Rurſus lethalt hic non neceſſariam mortem ſignificat, ſiquidem aliquando quaſi ad miraculum ſanata ſunt magna prædictarum partium vulnera, vt cerebri Iecoris, quamuis cordis vulnerum ſit impoſſibilis curatio. Recitat tamen Beneuenius ſanatum iuuenem ex vulnere tunicæ ipſius cordis. Cæterùm licet etiam ex his partibus vulneratis ad alias tranſcondere: vulnera enim thoracis, pulmonis, ſpinæ, renum, etiam lethalia ſunt ſicut et quę circa magnas venas, & arterias inflicta ſunt.*

2. adnotatio. *Quod omnia magna vulnera periculoſa ſunt, ſeu magna ſint propria eſſentia, ſeu ob partis præſtantiam, ſeu quia parua ſunt & mali moris: Itē in quibus non apparet tumor. Vulnera quoq; parua in quibuſdam partibus*

bus deteriora ſunt magnis, ut in neruoſis, in quibus tranſpirare non poſſunt, & expurgari facilè partes læſæ.

APHORISMVS XIX.

Perfectum os, aut cartilago, &c.

CVm in antecedentibus de partibus egiſſet, quæ vulneratæ mortem afferunt; nunc de illis agit quæ diſſectæ coaleſcere nequeunt. Cõnexio.

Os, cartilago, neruus, genæ, pars tenuior, præputium nec augetur, nec coaleſcit. Intentio.

Vt oſtendat quæ partes corporis noſtri ad coalitum ſint difficiles, & proinde cum perdantur, non recuperentur, nec cum ſecantur coaleſcant; quæ una erat ex cauſis periculi in vulneribus prædictis. Rõ intentionis.

Partes prædictæ duræ ſunt, & difficilis elaborationis: ergo, neq; augentur, neq; coaleſcunt. Demonſtratio.

Antecedens per ſe patet. Conſequens probatur: quia durities impedimento eſt ad unionem, cum unio per miſtionem fiat; & miſtio non ſit niſi molliorum corporum, & proinde longum tempus requirant ad ſuam elaborationem: unde ſequitur, ut prius quam ex ſanguine os generari poſſit, generetur caro, aut callus.

Quòd partes præciſæ dupliciter recuperantur: aut per coalitum, aut regenerationem partis amiſſæ. Rurſus coalitus, uel eſt iuxta prima intentionem, cum partes vniuntur nullo interpoſito medio, ſicut plumbum liquefactum, & cera iterum in ſuam ſubſtantiam tranſeunt. Aut fit iuxta ſecundam intentionem, cum interpoſito quodam corpore fit glutinatio Hipp. negat prædictas partes poſſe regigni iuxta prima intentionem, non tamen iuxta ſecundam; quia os mediante callo unitur, & cutis cicatrice. 1. adnotatio.

Quòd Hipp. has nominans, voluit intelligere omnes partes ſolidas nõ aglutinari primo modo, ut ſunt os, ligamenta, cartilagines, membranæ, quas neruorum nomine comprehendit: item inteſtina & cutis, quas ſub preputio & buccis complectitur; ita etiã & venas, & arterias intelligere oportet: Attamen non in omni corpore, & ætate æqualis coaleſcendi ratio eſt: quia in pueris ob mollitiem etiam oſſa coaleſcunt iuxta primam intentionẽ. Recitat Hipp. inteſtinum in puerulo Deni. per umbilicũ pendentem, & corroſum agglutinatum fuiſſe. Cęterum cauſę cur difficilis ſit coalitus, eſt durities partis, nobilitas, motus, tenuitas, & ætas adulta. 2. adnotatio.

APHO-

APHORISMVS XX.

Si in ventrem ſanguis præter naturam &c.

Cõnexio. *CVm de vulneribus partium ptincipalium, & ſolidarum, ex quibus ſanguis effundi ſolet in præcedẽtibus tractaſſet, modò ſentẽtiam affert ualde vtilem ad effuſionem ipſius ſanguinis pertinentem.*

Intentio. *Si ſanguis præter naturam in uentrem effuſus fuerit ſuppuratur.*

Rõ Intentionis. *Vt oſtendat in vulneribus, & venarum rupturis, ac reſerationibus magnopere debere medicum eſſe ſollicitum de ſanguine educendo, cum in uentre aliquo colligitur: & proinde ſanguinem extrauenatum in partibus externis reſoluendum, aut in ſuppurationem trahendum.*

Demonſtratio. *Sanguis in cauitatem non naturalem effuſus, motu deſtituitur, & grumeſcit: ergo ſuppuratur. Antecedens probatur: quia ſanguis extra ſua loca, quieſcit & non uentilatur, & amittens ſuum naturalem calorem grumeſcit.*

Conſequens deducitur: quia ſanguis non uentilatus, & ſine calore pro prio facile putredinem aquirit, quod eſt ſuppurari.

1. adnotatio. *Quòd venter hic ſignificat omnem corporis cauitatem, ſeu magna ſit, ſeu mediocris ſeu minima. Suppurari autẽ idem eſt quod putreſcere. Præter naturam verò ſanguis effunditur, quoties extra ſua loca vadit; Sed ſanguinis loca ſunt hepar, cor, uenæ, arteriæ, & quædam partes in cerebro: in utero etiam cum mulier fetum gerit. Vbi igitur ſanguis his locis excidit, ſeu ruptura, ſeu eroſione, ſeu per apertionẽ, ſeu reſudationem, putrefieri ſolet, maximè autem cum in thoracem, vel abdomen diffunditur.*

2. adnot. *Quod ſuppurari hic intelligere oportet, non ſolum mutationem in pus, ſed quamcunq; aliam malam qualitatem, ut cum grumeſcit, ucl nigreſcit, aut alio quouis modo afficitur. Solet enim ſanguis grumeſcere in vtero, in uentriculo aliiſq; cauitatibus, & ueneni naturã acquirens ſæuiſſ. ſymptomata inducere. Cæterùm ſanguis extra venas effuſus, vel in aliqua cauitatem magnam effluit, uel in paruam, ut in ſuggillatis & contuſionibus, vel in ſpacia parua muſculorum, quo modo in inflammatione contingit: nam ſanguis cum in venis conſiſtere nequit, minoribus, ad ſpacia tranſit vacua, & inflammatio exoritur. At dices, ſanguis non fit pus ſemper in inflamatione, cum tamen ſit extrauenatus. Dic illud (corrumpere) non ſignificare puris ſolum generationem, ſed quamuis malam qualitatẽ quam acquirit ſanguis in inflammationẽ. Vnde Hipp. ſcripſit, corrumpi ſanguinem in fluxionibus non potentibus permeare ſpiritibus, & ex ſtationẽ, ac obſtructione. Cum itaq; ſanguis eſt extrauenatus corrumpi ſolet, curamq, medicus habere debet, ne in vulneribus colligatur in aliquo ventre, &*

inde

inde fiat pus, aut grumus, & ſi iam effuſus fuerit extrahatur, & grumi diſſoluantur.

APHORISMVS XXI.

Inſanis ſi uarices, vel hæmorrhoides, &c.

CVm de ſanguinis effuſione, in antecedenti determinaſſet, in hoc Aphoriſmo de ipſo ſanguine cum ad partes inferiores abſcedit, verba facit. Cõnexio.

Inſanis ſi varices, vel hæmorrhoides ſuperuiant inſaniæ fit ſolutio. Intentio.

Vt in inſanientibus ſententiam ad prædictionem in bonum ſcribat, & perinde varices, & hęmorrhoides magnam pariter uim habere ad diutur nos morbos ſoluendos, & maximè inſaniam; propterea per hunc morbum debere medicum ad inferna loca ſanguinem trahere, & hirudines ano applicare, venas cruris ſecando. Kõintentionis.

Varices aut hęmorrhoides inſaniæ ſuperuenientes, cauſam morbi aut euacuant, aut reuellunt: ergo illum ſoluent. Conſequens clarum eſt. Antecedens probatur: nam hæmorrhoides per effluxionem, uarices per decubitum abſceſſum facientes iudicant morbũ. Cauſam autem morbi educit: quia melancholicus ſanguis per hęc expurgari ſolet, qui inſaniæ cauſa eſt. Demonſtratio.

Quòd uarices uenæ ſunt tumentes, ex craſſiori nigriori ſanguine. 1. adnotatio.

Fiunt autem, vel in partibus internis corporis, & præcipuè in pulmone, vnde talem fieri ſcripſit Hipp. vel in partibus externis, & maximè in matris, ventre, inguine, tum verò frequenter in cruribus: de quibus potiſſimũ intelligit Hipp. quia abſceſſus, quo magis ad partes infernas uergũt, eò meliores ſunt iudicatu. Cęterum uenæ ſanguine tumentes, quæ uarices faciunt in cruribus, & poplitibus, quædam ſunt, quæ manifeſtè ſeſe oſtendunt & ad externa magis uergunt; aliæ intus magis conditæ ſunt. Soluũt itaq; tales venæ apparentes inſaniam, ſeu per inſaniam phrenitin intelligas, ſeu maniam, quæ ex aſſato ſanguine fit ſine febre, morbum ferè incurabilem. Sedet melancholiam omnis generis ſupra decimoſeptimo Aphoriſmo, ſicut ex hęmorrhoidibus ſolui dixit, ita & à uaricibus; & omnis denique morbus qui ex melancholico, & craſſo ſucco originem habet. 1. de morbis.

Quòd, ſicuti antiquas hęmorrhoides non oportet ſiccare, quin una ſeruetur, ob periculum aquæ intercutis, uel tabis, (ut ſupradictum eſt) ſic neque diuturnas varices curare oportet, neq; ulcera diuturna, quibus uarix ſubminiſtrat alimẽta. Erat ruſtic⁹ quadraginta annorũ ſatis robuſtus, hic ulc⁹ habebat antiquũ, & eryſipellaccũ ſupra qđ, ad coxã erat ingẽs uarix tumẽs: quãdo aũt ulcus ſanari nõ poterat niſi ſanaretur uarix man⁹ admota eſt uarici, & factũ cauteriũ ad genu alterũ, ut eò materia uerteretur. 2. adnotatio.

Sed audi quid ſequutum. Poſt tres dies in famam caninam incidit, (melancholia, ut reor quæ ad uaricem vertebatur ſurſum delata,) inde in febrem acutam, poſt quam inſania correptus mortuus eſt quatuordecim dierum ſpacio. Atq; ita ſatis palam eſt, materiam varicis ad ſuperna conuerſam, inſaniam procreare: vnde mirum non eſt, ſi inſaniæ uarices, vel hæmorrhoides, ſuperueniant, ipſa ſoluatur.

APHORISMVS XXII.

Ruptiones quæ ex dorſo, &c.

Cõnexio. *CVm de ſanguine extrauenato dixiſſet putrefactionem antea expectandam eſſe, & illa effuſio potiſſimum ex ruptione fiat; occaſionem arripiens de ruptione, ſermonem inſtituit, & ſententiam profert ad medendum valde utilem.*

Intentio. *Ruptiones quæ ex dorſo ad cubitum deſcendunt uenę ſectio ſoluit.*

Rõ intentionis. *Vt demonſtret magnum remedium in rupturis eſſe ueuæ ſectionem, & perinde locum doceat, quo maximè rupturæ fieri conſueuerunt, dorſum ſcilicet & pectus, atq; eò ducendum ſanguinem quò maximè vergit.*

Demonſtratio. *Venæ ſectio ruptionibus dorſi ad cubitum vergentibus inflammationes prohibet, & dolorem ſedat: ergo ſoluet illas. Antecedens probatur: ſiquidem ſanguis eductus plenitudinem remouet ex qua & dolor, & inflãmatio fieri ſolet. Conſequens deducitur: quoniam prohibita inflammatione, & dolore facilè ruptura ſoluitur.*

1. adnotatio. *Quòd ruptio omnis dummodo magna ſit, uenæ ſectionem ex poſtulat, maximè vero quæ ad dorſum, & pectus ſit; Itaq; in dorſo cum fit ruptura & dolor, diſtenditur ad cubitum, brachium, & mammam, ſanè mittere oportet ſanguinem ex eodem brachio; nec ſolum in ruptura dorſi, ſed in omni dolore, qui ex eo diſtẽditur ad cubitum & brachium ſanguis mittendus eſt ex eodem brachio, quia quo natura uergit coducere conuenit.*

1. aphori. 21. *Non tamen vult Hipp. quòd ſi ruptura aut inflammatio ſit in cubito, ex eo ſanguinem mittamus, quia traheremus ad locum inflammatum, ſed dicit ex cubito mittendum, cum dolor ex dorſo ad cubitũ ſe extendit, ſignificans plenitudinem cò tendere: nam brachium dextrum licèt mathematicè opponatur ſiniſtro, nõ tamen medicè opponitur, ideo eodem latere ſemper in plenitudine mittendum eſſe ſanguinem ſcripſit Hipp. cum & reuulſio, & uacuatio per eum locum, & citiſſima ſit, & facilè fiat.*

2. adnotatio. *Quòd p dorſi ruptiones intelligit non ſolũ percuſſiones, rupturas, & cõtuſiones quæ ſunt ad dorſum, ſed ad ſcapulas, pectus, ſpinã: idẽ eſt iudiciũ de doloribus, qui dũ diſtenduntur ad cubitũ, magnitudo affectus indicatur, & conſequentur uenæ ſectio. Verũ quemadmodũ in ruptionibus, doloribus inflamma-*

inflammationibus,quæ ad cubitum deſcendunt,ſectio uenæ cubiti facienda,ita in rupturis inferni uentris, quæ ad crus deſcendit uena ſecanda eſt ex eodẽ crure,& ſoluetur affectus:nam ſicuti affectus ſupra ſeptum tranſuerſum ſectionẽ venæ indicant ex brachijs,ita quę infra ſunt,ex cruribus.

APHORISMVS .XXIII.

Si metus atque mœſtitia,&c.

CVm ſupra dixiſset hęmorrhoides curare melancholiã, & inſaniam; nũc de melancholicis uerba facit, & ad dignotionem morbi ſententiam ſcribit valde utilem. Cõnexio.

Si metus,atq; męſtitia longo tẽpore perſeuerẽt,melancholicũ eſt ſignũ. Intentio.

Vt demonſtret per ſignum pathognomicum,qua ratione cognoſcantur melancholici,unde non cunctandum eſſe medico, ſed curationem faciendam,ante quam malum inueteraſcat, & rebelle fiat. Rõ intentionis.

Metus,& mæſtitia longò tempore perſeuerantes, intemperiem cerebri ſignificant ex nigro humore : ergo affectus ſunt melancholici. Antecedẽs probatur : quia cum diu durant timor, & mœror:iam non ex aliqua manifeſta cauſa, ſed ex interna ortum habere certum eſt. Conſequens facilè deducitur:quia humor niger melancholia eſt,& intemperies ab ea impreſſa in cerebro melancholia dicitur. Demõſtratio.

Quòd melancholia duplex eſt:quędã in qua cũ inertia delirant homines:alia,quæ cum ferocitate eſt,& dicitur inſania:Hipp. de prima loquitur,non de ſecunda:quia prima ſemper habet annexam męſtitiam atq; timorem,non tamen ſecunda,licet à principio etiam illa incipiat cũ timore:verum prima fit ex melancholia naturali plus ſatis abundante, ſecunda ex aſsata flaua bile,uel ſanguine. Sed dices,aliquis timens inimicũ per longum tẽpus habebit metũ, & meſtitiã,& tamen non erit melancholius. Propter hoc addunt nõnulli ſubintelligendũ eſſe ſine cã manifeſta,vel ſic intelligendã ſententiam,ut quocunq; modo metus & mæſtitia durent eſſe melancholica. Si enim cauſa manifeſta fiant, erit tunc cauſa faciens melancholiam:ſi uerò ſinè illa,ut ſignum oſtendens melancholiam. 1. adnotatio.

Quòd Galenus putat mæſtitiam, & terrorem proficiſci à melancholico humore,ob illius nigredinem,ita ut ſicuti in tenebris horremus, ſic humor ille quaſi mentẽ obtenebret,& horrorem atq; mæſtitiam inducat;unde ſicuti in externo,ita in interno ſenſu accidere vult. Contra tamẽ Auerroes ſcribit,fieri non poſſe,ut ſenſus internus percipiat ea ratione quæ externus:nam ſicuti cęcus non magis afficitur luce, quàm tenebris, ita neq; interior ſenſus,quare potius ad temperiem humoris refert. Verum utroq; modo dici poteſt; nam licet internus non uideat, tamen ad ſimilitudinem externi afficitur,quia anima non operatur niſi mediante ſpiritu, qui cum 2. adnotatio.

clarus eſt lętatur, cùm uero obſcurus triſtatur, & timet.

3. adnot. 5. epid. *Quòd metus, & triſtitia non ita perpetuò comitatur melancholicos, quin aliquando non prorumpant in effuſum gaudium. Exemplum habes in Parmeniſco qui, cum prius triſtis eſſet, & emori cuperet, aliquãdo rurſus lętabatur: cauſa eſt, quia cum non ſemper humor ille teter, neq; ęqualiter effumet, & agat, ubicunque intermittat tanta homini exoritur lętitia ex amiſſa męſtitia & terrore, ut in profundum gaudium erumpat; Adde aliquando ſanguinis uapores qui riſus & lętitiæ cauſa ſunt, mitigare melancholicos, & inducere riſum, & lętitiam. Plurimo tamen tempore & metu, & mœſtitia efficiuntur, & ſilent ac uigilant melancholici: adde obſtructionibus, & flatibus, ac ructibus laborare.*

APHORISMVS XXIIII.

Si quod gracile inteſtinum perſectum ſit, &c.

CVm hic Aphoriſmus decimo octauo, & decimo nono ſatis ſit explicatus, non eſt cur nunc tempu. perdamus in eo rurſus explicando. Sunt autem tenuia inteſtina duodenum Ieiunum, & Ileon, quæ & neruoſa valde & magnis venis plena & bilis receptacula ſunt. ideo omnes eorum affectiones grauiores ſunt, quam craſſorum & citiſſimè inflamantur; ac perinde difficilis ſunt conſolidationis ubi diſſecta fuerint, & impoſſibilis ſi per tranſuerſum ſecta fuerint. Nihil tamen prohibet ſi vlcerentur rurſus coaleſcere, et maximè in pueris, ſicuti cõtigit puerulo Pini ſept. Epid. Hipp. authore; Cęterum inteſtina craſſa ſunt, cęcũ, colon, & rectũ, quæ coaleſcere nõ eſt impoſſibile, et quorũ affectiones ſunt min⁹ periculoſę.

APHORISMVS XXV.

Eryſipelas foris intro conuerti, &c.

Conexio. *QVa ratione hic Aphoriſmus cũ ſuperioribus annecti poſſit, nõ facile eſt uidere, niſi dicas eryſipelatẽ gen⁹ eſſe abſceſ⁹, ſicuti hęmorrhois, & uarix, qua affinitate factũ eſt ut de eryſipelate nunc ſermonẽ inſtituat.*

Intentio. *Duæ proponuntur concluſiones contrariæ, quarum altera malum, dicit, conuerti eryſipelatem intus; altera verò bonum, ſi extra uertatur. Ideo in duas partes ſecari poteſt ſententia.*

Rõ intentionis. *Vt demonſtret uno eryſipelatis exemplo, omnem morbum, intus ſi uergat, malum, extra uerò bonum; & præterea cautum faciat medicum ne motum naturæ, impediat, ſeu reprimendo, ſeu ẽt intus trahendo, uel purgatione, vel ſectione uenæ, & præcipue cum malum propè uiſcera cõſiſtit.*

Demonſtratio. 1. *Vergens abſceſſus ad internas parte nobiliores petit; ergo malũ. Antecedens patet. ſiquidẽ internæ partes externis ſunt nobiliores. Conſequens mani-*

manifeſtè ſequitur. At oppoſita concluſio intus foras uergere eryſipelatē bonum eſſe, ex prima tanquam à contrario deducitur.

Quòd uno eryſipelatis exemplo voluit intelligere omnem abſceſſum melius eſſe ſi vergat ad externa quam è contra: cutis enim deſtinata eſt à natura ad omne genus excrementi ſuſcipiendum; quare non rarò tranſmittit ad illam materiam, ſeu tumores, ſeu puſtulas, ſeu vlcera, ſeu quid piam aliud morbos iudicari efficiens. Videmus è contra ubi diſparuerint hæc maxima conſequi mala, & tetanos, & cõnulſiones, pleuritides, & pulmonias & ſuffocationes, diſparentibus ſcilicet tumoribus in vulneribus, aut poſt aures, vel ad pectus rubores, in anginis. At dices, ſi materia intus uergat ad aluum, nonne melius eſt, quam ſi ad cutim uergat? Dic rarò id fieri ſolere, quinimo & quando ſit, licet melior ſit euacuatio, quæ fit per fluxum, quàm per abſceſſum, tutior tamen eſt cum natura ſemel ad cutim tranſmittit in eo, permanere motu, quàm ad interna vergere, cum id per magnas fiat anguſtias. 1. adnotatio. Aphoriſ. 5.

Quòd ea quæ extra ſunt dupliciter poſſunt intus vergere: vel ſacta cõcoctione & in die critico: aut per cruditates, & extra criticum diem. Si primo modò eryſipelas euaneſcat, aut quicunq; externus abſceſſus, tũc non eſt abſurdum, ſed bonum intus uerti materiam. At ſecundo modo ſemper malum. Cæterum docet Hipp. ne in motu naturæ remedijs utamur, quibus intus uergat; imo neceſſe eſt tunc attrahere ne diſpareat, quod maximè in parotidibus faciendum eſt, & in exanthematibus attrahendo, & cucurbitis, & fomentis. Peculiariter autem parotides igne ſecare oportet & procurare hac ratione, ne diſpareant, intus reuocata materia. Vbi tamen cum abſceſſu cutaneo per malignos morbos materia abundat, non prohibet ſanguinem mittere, uel purgare, quia minorata materia non ſolum non recurret abſceſſus, ſed roborata natura ſecurius, & melius tranſmittet ad cutim. 2. adnotatio.

Quòd hic Aphoriſmus differt ab eo, in quo ſcripſit, dolores ventris ſublimes leuiores, quia ibi comparationē fecit ad duos morbos: hic uerò de uno, & eodem loquitur, intus, uel extra uergente. Adde, ibi non ſolum corporis profundum intelligere, vt hic, ſed & longitudinem. Cæterùm aliquãdo natura mouet eodem tempore ad diuerſas partes contrarias, vrinas, deiectiones, nec tamen unus motus alterum impedit, vt ſcripſit in Epid. aliquando iudicari morbum per iſta omnia, licet rarò cõtingat, & in morbis difficilis iudicij: maximè autem uera eſt iſta ſententia de eryſipelate, & tumoribus, qui ſunt propè uiſcera, vnde etiam medicus cauere magnopere debet, ne ad eas partes trahat. Cum uò in alijs omnibus affectionibus malum ſit, intus uergere abſceſſum, peſſimum id cenſendum eſt in malignis & uenenoſis febribus. 3. adnot.

APHORISMVS XXVI.

Quibus in febribus ardentibus &c.

Cõnexio *CVm de motu vel naturali ad extra, vel morboſo ad intra eryſipelatis exemplo ſit locutus in antecedenti Aphoriſmo; modo de tremore uerba facit, qui motus quidem eſt non naturalis.*

Intentio. *Tremores in febribus ardentibus ſoluuntur delirio.*

Rõ intentionis. *Vt demonſtret duo iſta ſymptomata magnam affinitatem habere inter ſe, quamobrem ex uno alterum ipſorum medicus prædicere poſſit; ac*

5. aphor. *perinde ne decipiatur medicus per illum Aphoriſmum, quo rigorem febrem ardentem ſoluere ſcripſit: nec enim tremor rigor eſt, neq; ſoluit febrem, imò maioris mali, delirij inquam, nuntius eſt.*

Demonſtratio. *Delirium ſuccedens tremori in ardenti febre, alio ex neruis materiam deducit; ergo tremorem ſoluit.*

Antecedens probatur: quia delirium poſt tremorem concitatum, materiam ex neruis ad uenas, & arterias, nec non ad cerebri ventriculos deducit. Conſequens facilè ſequitur: ſiquidem tremor ex vaporibus radicem neruorum purgantibus fit, ex quo loco tranſlati ad ventriculos ſoluunt tremorem.

1. adnotatio. *Quòd tremor fit in ſenibus, & in his, qui magna pondera ſuſtinent, & in morituris ex debilitate facultatis: in rigore etiam fit, ſed cum valida uirtute. Aliquando tamen ex materia fit acri, ſeu vapore neruos pungenti; qui cum fit, adhuc robuſta uirtute, malignitas morbi ſignificatur, & motus materiæ ad caput: vnde etiam delirium expectare licet, à neruis ad cerebrum intus uerſa materia, vel ardentiore facta inflammante: vnde facultas, ob delirium, etiam cauſa præſente, non tremit amplius.*

2. adnotatio. *Quòd Galenus expugnat hanc ſententiam, ſiquidem non ſolet Hipp. dicere maiorem morbum, qualis eſt delirium, ſoluere morbum minorem, ſcilicet tremorem. Quamobrem aliqui legunt; Poſt tremorem in ardenti febre incidere delirium. Alij legunt: Non tremores ſolui delirio, ſed timores, quia audax fit homo in delirio. At uerò licet tremor in ſe minus malum ſit, quàm delirium, tamen horrendus eſt, & propterea maior apparet; eam ob rationem etiam dicere poteſt Hipp. delirium ſoluere tremorem.*

3. adnot. *Quòd delirium conuulſio, & tremor maximè ſunt affines: ideoque phrenitin antecedere, & ſubſequi ſolet tremor; Et tremor ſequens phrenitim valde malus eſt; vnde Hipp. ſcribit, phreniticas vehementes affectiones tremulas detinere. Cæterum conuulſio quoq; cum delirio & tremore adeo affinis eſt, vt rarò ſine his accidat, vel præſens, vel ſubſequẽs.*

Sunt

Sunt enim omnia iſta ſua ſymptomata ad cerebrũ pertinentia, & neruos. Nam tremor fit, cum malus vapor pungit radicem neruorum: at ſi ibi firmetur, facit conuulſionem; delirium autem cum ad uentriculos cerebri uergit. At dices, ſi phrenitici tremuli ſunt, ex Hipp. aut in tremorem deſinunt, ergo delirium non ſoluit tremorem. Dic non prohibere eſſe delirium cum tremore debili, cum forti non item &c.

APHORISMVS XXVII.

Quicunque Empyj, aut hydropici, &c.

CVm ſupra Hipp. de euacuationibus, quæ à natura fiunt, dixiſſet; nũc de illis quas ars molitur, ſermonem facit, & in exemplum adducit duos grauiſſimos morbos, & ualde difficilis ſanationis, ſuppurationem, & hydropem. Cõnexio.

Vſtis aut ſectis, ſuppuratis aut hydropicis, ſi materia tota educatur, mors ſequi ſolet. Intentio.

Vt non ſolum utile præceptum in educendo pus & aquam, ſed etiam in omni alia abſceſſus magni ſectione ſcribat, & præcipiat nõ eſſe ſaniem et totam materiam educendã, ſed paulatim & ex interuallis. Rõ intentionis.

Si Hydropico, aut ſuppurato tota materia educatur, magna fit ſpiritus diſſolutio: ergo mors ſequetur. Demonſtratio.

Antecedens probatur: quia per illam apertionem, ſeu ſectionem, cũ pure & aqua, adapertis uenarum oribus, effunditur ſpiritus copia, quæ in debili corpore, quale eſt ſuppurati & hydropici, facilè mortem afferre poteſt; Adde, aeris frigiditatem repentè in calidum locum penetrantem, adiuuare malum, unde repentina mors ſequitur.

Quòd cũ ſectio, & uſtio ſint remedia extrema in medicina, medicus debet prius experiri alia medicamẽta, & ſi morbus nõ cedat, tunc ad illa venire. Cæterum apud antiquiſſimos illos medicos ſectionis, & vſtionis in ſuppuratis, & hydropicis magni & frequentiſſimi vſus erant. At nunc ſeu ignorantia medicorum, ſeu ægrorum timiditate, cum iſta non fiant, non mirum ſi tot moriantur. Eſt autem ignis utilior, præcipuè ubi magna ſunt uaſa, & timor eſt effuſionis ſanguinis. Præcepit tamen magis urendos eſſe ſuppuratos, ſecandos uerò tabidos. Cum uerò inuſtio duplex ſit, & quæ perfectionem fit ferro ignito penetrante, & quæ nõ penetrat cruſtas ſolum inducendo; Hipp. de prima loquitur; quia per ſecundam uſtionem unica uice pus totum effluere non poteſt. 1. adnotatio. 6 epidẽ. ſect. 7.

Quòd Empyicos intelligit illos, qui pus habent in thorace, quod dupliciter contingit: primo, cum eſt in uomica: ſecundò cum rumpitur. Cru- 2. adnotatio.

ſtificæ uſtiones non penetrantes fieri debent etiam cum pus ſit in uomica: & penetrans vſtio vel ſectio, non niſi cum eruptio facta eſt, & cum plenum eſt pectus pure, neque ſpes eſt ut per ſupiora expurgari poſſit: neque hoc faciendum cum iam debilis eſt æger, ſed cũ adhuc validus eſt, et viribus conſtãs, alioquin in caſsum laboraret. Hipp non vltra decimum quintum à ruptione diem ſecat. Cæterum ob timiditatem ægrorum, ſtudioſius hęc peragenda ſunt, & in emplaſtris, quæ ad leuandum dolorem, & ad ſuppurandum aut exſiccandum adhibemus, cauſticum admiſcendum eſt, ſeu ad cruſtas inducendas, vt inde pus emanet, ſeu ad penetrantem uſtionem & ſic facere cum ægri utilitate. Hipp. duos ſuppuratos adducitt Cyrenum, & Hecatonem in omilo inuſti ſunt, ſed tardius quam cõueniebat, & ſanati ſunt; licet ambo paulo poſt ex recidiua ſint mortui, tum quia non in tempore uſti ſunt, tum ob malam uictus rationem. Pus autem paulatim educi debet, ne mors ex magna euacuatione ſequatur.

3. adnot. *Quod in hydropicis adhibere oportet ea quæ purgant aquam, & ſiccãt, tum labores, tum uictus exſiccantem, & potus abſtinentiam. Quòd ſi malum non cedat, inurere oportet uentrem inferiorem circa umbilicum, ut per ipſum aqua deſluat. Quòd ſi adhuc non cedat malũ, tunc ſecare oportet aut iuxta umbilicum, aut iuxta lumbos, & aquam non ſemel educere, ſed paulatim & frequenter, maximè uerò pueri ſectionẽ iſtam admittũt. Cæterum exemplo puris & aquæ hydropicorũ, docuit in reliquis magnis abſceſſibus & tumoribus, non eſſe totam materiam una educendam uice; quia periculum repentinæ mortis impendet; quod etiam in reliquis naturalibus deiectionibus ſeu alui, ſeu urinę, & multò magis ſanguinis, experientia comprobatur.*

APHORISMVS XXVIII.

Eunuchi prodagra non laborant neque &c.

Cõnexio. *CVm ſupra de hemorrhoidibus loquens multa mala tollere dixiſſet, melancholiam, inſaniam, Nephritin; nunc de ſexu oſtendit, quantum faciat ad podagram, & caluitiem.*

Intentio. *Eunuchi podagra non laborant, neq; calui fiunt.*

Rõ intentionis. *Vt oſtendat potiſſimam cauſam podagræ eſſe venerem; ac perinde quam maximè fugiendam iis, qui huic malo ſunt obnoxij: & pretereà quantum conſentiant partes genitales cum capite, & coitum potiſſimam cauſam eſſe caluitiei.*

Demonſtratio. *Coitus, tum podagræ, tum caluitiei præcipua cauſa eſt: ergo eunuchi neque podagra laborant, neq; calui fiunt. Antecedens probatur: ſiquidem cum podagræ cauſa ſint cruditas, & articulorum, imbecillitas, uia-*

rum latitudo, & flatus impellens, omnia iſta per uenerem maximè fieri ſolent: At caluitiei cauſa, ſeu ſiccitas ſit ſuperflua, ſeu calidi innati inopia, & frigiditas, ſeu ſalſa pituita adurens, manifeſtum eſt, coitum iſter efficiendi magnam habere facultatem. Conſequens facilè ſequitur: eunuchi enim dicuntur qui non coeunt.

Quòd coitus omnium ferè morborũ eſt origo. Nam cruditates excitat, quia calidum innatum debilitat, & uino dedita valde eſt Venus, ob debilitatem, quod tamen cõcoquere nequit; debilitat, etiam præcipuas partes omnes, & maximè articulos, atq; fluxiones mouet. Cũ uerò eunuchi uel à natura eſſe poſſint, vel ex arte, & morbo; Hipp. de illis intelligit, qui à natura tales ſunt, & impotentiam coeundi habent, ſeu quia careant pudendis, ſeu quia ob viarum anguſtiam nullomodo ad coitum cõcitari poſſunt. Nam eunuchos, qui prius uenere uſi fuere, nihil prohibet laborare podagra, ſicut illos, quibus erigitur penis, etiamſi ſemen nõ emittant, quia concitatio fit & commotio, unde ẽt podagra laborare poſſunt. Intelligit quoq; podagram, non illam quæ hæreditaria eſt, ſed quæ accidit ex morbo., quia nil prohibet eunuchum podagra laborare ſi à parentibus morbum illum contraxerit. In ſumma Eunuchi, aut non laborant podagra, aut raro admodum, ob inordinatam uiuendi rationem, & intemperantiam. 1. adnotatio.

Quòd podagra peſſimus eſt morbus qui ad pedum articulos pertinet, maximè uerò ad digitos pedum magnos: cuius origo, ſicuti & omnis articularis morbi ab Hipp. in hunc modũ explicatur: mucus omnibus à natura eſt & cũ hic fuerit purus, articuli ſani ſunt, & benè moueri poſſunt: labor autem & dolor fit, vbi à carnibus humiditas fluxerit morboſa, quę, quia lubrica non eſt, articulum ſtabilem facit, & non capiente ipſum articulo, eleuat neruos, quibus articulus coniugatur. 1. adnotatio. de locis i homine.

Quòd caluities magnam habet cum genitalibus colligantiam, adeo ut coeuntibus fiat, non coeuntibus aũt, ut Eunuchis, neq̃uaquam. Eius uerò cauſam ex mordaci humore pendere & ſicco, oſtendunt varices, ſiquidem quibus illæ fiunt, caluities non aduenit, ut paulò infra ſcribet, unde atra bilem ad caluitium facere, magnum eſt ſignum. Sed dices, cur refert ad ſalſum humorem alibi, cum hic ad atram referat? Dic, atram bilem & ſalſam pituitam ob acredinem, & caloris abundantiam fieri: ideo ad utramque poſſe referri eundem affectum. 3. adnotatio.

APHORISMVS XXVIII.

Mulier Podagra non laborat &c.

CVm in antecedenti docuiſſet, Eunuchos non laborare podagra, nunc in eandem ſententiam adducit mulieres. Cõnexio.

Mulier

Intentio. Rō intentionis. *Mulier non laborat podagra, niſi menſtrua defecerint.*

Vt demonſtret hoc uno exemplo menſium purgationem mulieres in ſanitate ſeruare, ac perinde morborum ferè omnium mulierum cauſam ad menſes deducendam. Quare, cùm podagra laborat mulier, ſtatim & prædicere menſium defectionem nobis liceat, & ad curationem illorum ueniendam eſſe oportere.

Demonſtratio. *Materia podagram inducens mulieri rectè habenti ſecundum menſes uacuatur: ergo non laborabit podagra niſi deficiant menſes.*

Antecedens eſt manifeſtum: ſiquidem ſanguis & humor, qui ad articulos fluit, ad vterum vertitur. Conſequens facilè ſequitur: quia ſi corripitur podagra, ſignum eſt menſes non rectè curſum ſuum tenere.

1. adnotatio. *Quòd Galenus notat mulierib. podagras, quibus tamen menſes non defecerunt, ob uictus intemperantiam euenire; Adde, potuiſſe tali morbo laborare hæreditario. Verum hęc non tollunt veritatem Aphoriſmi: nam ommiſſa Galeni excuſatione de intemperantia noſtri temporis, cum & apud antiquos intemperies uiguerit, dicendum, Deficere menſtrua, hic intelligere oporteret non ſolum cum abſolutè, & in totũ deficiunt, ſed cum non ſeruant omnes notas boni effluxus; nam impoſſibile videtur fieri (ſi mulier ſecundum naturam rectè purgatur,) quod podagra laboret. Si uerò hæreditarium habet morbum habebit etiam hæreditarium peccatum in menſibus.*

2. adnotatio. *Quòd podagræ nomine rectè etiam intelligere poſſumus omnes articulares morbos; & non ſolum hos, ſed etiam reliquos omnes, qui ferè fiant in mulieri rectè menſtruis non purgante. Cæterùm podagræ mentionem facit, ut notiſſimi ac difficillimi morbi; cuius cauſam licet antiqui putent poſſe eſſe omnes humores, Fernelius tamen arbitratur ſemper eſſe pituitam, quæ ex cerebro defluat, & extra caluariam per cutim deſcendat ad articulos; & inde ob dolorē efficiat inflammationem, unde rubedo ſuffundatur cuti, confluente ſanguine; uerum hæc alio ſunt examinanda loco.*

APHORISMVS XXX.

Puer Podagra non laborat &c.

Cōnexio. *Cvm in antecedētibus à ſexu deſumpſiſſet ſignum de podagra ſcribens, eum morbum, neq; hominibus eunuchis, neq; mulieribus, cum menſtrua rectè eunt, ſuperuenire; nunc rationem ſummit ab ætate in eandem intentionem.*

Intentio. *Puer Podagra non laborat ante Veneris vſum.*

Rō intentionis. *Vt non ſolum Eunuchorum exemplo, ſed et puerorum demonſtret potiſſimam podagræ cauſam Venerem eſſe; & præterea ætatem illam uſq;*

ad venerem eſſe ab hoc morbo immunem; ſicuti enim unaquæque ætas ſuos peculiares habet morbos, ita etiam fit ut quibuſdam non corripiatur.

Pueris ante Veneris vſum cauſæ podagræ non adſunt: ergo ante illud tempus non corripiuntur podagra. Conſequens manifeſtè ſequitur. Antecedens probatur: nam uenæ, illis ſunt anguſtæ per quas ad podagram fluit materia: deeſt etiam calor fundens, & fluxiones concitans, qui ex venere concitatur. Demõſtratio.

Quòd multæ ſunt cauſæ cur in pueris podagra non fiat: prima, quia venere non utuntur, unde magna illius morbi pendet cauſa: ſecunda, quia crapula, ſeu vinoſitas illis familiaris non eſt, ſicuti uenericis: tertia, quoniam corpus habent facillimæ tranſpirationis, & per cutim excrementa illis effluunt quam maximè. Sed dices Monachi aliqui, qui Venere uſi nõ ſunt, & caſti uiuere cõſueuerunt, podagra laborant: ergo ante ueneris vſum podagra ueniet. Dic nõ ſolum pendere ex veneris uſu podagrã, ſed ex ætate, adeo ut nõ ſit ſatis non uti uenere, ut immunis quiſpiam ſit à podagra, ſed ut ſit puer. At dices rurſus, à pituita multa aliquando laborare articulorum doloribus videntur pueri ante venerem. Reſpondet Cardanus Hipp. de Podagra intelligere quæ per circuitum corripit, non de articulari morbo omni, quamuis etiam talis rarò conſequatur in pueris. 1. adnotatio.

Quòd Hipp. ſecundo prædictionum, euentum in podagra, in hunc modum explicauit, ſanari non poſſe ſenes ex hoc morbo, nec eos qui grumnoſe viuunt, & ſiccam habent aluum, neq; illos qui in articulis iam callos tophaceos concretos habent, niſi natura, vel alui fluxu, aut per abſceſſum aliquam ad inferna morbum finiat. At ſi ſit iuuenis, nec induratos articulos iam habeat, & aluum humidam nactus, & obediens ſit, ac laboris amans, hic, ſi medicum doctũ inueniat ſanus fieri poterit: hæc illa per quæ morbi contumacia facilè explicatur, ſiquidem etiam ſanabilis cùm eſt, tot requirat conditiones. 2. adnotatio.

Quòd fundamentũ curationis podagræ eſt in uitanda cruditate, ebrietate, & fugiẽdo otio. Quidã podagram ſic curabat, leuiter cibatos, ne deficerent, in balneũ ducebat exerto capite, fomentoq; ex ſero lactis exactiſſimè expurgatæ quo abrotanũ, abſynthiũ, camomelon, pulegiũ, roſæ, roſmarinus, fœni: ſemen, ruta, ſampſucuus, fœnũ grecum in cocta erãt utebatur, ſudando eo ad lypothimiã uſq;, cucurbituliſq; in cubitis iuxta carpos & talos propè locum affectum affixis, ſanguinem quo ad uſque poterat educens, inde diachylon cum reſine modico: apponebat: articulos autem affectos oleo cum ſale per unxit alleo decocto, perpetuo ante cibum utebatur, ſed cura hæc non omnis ætatis, nec corporis habitus capax eſt, nec perinde tuta. 3. adnot.

APHO-

APHORISMVS XXXI.

Oculorum dolores meri potio,&c.

Cõnexio. CVm ſupra de manuali illa operatione,quæ in ſuppuratis aut hydropicis ſit,ſermonem habuiſſet,regreditur modo ad opera artis, docẽs quibus potiſſimum auxilijs medicus dolores oculorum extirpare poſſit.

Intentio. Dolores oculorum ſoluit meri potio,aut balneum, aut fomentum, aut phlebotomia,aut purgatio.

Rō Intentionis. Vt omne genus auxilij pro oculorum affectionibus ex ſumma colligat, ac perinde,ubi de cauſa anceps eſt medicus, nec ad unum auxilij genus cedit affectio,ad alterum tranſire poſſit: quod non animaduertens Galenus occaſionem capit reprehendendi Hipp.nec enim ignorauit Hipp.omnia iſta remedia,non conuenire indifferenter cuilibet oculorum dolori, ſed ut præcipiat,multa experientia aliquando fieri, rationi contraria: adde non potuiſſe aphoriſticè loquendo omnia diſtinguere.

Demonſtratio. Iſta remedia omnes dolores ſoluendi uim habent: ergo & in oculis. Conſequens manifeſtum eſt. Antecedens probatur; nam cauſa doloris, vel eſt intemperies calida,uel frigida, quia iſtæ potiſſimum dolorem efficiunt,aut perſe,aut cum materia.Rurſus,aut cum humorũ defluxu,aut ſine illo. Meri potio, & fomenta, nec non purgatio ad frigidos adhibentur ſiue cum materia,ſiue ſine illa. In calidis doloribus uenæ, ſectione, & purgatione utimur ſi cum materia,inde fomentum adhibemus. Eſt autem fomentum & balneum omnium dolorum remedium tum, maximè in oculis.

1. adnotatio. Quòd Hipp.proponens oculorum dolores remedia explicauit, quibus omnes dolores corporis ſolui poſſunt,non quod indifferenter, & caſu medicus illis utatur,uerũ adhibita cognitione cauſæ. Quòd ſi remedio dupliciratione facto non cedat dolor,ad aliud tranſeundum,vt ſi inflammatione laborent oculi,à ſanguinis miſſione auſpicandum: ſi non cedat affectio purgabimus,interim tamen & fomento,& balneo utemur. Vtimur autem fomẽtis ad calidos & frigidos dolores pariter; ſed ad calidos & acres attemperantibus ex decocto fœnugręci,meliloti; ad frigidos autem attenuantibus,& exſiccantibus,& ex uino.

2. adnotatio. Quòd potio uini in doloribus conuenit qui à ſanguine craſſiori fiunt & frigidis humoribus.Cum verò bibitur vinum,in latis poculis hauriri debet,& grande,ac uetus,ut oculi illi intenti collacryment:quod ſanè remedium uinoſis hominibus,ut reor ingratum non fuerit. Cũ uò maximi fuerint,& vehementiſſimi dolores oculorum, tum largiſſima uenæ ſectione, & ferè ad lypothimiam, tum etiam in balneo ac fomento remedium eſt ſitum.

ſitum. Ad ſtupefacientia autem venire in doloribus oculorum, res ſanè ualde periculoſa eſt uiſioni: aliquando tamen ad illam neceſſitate urgente deuenire ſi cogamur, caute id fieri debet. Cæterum oculorum fluxiones ad nares deriuare commodum eſſe ſcripſit Hippo. quare uniuerſis factis uacuationibus, ad ea medicamenta, quæ per nares attrahunt, veniendum.

APHORISMVS XXXII.

Balbi longo alui profluuio, &c.

CVm ſupra ex ſignis naturalibus adnotaſſet aliqua ſcitu digniſſima, vt illud, ex ſeminis & muci abundantia totius corporis ſanitatem, vel infirmitatem dependere; nunc eandem ſequitur materiam, & proponit balbutiem. Cõnexio.

Balbi longo alui profluuio maximè capiuntur. Intentio.

Vt ex uno ſigno demonſtret corporis temperamentum; & perinde iſtã naturam, cum valde ſit humida diuturno laborare ſolere alui fluxu, & huic morbo eſſe ualde obnoxiam. Rõ intentionis.

Balbi humidi ſunt aut biliosi, ergo longis fluxionibus alui maximè capientur. Demonſtratio.

Antecedens probatur: quia linguæ impotentia iſtas duas cauſas potiſſimũ habet, vel nimiam humiditatem, ut in pueris, vel linguæ ſiccitatem, & mentis celeritatem; unde Hipp. appellauit balbos iracundos. Iraſcentes enim balbutire uidemus. Conſequentia probatur: quia qui ex humido balbutiunt, habent retentricem uentriculi debilem ob ipſam humiditatem, & cerebrum humidum ad uentriculum & inteſtina tranſmittit pituitam. unde aluui fluxus fit. At bilioſi aluos habent humidas, ob bilem ad inteſtina cõfluentem, & incitantem eorum facultatem expulſiuã. 2. epidẽ.

Quòd balbutientes duorum modorum ſunt: Alij enim uitium linguæ contraxerunt, compoſitione: alij, ex intemperie. Hic nonnullis lingua breuior eſt, aut ligamentum non ſolutum: nonnulli humiditate multa ſcatẽt, aut ſicci & bilioſi ſunt, iracundi calidiq; cerebri; unde quidam litteram proferre nequeunt, ut R. & dicuntur bleſi: quidam litteram, aut etiam ſyllabam omittunt, & ſyllabam ſyllabæ annectere non poſſunt: dicuntur balbi: quidam. Maximè autem balbuties prouenit ex humiditate ipſius cerebri: ideo ex ea colligitur aliui fluxum familiarem balborum affectionem. 1. adnotatio.

Quod paſſiones quæ fiunt per morbos, ſimiles cauſas habent, ſi à natura fiant: vnde ſcripſit Hippo. graues uoces eandem cauſam habere, & cum fiunt à natusa, & cum ex alia cauſa. Eadem ratione balbuties à natiui- 2. adnotatio.

à natiuitate eaſdem habebit cauſas quas ex morbo; in morbo autē & ab humiditate naſcuntur, ut in paralyſi, & à calido & ſicco, ut in febri; ita etiam ex natura, uel humidum ſequitur, uel ſiccum. Cum verò ſcripſit in Epid. balbos eſſe bonos, intelligere oportet de illis, qui ex humido tales ſunt: nam qui ex ſiccitate & magno calore balbi ſunt, iracundi ſunt ferini, rapaces, & mali.

APHORISMVS XXXIII.

Qui accidum ructant, &c.

Cōnexio SIcuti ex naturali ſigno, balbutire ſcilicet, collegit in ſuperiori Aphoriſ. diſpoſitiones ad morbos; ita in hoc ex acido ructu, qui ex naturali proueniat conſtitutione diſpoſitionem colligit, ad morbum lateralem.

Intentio. Qui acidum eructant non admodum pleuritici fiunt.

Rō intentionis. Vt ex uno ſigno, ſicuti in ſuperiori, colligat temperaturam corporis, & perinde cognoſcat medicus naturas illas, quæ ad pleuritidem grauiſſimū morbum, malè, vel benè ſe habent.

Demonſtratio. Qui acidum ructant, frigidi ſunt temperamenti: ergo non facilè fient pleuritici.

Antecedens probatur: quia acidus ructus eſt frigidi ventriculi ſoboles; & frigiditas ventriculi arguit frigiditatem iecoris: at iecore frigido exiſtente totum corpus tale exiſtere neceſſe eſt. Conſequens probatur: nam ex frigiditate temperamenti ſanguis frigidus fit, & craſſus, ac perinde ad inflammationem ineptus: & præcipuè lateralis membranæ. Adde iſtos habere aluos humidas, qua ratione non modò à Pleuritide, ſed ab acutis morbis immunes eſſe ſolent. (li. de aere & aquis.)

1. adnotatio. Quòd acidus ructus in pituitoſa natura, & calida fieri ſolet. Semper tamen à frigido fit minori quam pro coctionis ratione; verum in pituitoſa natura cauſam habent pituitam ipſam, ſeu frigiditatem; in calida autem natura caloris innati, & humidi priuationem, extranei tamen acceſſum: Nā, & ſanguineū, & bilioſum corpus fit melancholium, cū non euacuatur, & calida corpora ſolent ad conſiſtentiam fieri melancholica exuſto ſanguine, & bile: & à melancolia, upotè frigida, ructus acidi excitantur. Vnde Hipp. ſcripſit, ſanguineum corpus & bilioſum, acidum ructum faciens, ſignum eſſe iam aduenientis melancholiæ. Hipp. tamen magis de acido ructu ex pituita loquitur, quam ex aduſta melancholia.

2. adnotatio. Quòd ſicuti ex balbutie colligebat humiditatem totius in antecedenti, ita hic ex ructu acido id ipſum colligerere intendit; ac proinde balbi, ex humidi abundantia rarò pleuritide corripientur, quia aluos habent humidas, qua ratinne, & qui acidum ructāt. Ex quo colligere licet, eos qui nidoroſum

roſum ructant eſſe ad pleuritidem, & acutos morbos ualde aptos, ob calidam eorum naturam: Non tamen abſolutè negauit, acidum ructantes poſſe pleuritide corripi, ſed difficile id fieri indicauit: accidit tamen ſed rarò. Verum licet iſti ad acutos morbos non ita ſint diſpoſiti, tamen ad longos, & hydropes, & obſtructiones, & colicas paſſiones, & alui profluuia, & putredines ualde ſunt parati. Acidum ructantes intelligit, eos, qui à natura tales ſunt, quales pituitoſi, aut melancholici: qui enim ex morbo, aut per accidens acidum eructant, non ſimiliter.

Quòd Hipp. ut breuis eſt, & maximè in Aphoriſmis, pluries ex uno ſigno colligit corporis temperies & robor; ſic ſupra ex ſemine, & balbutie, hic ex acido ructu. Rurſus oſſa ex capite æſtimanda; robur & longitudo uitæ ex oculis, quod hæc uel ſola, uel maximè de corpore noſtro coniecturā faciant. Rectè tamen ſe geret medicus ſi ad hæc alia omnia, ſeu plura ſigna adducat, ut firmior fiat dignotio. 3. adnot. 6. epidē.

APHORISMVS XXXIIII.

Qui Calui ſunt his uarices magnæ, &c.

CVm in antecedenti, ex naturali ſeu morboſo ſigno, ſcilicet, ex acido ructu ineptitudinem ad pleuritidem oſtenderit; nunc ex morboſo colligit peregrinā ſententiam ad pilos pertinentem, & ſcitu digniſſimā. Cōnexio.

Caluis uarices magnæ non fiunt: at ſuperuenientibus uaricibus calui rurſus capillis ueſtiuntur. Intentio.

Vt demonſtret quàm ualida ſit naturę uis, & ſympathia in morbis ſoluendis, cum caluities, quæ medici opera ſanari non poteſt, natura ſanet: & præterea doceat pituitam, ſeu atram bilem maximè caluitiei eſſe cauſas. Nam uarices, ex craſſis, & mordacibus fiunt humoribus. Rō intentionis.

Duæ ſunt concluſiones, ideo in duas partes ſecari poteſt ſententia.

Materia caluitiei, & uaricum una eſt: ergo calui non magnas habebunt uarices, & econtra. Antecedens probatur: ſiquidem humorum prauitas ſolet caluitiem efficere, & eadem uarices; & iuxta Hipp. ſententiā, ex coitu, quia eunuchi non fiunt calui. Conſequens probatur: quia cum caluities adeſt, materia ad caput uergens non poteſt deſcendere, & uarices magnas facere: quod ſi deſcendat, & uarices tales efficiat, reuocata ex capite humorum prauitate ad uarices, rurſus capillati fient. Demonſtratio.

Quòd caluities dupliciter ſumi poteſt: uel communiter pro omni capillorum defluuio, ut alopeciam, & ophiaſim cōprehendat: uel propriè, & uerè caluitiem ſignificet. Rurſus iſta caluities, uel accidit ratione ætatis in ſenectute, uel ob aliam quampiam cauſam ante ſenectutem. Sententia Hipp. uera eſt de omni caluitie, excepta illa quæ in ſenectute fit, ſeu ex morbo, 1. adnotatio.

picus factus ac ſplenecticus ualde repletus eſt, & ſcrotum, & cruca, & peritoneum membrana; & ad finem tuſſis, & ſuffocationes fiebant; & cum uocis interceptione & ſtrangulatione mortuus eſt.

Quòd tuſſis ſuperuenire poteſt hydropicis multipliciter, uel quia aqua ad pulmonem tranſit, & thoracem & ſic fiat etiam hydrops in pulmone; aut quia hepar aqua repletum eſt; aut quia uenter inferior ſua grauitate premit ſeptum tranſuerſum, vnde ſpirandi difficultas, & tuſſis ſuccedunt; aut quia ex hepate tenuis quiſpiam humor intra non pellitur, qui irritat pulmonem ad tuſſim; quacunque igitur de cauſa fiat tuſſis malum eſt ualde, adeo ut ſeptimo huius ſectionis deſperatum dixerit. Cum uerò difficultas ſpirandi aduenit & tuſſis iam penè actum de egro erit. 2. adnotatio. Aphoris.

Cęterùm hic monet medicũ, ut hydropicum ſecet, ac curet quãcitiſſimè, antequam malum ad pulmonem uertatur, ſin minus cum iam ſignificationem de ſe prabet, ut ad eum uergat locum. Scripſit autem Hipp. ſigna quæ ſalutarem hydropem comitantur inter quæ uoluit non adeſſe tuſſim, nec difficilem reſpirationem. Prædictionum.

APHORISMVS XXXVI.

Difficultatem urinę phlebotomia ſoluit.

CVm ſupra de oculorum doloribus dixiſſet remedia eorum explicãs; modò ad urinæ difficultatem remedium affert, in hoc. n. libro modò de naturæ; modò autem de artri operibus ſermonem inſtituit. Conexio.

Difficultatem urinę uenæ ſectio ſoluit. Intentio.

Vt demonſtret intercætera remedia ipſius ſtranguriæ præcipuum eſſe ſanguinis miſſionẽ; & ſimul oſtẽdat locũ à quo pcipuè mitti ſanguis debet. Rō intentionis.

Duas partes habet, aphoriſmus in prima concluſionem intentam ponit de ſanguinis miſſione; in ſecunda uò docet locum a quo maximè ſanguis mitti debet. Diuiſio.

Sanguinis miſſio & curat; & inflãmationem prohibet, in difficultate urinæ: ergo in ea mittendus eſt. Antecedens probatur: quia quoties difficultas urinæ eſt cum dolore, conuenit ut curans; quia euacuat materiam, et ut prohibens inflãmationem, reuellens et maximè ex uenis internis crurum, quæ & euacuandi, & reuellendi vim habent quàm maximè morbos ad genitales partes pertinentes. Demonſt.

Quòd hic difficultatẽ urinæ, uel oĩmodã retentionẽ intelligit, uel illius difficilẽ redditũ; quæ non niſi cũ dolore fieri poſſunt, & rarò aliter accidit ſeu ex inflamatione, ſeu lapide, ſeu grumo fiat; quoties doloroſa eſt, in primis ſanguinis miſſionẽ reqrit, qa minatur inflãmationẽ, nõ tamẽ ad omnẽ urinæ difficultatem conuenit. Et ſicuti ſupra oculorũ dolores dixit ſoluere aut balneum, aut fomẽtũ, aut phlebotomia, nõ qđ oĩa hæc ſemper faciẽda 1. adnotatio.

 ſint;

ſint;ita hic dicit ſoluere difficultatem urinæ uenæ ſectionem, non quod omnem ſed quia præcipuum ad illam eſt remedium, quæ doloroſa eſt, & inflãmationem minatur: ſunt tamen inde alia vrinam cientia inter quæ maximè laudatur meri potio, unctio & ſyringa.

Aphoriſ. 7.

2. adnota. Quod locum ſanguinis mittendi docens ait ſecandas eſſe interiores venas, per quas intelligit uenas poplitis & tali, ad partem cruris domeſticam attinentes; quæ magnam habent cum renibus affinitatem, ſicut etiã uenæ exteriores, quæ per externam currunt cruris partem ad talos, quas monuit Hipp. ſecandas in coxendicis doloribus, ſicuti interiores in renum, & ueſicæ affectibus. Licet autem Galenus ratione ductus anatomica, non videat differentiam aliquam, utrum ſeces poplitis uenam, ſeu interna illa ſit, ſeu externa, cum ab uno trunco oriantur, experientia tamen mõſtrat maiori cum iuuamento fieri ſi venas internas in ueſicæ affectibus ſecemus, maior enim eſt rectitudo, ſaltem ratione ſitus.

APHORISMVS XXXVII.

Angina correpto ſi tumor appareat in collo, &c.

Cõnexio. Quod Aphoriſmo uigeſimoquinto in uniuerſum explanauit, in hoc, unius anginæ morbi grauiſſimi exemplo confirmat.

Intentio. In angina ſi tumor appareat in collo, bonum.

Rõ intentionis. Vt demonſtret, quod ſignum ad ſanitatem in angina primas vires habeat; ac perinde moneat medicũ, ut in eo morbo non repellentibus utatur, aut illis quæ motum externum impedire poſſint: & ut anginæ exemplo propoſitionem uigeſimi quinti Aphoriſmi huius prolatam confirmet.

Diuiſio. Diuiditur Aphoriſmus in duas partes, in prima concluſionem intentam proponit: in ſecunda rationem illius adducit.

Demonſtratio. Tumore apparente in collo in angina, ſignum eſt foras morbum uergere; ergo eſt bonum. Antecedens certum eſt. Conſequẽs quoq; facilè ſequitur: bonũ. n. eſt ſemper à partibus nobilibus ad ignobiles uerti morbũ.

1. adnotatio. Quod in angina id quod extra apparet, uel eſt rubor: uel tumor, & uterque vel apparet in faucibus tantũ, uel etiã in collo, vel in pectore. Hipp. mentionem fecit de tumore ad collum, quia firmius eſt indicium cum tumor apparet ad ceruicẽ, & collum, quàm cum non apparet, vel ad fauces ſolum eſt; Habet tamen tumor magis rationem inflammationis, ſicut rubor eryſipelatis. Bonum itaq; eſt etiam rubor, ſi ad collum, & melius ſi ad pectus quoque effundatur.

2. adnotatio. Quòd Angina quę conſpicuũ facit tumorem, uel in faucibus ac ceruice, vel pectore, & dolorem, ac reſpirandi difficultatem inducit, lethalis eſt: quo uero magis, ad longinquiores partes apparet tumor, & rubor, & ſym-

ptoma

ptoma minora ſunt, eò minus lethalis eſt. Tantum autem ualet ad ſanatio nem anginæ uergere ad externa inflammationem, ut propterea cucurbitas collo adhibeat Hipp. ad attrahendum intus conditam, & ſuffocantem materiam, omnibuſq; rationibus ad externa attrahat, ut fomentis, ceratis ex calido oleo & lana adhibitis. Verum hic adducere poteris in contrarium anginoſam illam, quæ cum haberet tumorem ſubrubeum & durum in ceruice & pectore, tamen mortua eſt. Dic uel non fuiße in totum materiam extra pulſam, ſed manſiſſe adhuc intra illius partem: vel mortuam eſſe mulierem ex debilitate, & ſuppreſſione excrementorum alui, & urinæ; nec enim bonum eſt ſemper pelli foras morbum abſolutè, niſi ſymptomata minuantur, & non recurrant abſceſſus. 5. epid. ſect. 1.

APHORISMVS XXXVIII.

Quibus occulti cancri ad ſunt non curare, &c.

CVm, ut diximus, Hipp. intendat in iſto libro opera naturæ ad artem traducere, & econtra, artis opera ad ea quæ naturæ ſunt, ideo in hoc aphoriſmo peſſimum morbum adducens, cancrum ſcilicet, ſententiam profert ſcitu digniſſimam, & medico per quam utilem. Cõnexio.

Occultos cancros non curare, melius. Intentio.

Vt unius cancri exemplo doceat, non omnes morbos curari poſſe a medico, ideo non omnibus admouendas eſſe manus; quia ut alibi ſcriptum reliquit, qui medici ob imperitiam morbos huius generis ſe ſanare promittunt, ſtatim quidem apud ignarum vulgus in admiratione ſunt, non tollentes affectionem, ſed plus concitantes ægros, ſuam palam faciunt ignorantiam. Rõ intentionis.

In duas partes diuidi poteſt præſens ſententia, ut in prima proponat concluſionem in ſecunda uerò illius adducat rationem. Diuiſio.

Curati occulti cancri citius interficiunt; ergo non curare melius; Conſequens certum eſt. Antecedens probatur: nam ſi quis tentet illos curare per mediocria auxilia, non cedit morbus: ſi uerò per magna, irritatur morbus, & affligitur æger. Demonſtratio.

Quòd Cancer, tumor eſt durus, rubeſcens, cum liuore, ac inflammatione, dolens, uenis quaſi uaricibus undequaque ſcaturiens. Hic uerò eſt in duplici differentiã: aut manifeſtus, aut occultus. Dicitur autem cancer occultus, non ſolũ qui ſine ulcere eſt, aut qui in partibus eſt internis, ſed & cũ vlcere, & in parte externa, qui profundas habet radices. Ideo eos appellauit Hipp ſubmerſos. At cancer manifeſtus dicitur, qui ad ſuperficiem uergit, ſiue vlceratus ſit, ſiue ſine vlcere, dummodo radices profundas non habeat, nec late ſe extendat. Cancer itaq; occultus curationem non ad 1. adnotatio.

mittat duplicem ob cauſam: aut quia remedia illius non eſt laturus æger ignem ſcilicet, ſectionem, & uſtionem: aut licet poſſit ſufferre, tamen ea eſt ſucci malities & corporis cacochymia, ut rurſus redeat. A principio, autem antequam malum diuturnum ſit, omnis cancer curari poteſt;& ea ratione tentat utri cancros curare Hipp. At manifeſti curationem admittunt, & à principio, & cum proceſſerunt. Cęterum adeò difficile putauit Celſus, occultū cancrum à manifeſto poſſe dignoſcere, ut non niſi multo tempore & experientia id aſſequaris.

2. adnotatio. *Quòd curatio cancri ferro fit, & igni. Non ulceratus ferro curari poteſt dupliciter: uel radicitus excidendo, & adurendo: vel ſecando, inde per medicamenta, vel ignem adurendo, ut faciebat quidam circumforaneus qui carcinomata curabat perſcindēdo cancrum oliuæ ſurculo in aciē efformato, & poſt calchanti oleum adhibebat. Quidam etiam ſublimatum adhibent, ſed illius uſus fugiendus eſt, ſiquidem alius circulator illo in cancro mammæ cum uteretur, mulierē interfecit, idq; ui ueneni. Cancri autem ulcerati ſi membrum, & locus præcidi poteſt, ſectione curātur: ita nuper cuidam, qui in penis capite carcinoma habebat, totus penis radicitus diſſectus eſt, inde ignis admotus, & conualuit. Aut denique curatur per ignem, ſeu medicamenta adurendi uim habentia: (non tamen tutum eſt putrefacientia adhibere) ſic Hipp. recitat quendam à cancro in*
7. Epid. *faucibus exuſto ſanatum. Verum cum difficile ſit diſcernere cancri occulti naturam, ab eo qui talis non eſt, tentare debes illius curationem per medicamenta cauſtica quod ſi irritetur ualde morbus, relinquendus eſt. Cancri autem occulti natura, non ſolum in eo conſiſtit, quòd radices altas habet, ſed quod à ſucco valde pernicioſo naſcatur: non enim atræ bilis ſpecies, cancrum facientes, eiuſdē ſunt malitiæ. Cæterum facilius curatur cancer ulceratus, quia à benigniori materia fieri uidetur: ideo ſcripſit Hipp. herpetes ex depaſcentibus ulceribus minimè periculoſas eſſe, ſed eſſe diffi-*
2. prædictionum. *cilis ſanationis, ſicuti occultos cancros. In oībus aūt talibus febrē ſuperuenire confert una die, & pus quā albiſſimū ac craſſiſſimum eſſe. Cōmodat & corruptio nerui, aut ēt oſſis, aut ēt amborū, tū in profundis tum nigris putredinibus: nam in corruptionibus pus multum fluit, & putredines ſoluit.*

3. adnotatio. *Qđ licet oīs cācer curari nō debeat legitima curatione, illa tamē debet qua morbus miteſcat, quæ miſſione ſanguinis, & per purgationes fit: illa ēt remedia admouēdo q̄ maximè cōſentanea uidebūtur; et ſi q̄ remedia à proprietate occulta iuuant apponēdo. Plinius ſecundus medicamentum affert ad quēcunq; cancrū in hūc modū. Thyrsū et folia uiridia cucubi herbę, cū duplo herbę paſtelli tūde & cū panis medulla in formā emplaſtri redige, frigidūq; impone mane, & ſero. Paſtell⁹ aūt herba poligonō eſſe uidetur.*

4. adnot. *Quòd morbi euētus triplex eſt: vel ad ſanitatē, vel ad mortē, vel neutro modo. Cū morbus ad mortē comitatur hominē, totius uitę ſpacio durat.*

*nec tamen ſaneſcit, neque interficit. Inter quos reponere oportet cancrum,
podagram, nephritin, & veſicę affectiones, diuturnas hęmorrhoidas, ua-
rices. Cancer autem, licet in omnibus partibus corporis fieri poſſit, ma-
ximè tamen ad faciem fit, ad os, ad mammas, ad pudenda. Mulieribus ex
menſium retentione maximè fiunt: unde Hipp. ſcripſit, ex uteri reſiccatio* 2. de morbis mulierum.
*ne & nimia contractione in mammis tubercula dura fieri quæ non ſuppu-
rantur, & occultos cancros faciunt. Signum uerò futuri cancri eſſe amari-
tudinem oris. Et non de ſimili ratione fieri, ait, in utero cancrum, & illius
ſignum eſſe duritiem, & inguinum ardorem: tentatq; curationem ualde
notabilem per fomenta, quæ eo loci uidere poteris.*

APHORISMVS XXXIX.

Conuulſio à repletione fit, &c.

C*Vm in antecedenti de cancro, peſſimo morbo inter longos, ſermonem
habuiſſet; in hoc de conuulſione uerba facit, quæ inter acuta mala
peſſima eſt, atque horrenda.* Cõnexio

Conuulſio, ſicuti ſingultus, à repletione fit, vel inanitione. Intentio.

*Vt demonſtret cauſas uniuerſales conuulſionis, & perinde cõuulſionem
cũ ſingultu magnã habere affinitatem; ac ut medicus videat in curatione
conuulſionis, à qua ex duabus cauſis pendeat, cum contrariam curandi ra
tionem poſtulent,* Rõ intentionis.

*Conuulſio fit per neruorum contractionem; ergo, vel à repletione fit,
uel uacuatione. Antecedens certum eſt. Conſequentia probatur: quia ſicu
ti coria, & funes diſtenduntur uel madefactione, uel exſiccatione, ita etiã
& nerui eandem patiuntur diſpoſitionem.* Demonſtratio.

*Quòd conuulſio motus eſt membrorum ad ſua principia inuoluntarius,
vel manifeſtus, ut in Epilepſia, uel non manifeſtus ut in tetano, & diſten-
tione. Hic uerò, vel eſt pure morbus, cum non ob irritationem aliquã
gignitur; uel ſequitur irritationem & facultatis pellentis uim: Hipp.
potiſſimum de prima loquitur, quia conuulſio, quæ ex vermibus, vel ex ſto
macho, aut aliqua alia corporis parte naſcitur proprie non eſt cõuulſio,
ſed motus irritatæ facultatis; Omnis tamen cauſa ad repletionem. uel ina
nitionem referri poteſt, ſiue ſit inflammatio, ſiue dolor, & punctura, ſiue
frigiditas & acredo medicamenti, aut alia quæuis cauſa.* 1. adnotatio.

*Quòd conuulſio, cum ex repletione fit nulla præceſſit uacuatio, aut fe-
bris exſiccans: cum autem ſequitur ſiccitatem, præceſſerunt cauſæ quæ ex
ſiccandi uim habuerunt. Cæterùm repleti nerui dilatantur, quare breuio-
res fiunt, & contrahuntur: at exſiccati, quia exhalat ſpiritus, ratione ua-
cui contrahuntur, & quia calidum attrahens ad ſe proprium humidum* 2. adnotatio.

 attrahit.

attrabit. Negat Hieremias neruos uiuente homine ad tantum ſiccitatem deuenire poſſe vt contrahantur, ſicuti coria ad ignem, verùm ex ſiccitate conuulſionem fieri, vacuatis venis, & arterijs, unde muſculi cõtrahantur, attamen negandum non eſt, febrem ardentem uim habere maximam exſiccandi cerebrum & neruuos, unde conuulſio ſuccedat.

3. adnot. *Quòd conuulſioni adiunxit ſingultum, indicans eas paſſiones ſimiles, tum ex effectu, tum ex cauſa, affectu, cum ſingultus, ſit motus. In conuulſiuus uentriculi: in cauſa cum ſequatur irritationem, aut repletionem. Eſt autem uomitus quoq; uentriculi motus, ſed non fit ex inanitione, ſicuti ſingultus, ſed pertinet magis uomitus ad fundum uentriculi ſe colligentis, ſicuti ſingultus ad os. Caterùm conuulſio, & reſolutio ſunt paſſiones neruorum, ſed in conuulſione materia magis in meatibus imbibitur, in reſolutione irrigat magis ſubſtantiam nerui, aliquando autem occupat utrumque, & tunc coniungitur utraq; affectio.*

APHORISMVS XXXX.

Quibus ad Hypochondrium dolor eſt, &c.

Cõnexio. *Difficilem connexionem inuenies huius cum ſuperioribus, niſi dicas Hipp. permanere in ſuo inſtituto, ut modò de arte, modo de natura curante in hoc libro agat.*

Intentio. *Dolor ad hypochondria ſine inflammatione, febre ſuperueniente ſoluitur:*

Rõ intentionis. *Vt diſtinguat hypochondrij dolores leues, ab illis qui horrendi ſunt & graues; nam illi, conueniente febre leuantur, hi verò augentur: nec non ut modum curandi doceat iſtos dolores per calida.*

Demonſtratio. *Dolor hypochondrij ſine inflammatione cauſam habet frigidam: ergo adueniente febre ſoluetur. Antecedens probatur: quia ſi à calida fieret cauſa adeſſet inflammatio, aut calor manifeſtus. Conſequens probatur: quia febris calida exiſtens ſuperauit doloris frigidi cauſam.*

1. adnotatio. *Quod hypochondrij dolor ſine inflammatione cauſam habere ſolet, uel flatum, vel frigidum & craſſum humorem ad eam partem collectum. Febris itaq; ſuperueniens flatum diſſoluit, & craſſos humores attenuat, & per urinas emittit, unde dolor ſoluitur: nec ſolum ad hypochondria dolores frigidi febre ſoluuntur, ſed etiam qui ad coſtas nothas accidere ſolent. Inflammatio hic non ſolum calidum humorem ſignificat, ſed quamcunq; caliditatem & igneum ardorem.*

2. adnotatio. *Quòd dolores ad hypochondria ualdè ſuſpecti ſunt, & peſſimi in acuta febre, quod aliquam indicent inflammationem, hepatis, aut uentriculi, aut ſepti tranſuerſi, uel lienis: at cum febre uacant, ferè ſine periculo ſunt. Aliquando tamen febris excitata in doloribus lumborum, & hypochondrij*

drij,ſuppurationem detexit, nec dolorem ſoluit, quia potius eſt cum pernicie ægroti: ſed id rarò contingit. Non fuerit autem ita tutum in doloribus capitis,aurium,aut thoracis ſine inflammatione febrem ſuperuenire,quia circa illa valde periculoſa ſunt.

Quòd per hæc monet Hipp. dolores eos, qui ſine inflammatione ſunt, ſolere,quantum in illis eſt,tolli per febrem; unde aut inducendam eſſe febrem,aut calida adhibenda fomenta,unctiones, & emplaſtra, non tamen ita ut reſoluta parte tenuiori craſſior remaneat,quod in colico dolore fit. Verùm febrem excitare non vacat periculo,& præcipuè ſi corpus non bonum habuerit apparatum, quia ex illa maioris mali origo naſci poterit. Sed dices,quomodo in cauſa frigida poteſt natura febrem excitare? Dic id fieri irritatione ipſius doloris,quia natura conatur ſuperare illum,& febrem accendit. 3 adnot.

APHORISMVS XLI.

Quibus in corpore pus, &c.

CVm in antecedenti de hypochondri tumore dixiſſet, ſedari ex febre ſuperueniente, cum ut plurimum ex frigida cauſa & flatu proueniat; modo de occultis tumoribus verba facit, qui, etiamſi ſine febre ſint, ad occultam tendunt ſuppurationem. Cōnexio.

Pus in corpore latitans ob craſſitudinem ſui,aut loci non ſe prodit. Intentio.

Vt oſtendat debere medicum magnam diligentiam adhibere in cognoſcendo pure,quo in tempore ſectionem adhibeat,antequam pus partes erodat,& mortem afferat. In cuius exemplum Eupolemum habes, qui pus ad coxam latitans habens intempeſtiuè ſectus,mortuus eſt. Rō intentionis. 5. Epid.

Puris ſignificatio ex forinſecâ potiſſimum eruptione deſumitur: ergo ſi non manifeſtatur,in cauſa eſt, vel locus ubi continetur, vel ipſius puris craſſities. Demonſtratio.

Antecedens notum eſt.Conſequens probatur: ſiquidem tenuè pus calidum eſt, & ad cutim, ac partem externam uenit ac penetrat: quare ſi craſſius eſt,& frigidius,nequaquam id efficit. Verùm licet etiã ſit tenuè, & calidum,ſi in profundo ſit, aut cutis craſſa, non æquè penetrare poterit: eſt enim cutis ualde craſſa in quibuſdam partibus corporis, ut in calcaneis: latet etiam interdum ſub muſculis. At ſi ambo accedant, & cutis craſſities,& puris,adhuc obſcurior fuerit puris dignotio.

Quòd puris cognitio maximi momenti eſt,& præcipuè in partibus internis.Vnde ſcripſit Hipp. tubercula equidem deprehendere, & diſſoluere poſſe,maximè artificioſum haberi (intendens præcipuè occultas puris collectiones) ex eo enim magna medico gloria naſcitur, cum ſecanti pus effluit, 1. adnotatio.

meri debet; quia ex eo malus corporis habitus, aut Hydrops, aut mors ſuccedunt.

Quod durities illa mala eſt, & ut cauſa, & ut ſignum: quia ex duritie illa Iecoris ſubſtantia corrumpitur quæ mollis, & humida eſt, & præterea difficilis curationis, quia morbus regius ut calida paſſio remedia expoſcit refrigerantia, et hepatis durities attenuantia et aperientia. Dignoſcitur autem durities ad tactum ſub hypochondrio dextro, in qua parte recur reſidet. 1. adnotatio.

Quod natura ueſiculam quandam ſubiecore condidit, quæ bilis receptaculum eſt, quia cum, humorem ex iecore attrahendo expurgat, & perinde tranſmittit ad inteſtina ad irritationem, duos habet meatus, alterum ad iecur uergentem, alterum ad inteſtina, quorum quiuis ſi obturetur, fit ut per totum corpus diffundatur bilis. Fit etiam morbus regius ex magna diffuſione melancholia, quæ à liene dependet, ac perinde cum illius uiſceris duritie mala eſt, licet rarò ſine ea contingere poſſit. 2. adnotatio.

APHORISMVS XXXIII.

Qui lienoſi difficultate &c.

CVm de hepatis affectione in antecedenti dixiſſet, nunc de affectione lienis uerba facit, quæ ambo ad hypochondrij tumorem pertinent. Cõnexio.

Lienoſis ſuperueniente longa dyſenteria, aqua intercus ſuperuenit, aut lienteria, vnde mors. Intentio.

Vt demonſtret quid ex ſymptomatico fluxu alui in lienis tumore ſperandum ſit. Rõ intentionis.

Longa in lienoſis dyſenteria inteſtina & iecur in conſenſum trahit: ergo vel hydrops, uel lienteria ſuccedet, unde mors. Antecedens probatur: ſiquidem impoſſibile eſt ex tã diuturna ſanguinis eductione non debilitari Iecur, & uentriculum, & inteſtina; unde & hydrops, & læuitas Inteſtinorum ſuccedere ſolent. Demonſtratio.

Quòd dyſenteria quædam eſt per quam vulcerantur inteſtina, alia per quam ſolum ſanguis educitur. In prima parte aphoriſmi loquitur de cruenta deiectione nigri ſanguinis, ad quam ſi non ſoluatur morbus, vlcerari ſolent inteſtina, ac ſequi longa dyſenteria quam excipit lieteria, & mors. Lienoſi autem dicuntur illi, qui lienem habent tumidum ex abundatia humoris melãcholici, qui quoties continerj nequit exitum quærit ad inteſtina, et ſolet diuturnas efficere deiectiones, quæ ſi ſedori nequeant, in prædictas nſcunt affectiones. 1. Adnotatio.

Quòd

2. adnot. *Quòd ſicuti de lienoſis ita fortaſſe de hepaticis dici poteſt: nam qui iecur habent tumidum & durum, ſi ſuperueniat deiectio cruenta, & diu duret, nec ſedetur morbus, ex eo, aut hydrops, uel dyſenteria, aut utrumq; ſequetur, ac perinde mors. Dixit aũt ſequi hydropem, uel lienteriam, quia poterit hominẽ occidere dyſenteria, antequam in hydropem ueniat; ſed ſi non admodum acceleret utrumq; continget. Fit autem hydrops non ſolum refrigeratione ex euacuatione facta, ſed ob melancholicum humorem ex liene ad iecur uenientem.*

APHORISMVS XLIIII.

Quibus a ſtranguria Ileus ſuperuenerit, &c.

Cõnexio. *CVm ſupra de febre ſoluente hypochondrij tumorem dixiſſet; nunc eandem ipſam febrem ſuperuenientem grauiſſimum morbum ileon curare poſſe demonſtrat.*

Intentio. *Quibus ex ſtranguria ileus ſuperuenerit, intra ſeptem dies intereunt, niſi febre ſuperueniente copioſa urina effluat.*

Rõ intentionis. *Vt doceat prædicere euentum ſi quando iſti morbi coincidant, & perinde curationem doceat fieri debere per calida & attenuantia, ſiquidem febris, quæ id efficiendi uim habet, eos ſanare poſſit.*

Demõſtratio. *Acutiſſimus morbus intra ſeptẽ dies terminatur: ergo in Ileo ex ſtranguria ſuccedet eo tempore mors, niſi natura febrem excitans ſanauerit. Antecedẽns probatur: cum natura tũ magnos labores ferre non poſſit ultra, ad ſunt enim ſæuiſſima ſymptomata, & dolores ueſicæ, & inteſtini, & urinæ ac fecum retentiones, quæ citiſſimè occidunt: ergo intra ſeptem dies morietur æger, niſi natura febrem excitans urinam copioſam effundat. Quòd uerò non niſi febre accedente ſoluatur, probatur, quia ſi non præceſſit febris, ſignum eſt cauſam morbi eſſe frigidam, & per febrem ſolui extenuato humore, qui morbi cauſa eſt.*

1. adnotatio. *Quòd ileon eſt affectus inteſtinorum quo excrementa non deijciuntur, ſed ſurſum tendunt, & denique uomuntur. Pertinet aũt præcipuè ad inteſtina gracilia, licet in craſſis quoque fieri poſſit. Hic uerò fit, vel per eſſentiam in ipſis inteſtinis, uel per conſenſum ex alia corporis parte. Hipp. hic loquitur de illo, qui fit per conſenſum ad ueſicę tumorem, ſiquidem ubi comprimitur ueſica, retinetur urina, & tumet, ac comprimit inteſtina; unde ileon procedit. Cum verò dixerit, non præceſſiſſe febrem, ſignum eſt, intelligere non calidum affectum, ſed frigidum, ut quando ex craſſis & frigidis humoribus obturata ueſica urina cõprimitur, tunc febris ſuperueniens extenuat humores, & urinam expellit, & ſoluitur morbus.*

2. adnotatio. *Quòd Cardanus non vult intelligendum eſſe Aphoriſmum de Ileo, qui*

ſequi

equitur ad ſtranguriam, ſed de eo per eſſentiam, cum ſcilicet multa pituita colligitur in uentrem inferiorem, & ad inteſtina, & ueſicam, & facit duas iſtas affectiones, tunc febris ſuperueniens ſoluat. Quod etſi verum eſt, tamẽ Hipp. loquitur hic de eo qui ad ſtranguriam ſequitur: nec inconueniens eſt ſequi talem affectum ad veſicæ tumorem. Nec valet argumentum de prægnante in qua cũ maximè tumefiat uenter, non tamen ſit paſſio, quia in prægnante paulatim tumet uenter, non ſic in ſtranguria, nec etiam adeo tumet uenter in prægnante ut in retentione vrinæ.

Quòd cum febris poſſit hunc morbum ſoluere, medicus imitando naturam per tales affectiones calefacientia adhibere debet, & febrem etiam inducere. Nec tamen neceſſario ſuperueniẽte febre ſoluitur morbus niſi copioſa urina fluxerit; atq; ita indicat per hæc uerba, eas paſſiones ex frigidis humoribus habere originem. Voluulus autem cùm ex obturatione inteſtini fiat cauſam habet, vel inflammationem, vel fecum duritiem, vel rupturam, uel pituitæ copiam obſtruentem. 3. adnot.

APHORISMVS XXXXV.

Si vlcera annua, &c.

IAm ſupra de ulceribus Hipp. ſermonem fecit, proferens ulcera circum glabra maligna, & latas puſtulas non valde pruriginoſas eſſe, nunc regreditur ad idem inſtitutum, & de ulceribus ſententiam profert medico ualde utilem. Cõnexio

In annuis ulceribus, aut etiam diuturnioribus os abſcedere eſt neceſſarium & cicatrices cauas fieri. Intentio.

Vt demonſtret quid prædicendum ſit in ulceribus quæ annum aut etiã ultra ſe extendunt, & præterea ut medicus cum ad illud tempus vlcus peruenit de eius ſanatione non cogitet, niſi prius curet os, alioquin nihil profuturum. Rõ intentionis.

Vlcera annua, aut etiam diuturniora uitium habent in oſſe: ergo abſcedet os & cicatrix caua fiet. Antecedens probatur: ſiquidem, niſi uitiũ eſſet in oſſe non poſſet non curari ulcus medicis præſidijs ante illud tempus os uerò ut, ſolidum amplius retinere malum poteſt, & vlcus fouere. Conſequẽs deducitur: quia ex corruptione oſſis ſequi ſolet abſceſſus, deſquamatione partium quæ putreſiunt; oſſis autem parte ablata, cauam fieri cicicatricem neceſſario colligitur. Demonſtratio.

Quòd ulcera annua, uel ſunt propè oſſa, vel ab oſſibus diſtãt; utroq; modo, uel ſunt cum intemperiè aut fluxione, aut callo, vel illis carent. Cęterũ dictum Hipp. non intelligitur, niſi cùm ſunt propè oſſa, & cùm adhibitis à medicis oportunis auxilijs, non poterunt ſanari, quia ulcera non ſolum 1. adnotatio.

ob

rum, uel pertinet ad collum & ceruicem, uel ad thoracem, uel lumbos: Oritur, uel à natiuitate, aut ex morbo. Cauſa morboſa multiplex eſt, caſus, ſenectus, tumor, laxatio, conuulſio. Gibboſitas itaque quæ ante pubertatẽ fit ſtatim interficere ſolet, ſi ex morbis pulmonis proueniat, communicata materia ad ligamenta ſpinę, aut ob tumorem circa uertebras, vnde duplex cauſa ſuffocationis fit, altera ex conſtructione quæ per gibbum fit; altera verò ex illa quæ ex pulmone, ſeu tumore.

Quòd verbum (ſtatim) vel ſignificat, quod moriantur ſimul ac fit gibboſitas, uel quod repente moriantur licet paulo poſt: quod utrumque contingit. Nam ſuffocantur ſtatim, aut paulò poſt repente moriuntur. Intelli autem gibboſitatem factam ante pubertatem; quia illa ætas multa indiget caloris refrigeratione, & adhuc in illis cor & pulmo augentur: thorax autem ob morbum non multum dilatari poteſt. Moriuntur etiam gibbi quacunque cauſa fiant ante pubertatem, ſi tuſſis oriatur, nec diu durare poßunt, atque hic præcipue de gibboſitate facta ad uertebras thoracis ſermonem habet. 2 adnotatio.

Quod gibboſi etiam à natiuitate diu durare nequeunt: raro enim ſexaginta annos pertranſeunt, quia reſpiratio libera fieri nequit. At dices, Gibboſitas potius uidetur dilatare thoracem, puta illa quæ ſecundum curuitatem fit. Dic quod licet ex una parte dilatetur, ex alijs tamẽ anguſtior fit; unde Hipp. ſcripſit: quibus gibba fit ſpina, dum pueri ſunt, prius quàm corpus ad augmentũ plenum per ductum fuerit, his corpus iuxta ſpinam adaugeri non ſolet, ſed crura quidem ac manus perficiuntur, illæ uerò partes defectuoſæ ſunt: & quibus ſupra ſeptum tranſuerſum gibboſitas fit, his & coſtæ in amplitudinem augeri non ſolent, ſed in anteriorem partem, & pectus acutum fit, ſed non latum, & ipſi difficulter ſpirant, & ſtridulã faucium aſperitatem habẽt: hæc cauſa eſt cur gibbi diu uiuere nequeãt. 3. Adnot. De artic.

APHORISMVS XLIIII.

Quibus uenæ ſectio aut purgatio, &c.

CVm in antecedenti Aphoriſmo de gibboſitate ſcripſiſſet, quę ad tumorem ſequitur ipſius ſpinæ, & morbos thoracis; nunc de tempore agit commodo medicorum auxiliorum, quibus etiam gibboſitas illa præcaueri poſſit. Cõnex

Quibus uenæ ſectio, aut purgatio prodeſt, his uere ſecanda eſt uena, aut purgatio imperanda. Intentio.

Vt demonſtret duo eſſe potiſſimum artis remedia, tum ad curandos, tũ ad præcauendos morbos, & etiam ut iſtorum remediorum exemplo tẽpus omnis medici auxilij accomodum demonſtret, nempe. Ver ipſum, niſi Rõ intentionis.

tamẽ

tamen quippiam urgeat.

Demonſtratio. *Tempore ueris maximè tuta ſunt uenæ ſectio, & purgatio: ergo cum illa indicantur, eo præcipuè tempore ſunt facienda. Antecedens probatur: quia per id temporis virtus robuſta eſt, humores fluxiles, aeris temperies ſoliſq; qualitas amica: ob quæ omnia purgatio & uenæ ſectio tuta ſunt. Conſequens facile ſequitur: quia in remedio non ſolum quærimus iuuamentum, ſed etiam quod minimè noceat.*

1. adnotatio. *Quòd cum Ver habeat partes tres, principium quod hyemi reſpondet, finem qui æſtati, medium quod exactam ſeruat naturam: Hipp. de Vere medio potiſſimũ intelligit, licet de toto vere ſit vera ſententia. Fugiendæ tamen ſunt per decẽ dies conſtellationes in æquinoctijs & ſolſtitijs. Quod uerò de purgatione, & venæ ſectione ſcribit, idem de reliquis magnis remedijs intelligendum: nam ad difficillimos morbos curationem eo maximè tempore inſtituendam ratus eſt Hipp. quod illos tollendi maximam præſtet commoditatem.*

2. adnotatio. *Quòd hic purgationem intelligit validam quæ fit per medicamenta robuſta, ſicuti magnam ſanguinis miſſionem; non tamen docet eo ſolo tempore iſta fieri debere, ſed ſi non eſt quidpiam quod multum urgeat, illud tẽpus expectandum eſſe, ut omnes qui parati ſunt ad morbum, vel deinceps appropinquantibus dictis temporibus, morbis corripiuntur curari præſeruariq; poſſint, id quòd utrumq; præſtat auxilium. Cæterum Hipp. ſcribit,* 1. de morbis. *magni momenti eſſe temporis oportunitatem ad morbos curandos. Tempus autem conſiderandum eſt ſecundum annos, & menſes, & dies, & horas. At licet Ver valde commodum ſit, & oportunum ad curandos morbos, aliquorum tamen fert occaſio vel ad æſtatem, vel hyemem, vel autũnum, ut curentur præſeruenturq;.*

APHORISMVS XLVIII.

Lienoſis difficultas inteſtinorum, &c.

Cõnexio. *CVm in quadrageſimo tertio Aphoriſmo dyſenteriam damnaſſet in lienoſis, nunc eam ipſam extollit; quinimo cum de venæ ſectione & purgatione Vere faciendis in antecenti dixiſſet, nunc lienoſos accipit ſanari fluxu alui, quaſi dicens, in uere maximè.*

Intentio. *Lienoſis alui fluxus ſuperueniens bonum.*

Rõ intentionis. *Vt oſtendat eandem dyſenteriam, & liberare, & occidere poſſe lienoſos; necnon medicum, nam immitando, debere aluum mouere in illis, ſiquidem commode per aluum ſolet lien expurgari.*

Demõſtratio. *Dyſenteria lienoſis ſuperueniens humorem peccantem expurgat: ergo bona. Antecedens probatur: ſiquidem ſanguis per eam euacuatur melancholicus*

lancholicus, qui ipſius tumoris cauſa eſt: quod fieri veriſimile eſt, quoniam matura ut plurimum cum utilitate mouet. At conſequentia patet: quia ſi talia purgentur qualia oportet, bonum.

Quòd hic dyſenteriam intelligere oportet non illam, quæ cum vlcere eſt inteſtinorum, ſed cruentam, per quam ſanguis deijcitur: verum ea nō debet eſſe admodum longa, ſiquidem (ut ſupra dictum eſt,) ſi diuturna fuerit, aut Hydropem, aut vlceroſa facta & lienterica ſolet interficere hominem. Dyſenteria autem (de qua hic loquitur) ſeptem dies, aut quatuordecim durare ſolet, & cum conferentia fit. Cum itaq; alui fluxus lienes curet, medicus medicamenta adhibere debet purgantia, ad eum prouocandum: quod ſi ex ſententia res non ſuccedat, & alui fluxus fiat longior, ut timor fiat ne eueniant mala Aphoriſmo quadrageſimotertio enumerata, tunc inurere oportet, & robuſto exiſtente ægro reuellere, ſanguinē à brachio mittendo: lieni uero quæ roborandi & attenuandi uim habent applicare. 1. adnotatio.

Quòd non ſolum lienoſis, ſed hepaticis ſuperueniens dyſenteria morbū ſoluere poteſt: exemplum adduxit famulæ hepaticæ cui per annos ſeptem menſes defecerunt, & dyſenterica facta per ſeptem dies, inde diarrhetica, ſanata eſt, & menſes illi effluxerunt: exemplum mirabile, cum ultra ſex menſes menſtruorum retentionem inſanabilem ſcripſerit, cum præter naturam eſt. 2. adnotatio. li. de morbis mulierum.

APHORISMVS XLIX.

Quibus podagrici morbi fiunt, &c.

CVm in præcedenti ſententia de præſeruatione, quæ in morbis fit per uenæ ſectionem, aut purgationem determinaſſet; nunc de podagra ſermonem concipit, quæ inter alios morbos per illa remedia in Vere præcaueri ſolent. Cōnexio.

Podagrici morbi intra dies quadraginta conquieſcunt. Intentio.

Vt demonſtret podagram vnum eſſe ex morbis, qui medium locum inter acutos, & longos obtineant, ac proinde doceat, podagram non eſſe morbūm periculoſum, aut mortalem. Rō intentionis.

Podagra morbus eſt articulorum cum inflammatione: ergo intra dies 40. quieſcet. Antecedens notū eſt. Conſequens probatur: nam quia in loco ignobili eſt, non eſt lethalis, nec acutus: at quia cum inflammatione, ideo non longus; quare mediam naturam tenebit inter acutos & longos, quod acuti quatuordecim diebus terminantur, longi ultra quadraginta protrahuntur: igitur podagra qui medius eſt morbus, quadrageſimum diem habebit pro termino. Demonſtratio.

Quòd

1.Adnot. *Quòd podagra morbus eſt qui occupat pedum articulos, inque illis magis ligamenta, tendines, & capita muſculorum penetrat, quam articulorũ cauitatem, quia articulorum cauitates capaces ſunt & non aptæ ad infeſendum dolorem, quidquid dicat Galenus, aſſerens non inflammari tendines, ſiquidem ſequeretur conuulſio: neque enim conuulſio ad quamlibet neruorum ſequitur inflammationem, ſed ad eam quæ cum vlcere eſt coniuncta. Fluxio igitur in podagra dolorem concitat, & proinde ſanguinem attrahit, unde inflammatio fit, quæ intra dies quatuordecim ſedari ſolet, (vt hic ſcribit Hipp.) non quod morbus ultra illud tempus protrahi nequeat, ſed quod magna ex parte leuetur.*

2.adnotatio. *Quòd podagrici dolores non oẽs ad quadraginta dies extenduntur: alij enim citius, alij tardius terminantur, ſed poſuit quadrageſimũ diem, quaſi ultimum terminum. Terminatur podagra uel reſolutione, aut ſuppuratione, aut in thophaceã duritiem. An ergo ſicuti de podagra, ita & de omni articulari morbo uera eſt ſententia? Videtur ſanè, quia dolores non ultra illud ſpacium extendi poſſe creduntur.*

APHORISMVS L.

Quibus diuiſum eſt cerebrum, &c.

Cõnexio. *IN antecedenti ſententia, Hipp. docuit & euentum & tempus euentus dignoſcere in podagra; nunc ad dignotionem loci affecti ipſius inquam cerebri inſignem affert ſententiam.*

Intentio. *Ad uiolentam cerebri percuſſionem febris ſequitur & biliofus uomitus.*

Rõ Intentionis. *Vt ſigna habeat Medicus in omnibus capitis percuſſionibus læſum cerebrum dignoſcẽdi, cum in dignotione illius uita hominis conſiſtat, & nõ ſolum ad dignotionẽ, ſed & ad prognoſticum, & curam magnæ utilitatis Aphoriſmus producatur.*

Demonſtratio. *Percuſſo cerebro conſentit uentriculus & cor: ergo febris, & bilioſus uomitus fiet. Antecedens probatur: magna enim cõmunio eſt cerebri, & ventriculi per inſignes neruos ſextæ coniugationis. Ob magnas quoq; arterias cum corde. Conſequens probatur; nam ad percuſſionem concurrit ſanguis & fit commotio totius corporis, ad quam accenditur calor, & febris. Ventriculus autem attrahens bilem quaſi in ſubſidium uomit illam.*

1.Adnot. *Quòd hic per diuiſionem intelligit omnem ualidam percuſſionem: cerebri autem nomine, & ipſum cerebrum, & eius meninges. Cæterum febris quæ aduenit, uel prima diè uenit in modum ephemeræ ob commotionem, vel quarta, ſeptima, vel undecima, aut etiam decima quarta die, cõcepta inflammatione: & quo tardius aduenit febris eo lethalior eſt affectio;*

Quod difficile eſt uidere quem morbum hic intelligat Hipp. Galenus dicit apoplexiã; Alij Carum; Alij Catalepſim. Verum ſi apoplexiam intelligas, dubitabis ex ſententia libri ſecundi, qua docet apoplexiam fortem non poſſe curari; & hæc accidentia apoplexiam fortem declarant, cum adſit ſtertor, qui ſolet eſſe ſignum prauum. Dic apoplexiam fortem eſſe duplicem; aut à cauſa externa, aut à cauſa interna. A cauſa externa ſolui poterit, ut habes exemplum eius qui ex ebrietate fit & quinto Epid. in puella, quæ ex rupe ceciderat. Sed dices, hæc non uidetur à cauſa externa fieri, cum dicat, ſi quis repente, quaſi ſine cauſa manifeſta. Dic rurſus poſſe ſolui aliquando à natura fortem apoplexiam, licet non ab arte; vel dic, hanc non eſſe adeo fortem apoplexiam. Cæterum etiam & carum, & catalepſim intelligere poteris, & alios affectus cum vocis priuatione, qui cum febre non ſunt coniuncti. 1. adnotatio.

Quod verbum illud, (Niſi febris interuenerit,) habet duplicem ſenſum: uel quod interueniens febris ſoluat: vel quod non moriantur intra illud ſpatium, poſſunt tamen paulo poſt emori. Vtroque modo uera eſt ſententia, & iuxta Hipp. placita; nam ſi febris adueniat plerumque euadere ſcripſit. Debet autem febris eſſe non magna, neque parua, ſed mediocris, quia magna diſſoluit vires, parua non poterit morbum ſuperare, eritque febris ad ſoluendum apta talis, qualis quartana. 2. adnotatio. 2 de morbis.

Quod ſtertor Hipp. duplex eſt: alter ex gutture: alter vero ex palato. Primus fit uel ex debilitate muſculorum gutturis, qui ſuum munus obire nequeunt, neque dilatare meatum ad liberum aeris ingreſſum: uel fit ex obſtructione uiarum ad pulmonem, ob copiam materiæ à capite ad illum affluentem, ut in hoc caſu; ſeu ad uenas colli, unde per conſenſum guttur ſtringitur. Ex palato non fit, cum anguſtus ſit meatus palati qui ad nares, & cerebrum uergit, ſeu à natura id fiat, qua ratione perſonantum ſtertunt aliqui, ſeu à morbo. 3. Adnota.

APHORISMVS LII.

Sed in ſomnis etiam an de oculis, &c.

Sicuti ad bonum morbi euentum febris in ſuperiori Aphoriſmo poſita eſt, ita hoc ad malum ſymptoma in oculis apparens deſcribit. Cõnexio

Album oculi in ſomno apparens, ſi non ex aliquo effluuio, aut medicamento accidat, ualde eſt perniciem. Intentio.

Rō intentionis. Vt demonſtret ex accidenti notiſſ. & in parte nobiliſſima ac primum in conſpectum uenienti quid ſperandu n ſit, & prætere a oculos in conſiderationem habendos, præcipuè cum medicus prædicere intendit.

Demonſtratio. Apparitio albi oculi in ſomno magnam indicat cerebri læſionem, modo ex aliqua euacuatione non eueniat; ergo ualde malum. Antecedens probatur: quia uel indicat magnam cerebri ſiccitatem ex natiui humoris conſumptione, unde conuulſio ſperatur; uel extremam uirtutis imbecillitatem, quæ claudere palpebras nequeat.

1. adnotatio. Quòd oculi tanti ponderis ſunt, vt ab illis Hipp. ſigna, & præcipuè, & maximè ſummenda putauerit in acutis morbis. Cum enim faciem primo in conſiderationem ponat, & in facie primas partes oculi teneant, fit, ut ab his magna ſumantur indicia; & præcipuè ipſius cerebri; ideo hic unum ſignum aſſumit dormire, inquam, non commiſſis coactè palpebris, ita ut appareat album oculi. Cum enim palpebra ipſius continuetur cum cerebri membrana duriori, & neruos recipiat & muſculos, fit, ut ſi non clauditur, uel maxima ſiccitas cerebri, uel extrema imbecillitas ſignificetur.

2. adnotatio. Quòd in hoc ſigno, ſicuti in alijs omnibus, ſemper remouere oportet cauſas externas; nam ſi tale accidens per aliquam cauſam externam accidat, vt ex aliqua uacuatione, uel fame, uel triſtitia, minus malum erit nec ita timendum. Præterea gloſſa ſententiam per communem aliam conſiderationem, vt ſi æger non ſit ita dormire aſſuetus; nam in his malum uel ex eo ſignificatur; quas duas conſiderationes ſemper Hipp. in unoquoque ſigno animaduertit, & id ipſum in prognaſtico addit, ubi hic idem ſignum poſuit.

3 adnotatio. Quòd non ſolum ſi non poſſit claudere palpebras malum eſt admodum, ſed ſi retorta fiat, aut pallida. Solet autem palpebra facile compati ad affectionis cerebri, quia ſicca eſt & tenuis, ideo ſiccitas cauſa eſt præcipua quod non claudatur omnino, ſeu illa ſit ratione Cauſa internæ, ut febris conſumentis, quo modo hic intelligitur, ſeu externæ exſiccantis ob aliquam euacuationem, aut ſenſilem, aut inſenſilem. Nec tamen ſi ex cauſa procedat externa non erit malum, ſed minus malum: quia durare non ſolet. Aliquando tamen à cauſa externa quod naſcitur ſymptoma, ſi per

Cōnexio. duret ob corporis apparatum iam tranſit inuitium internum, & non minus graue malum cenſeri debet.

APHO-

APHORISMVS LIII.

Deliratio quæ cum riſu fit tutior &c.

CVm de cerebri morbis in antecedentibus egiſſet, in hoc etiam aphoriſmo delirium accipit, quod etiam cerebri paſſio eſt celebris, & ualde perniciosa. Cōnexio.

Deliratio quę cum riſu fit tutior, quę uerò ſtudio adhibito periculoſior. Intentio.

Vt demonſtret ex ſymptomate apparenti non ſolum quid ſentiendum medico ſit de prognoſtico, ſe det de ſpecie morbi, à qua etiam curatio pendet. Rō intentionis.

Poteſt diuidi ſententia in duas partes, iuxta duas concluſiones quæ proponuntur in textu. Diuiſio.

Deliratio cum riſu cauſam habet benigniorem ea, quæ cum ſtudio: ergo minus periculoſa. Conſequens certum eſt. Antecedens probatur, ſiquidem quæ cum riſu eſt cauſam habet ſanguinem parum à ſua natura recedentem; ſtudioſa uò à ſanguine fit ad malignam qualitatem mutato. Demonſtratio.

Quòd delirium deprauatus motus eſt Princicis facultatis, qui eſt uel cũ febre, uel ſine febre. Et utroque modo, uel eſt cum riſu, uel ſine eo, & cum ſtudio. Si cum ſtudio, aut freribundum & audax, aut melancholicum, & timidũ eſt. Rurſus omne deliriũ uel eſt per eſſentiã in cerebro, uel per cōſenſum. Cęterũ aphoriſmus uerus eſt de omni delirij genere, ut ſemper cũ riſu ſit ſecurior, ſine eo uò periculoſior; quia diſpoſitio ſanguinis in delirio cum riſu parum recedit à natura ſua: at in ſtudioſo, ſeu furibundum ſit, ſeu timidum, multum. Adhuc autem ſi cum febre continua ſit delirium ſtudioſum, ferè mortale eſt; ſi ſine febre, ut in mania, uel melancholia ſanari rarò contingit. Et licet propoſitio hæc de omni delirio uera ſit, ſeu cum febre, ſeu ſine illa: Hipp tamen ſententia præcipuè de eo, quod cum febre, eſt, intelligitur. 1. adnotatio.

Quòd delirium cum febre continua durans phrenitidem ſignificat, ſeu riſibile, ſeu ſtudioſum, ſeu melancholicum ſit; quamuis exquiſita phrenitis potius ferina ſit quam melancholica. Oritur phrenſies cum inflammatur cerebrum, præcipuè ad partes interiores: neque enim neceſſe eſt ad omnem inflammationem cerebri uel membranarum eiuſdem ſequi delirium, ſicut uidemus in his, quorum craneum ſecatur in percuſſionibus inflammatam matrē ſine delirio. Verum ea res ita ſe habere uidetur, ſicuti de melãcholia dicebat Hipp. nam ſi ad animam uergat, facit melancholiam morbum, ſi ad corpus epilepſiã, ita etiam ſi ſucci facientes inflammationes in cerebro uergant ad animam, hoc eſt ad partes cerebri internas, facere delirium, ſi 2. adnotatio. Secundo epidemiorum.

vero ad corpus cerebri, hoc eſt ad partes cerebri exteriores, non item: Ideo aliquando uidemus adeo tumefieri cerebrum ad partes exteriores, ut ferè ſuturæ diſrumpantur.

3. Adnot. *Quòd Hipp. putauit magnam ſapientiæ partem eſſe poſitam in ſanguine, cumq; ſi in temperie fuerit prudentiæ eſſe inſtrumentum: deſipientiæ, quoties à ſua receſſerit natura, uel ad aliquem ſuccum tranſmutetur; tunc enim ſeu pertingat cor, ſeu cerebrum, rationem uitiat, quod deinceps rationis uitium peſſimum eſt inter ſymptomata. Læditur autem triplex facultas animæ, imaginatio, cogitatio, & memoria; aliquando uero ſolummodo una eorum.*

APHORISMVS LIIII.

In acutis paſſionibus cum febre, &c.

Cõnexio. *CVm de læſione mentis peſſimo ſymptomate in antecedenti Aphoriſmo determinaſſet, nunc de reſpiratione verba facit: nam ſicuti delirium accidens eſt animalis facultatis, ita reſpiratio cum gemitu uitalis.*

Intentio. *In acutis morbis cum febre quaſi gemituum ſuſpiria, malum.*

Rõ intentionis. *Vt ſignum notabile in febre acuta ad prædictionem ſcribat.*

Demonſtratio. *Reſpiratio ſuſpirioſa prauas affectiones ſignificat in acuta febre: ergo mala. Conſequens clarum eſt. Antecedens probatur: quia ſuſpiria illa cum febre acuta indicant, aut magnam uiſcerum oppreſſionem, aut malignitatem morbi inſignem opprimentis cor, aut virium languorem.*

1. adnotatio. *Quòd reſpiratio luctuoſa ſeu ſuſpirioſa tripliciter intelligi poteſt: aut talis, qualis pueris fit plorantibus, quam appellat Hipp. duplicem intus reuocationem: uel talis, qualis cogitabundis ex longo interuallo fit: aut denique quæ cum gemitu & luctu fit. Omnibus modis uera eſt ſententia; nam prima conuulſionem ſignificat, ſiquidem ſpiritus offendit & ex muſculis thoracis iam conuulſioni proximis oritur. Secundo modo etiam delirium portendere ſolet, magnum ardorem uiſcerum. Tertio modo malignitatem morbi, & virium imbecillitatem indicat.*

2. adnotatio. *Quòd morbus acutus, aut eſt ſine febre, quod rarò accidit, ut tetanos, & apoplexia; aut cum febre, ut ardens, vel phrenitis. Hipp. proponit acutum morbum cum febre, non quod in alijs etiam acutis ſine febre vera ſententia non ſit, ſed quia acuti morbi ferè cum febre iunguntur. Non eſt autem ita timendum hoc accidens in morbis non acutis, ut in dolore dentium, aut podagra, quibus ſuſpirare cogantur homines, ſed ſine periculo; ideo ſcripſit, acutos morbos.*

APHORISMVS LV.

Dolores Podagrici uere & autumno, &c.

Cõnexio. *FEcerat Hipp. ſupra mentionem de podagra eam remouens ab eunuchis, & pueris; nunc de tempore quo maximè illa affligere ſolet ſermo illi eſt.*

Intentio. *Dolores podagrici uere, & autumno ferè mouentur.*

Rõ intentionis. *Vt doceat hoc uno exẽplo omnes fluxiones per illa tempora ſolere uim ſuam exercere; ac perinde eò cum corpora ueniunt præſeruanda eſſe, ſeu purgatione, ſeu ſanguinis miſſione, & recta ratione uictus.*

Demonſtratio. *Vere & autumno præcipuè commouentur fluxiones: ergo illis temporibus dolores podagrici præcipuè fient, & mouebuntur. Antecedens probatur: quia uere funduntur humores, & uiæ patefiunt, & labor iam ingruit: at autumno impeditur tranſpiratio, & multa adeſt cacochymia.*

1. adnotatio. 3. Aphor. 19. *Quòd ſicuti de reliquis morbis dicitur, quod omnibus temporibus fieri poſſũt magis tamen in quibuſdam fieri & irritari; ita de podagra dicendum eſt. Et licet in omni tempore fieri poſſit, tamen oportuna tempora ſunt uer, & autumnus: uere enim, ut diximus, funduntur humores qui per hyemem coaceruati erant, & inter eos pituita præcipuè: at autumno homores abundant, qui æſtate tranſpirabant idque ob conſtipationem, & ideo bilis præcipue eo tempore mouetur; hinc fit, ut iſta duo tempora paratiſſimi ſint ad fluxiones. Maximè autem commouentur humores ad articulos, quppe qui laxi ſunt, & pauci caloris, & labore caleſcentes.*

2. adnotatio. *Quod ſicuti de podagra, ita etiam intelligendus eſt Aphoriſmus de omni morbo qui ex fluxione fit, & de omni abſceſſu qui per circuitum affligit; unde dolores gallici morbi & puſtulæ per ea tempora quoque ſolent affligere homines & illis etiam temporibus maximè præcauendi, & curandi ſunt. Licet autem autumnus ſit ueri contrarius, & morbus unius tẽporis contrarij ſoluatur ab alio, nihilominus non eſt inconueniens eundem morbum in contrarijs temporibus fieri, à diuerſis tamen cauſis.*

3. Adnot. *Quòd Cardanus in hoc Aphoriſmo modum ſanandi podagram innuit, quem ipſe ſecuriſſimũ appellat, ut ſcilicet homo ieiunus ſe exerceat uſque ad ſudorem; inde ponat ſe in lecto calido, & contectus pannis ſudet quouſque poteſt; & hoc faciat quotidie, uel ſemel, aut bis in hebdomada; & prandeat parum, ſitq; in loco calido ac ſicco clauſis feneſtris contectus, & continuet per annum: & certe non eſt a ratione alienum, ſiquidem per illam extretionem & ſudorem euocatur ad cutim materia podagræ: habet enim hic morbus difficillimam ſolutionem, ideo peregrinas curationes requirit.*

APHORISMVS LVI.

Morbis Melancholicis,&c.

Cõnexio. *CVm in antecedenti Aphoriſmo de tempore egiſset quo podagra affligere ſolet, quæ ſpecies quædam abſceſſus eſt; nunc de abſceſſibus, qui in melancholicis morbis fieri ſolent, ſermonem inſtituit.*

Intentio. *In morbis melancholicis abſceſſus periculoſi fiunt, aut enim apoplexiam, aut conuulſionem, aut maniam, aut cęcitatem ſignificant.*

Rõ Intentionis. *Vt demonſtret qui ſint mali abſceſſus ſperandi per melancholicos morbos, ac perinde ubi talis humor in corpore abundat diligenti cura tractandos eſſe ægros, ne incidant in tales morbos.*

Demonſtratio. *Melancholia humor eſt craſſus & tenax cerebrum præcipuè afficiens: ergo cum abſcedit ad illud prædicti morbi fient. Antecedens manifeſtũ eſt: nam melancholicus morbus ad cerebrum ſpectat, & animalis facultatis eſt deprauatum ſymptoma, ideo neceſſe eſt in eo morbo, aut per eſſentiam, aut per conſenſum affici cerebrum. Conſequens probatur: quia, cum fertur ad cerebri corpus melancholia, cõuulſionem, & epilepſiam pariet, ſicuti cum uentriculos obſtruit, & uenas iugulares apoplexiã, maximèq; humore corrupto & aſſato: quod ſi cerebrum ad oculi neruos, eum tranſmittat cęcitas oritur: adde ſurditatem, ſi ad aures: quamuis melancholię ea ſit craſſities, ut non facile ad meatum auditorium peruenire poſſit.*

1. Adnot. *Quòd per morbum melancholicum intelligenda affectio illa, qua ſine cauſa manifeſta homo triſtis eſt, & pauidus: uel etiam intelligere debes acutos morbos, in quibus melancholica ſe oſtendunt ſigna: de quibus pręcipuè loqui eum eſt uериſimile. De illis quoque quibus humores melancholici abundant, & lienoſi ſunt, & hypochondria habent tumida ſermo eſſe poteſt: cum enim lien amplius accipere non poteſt humorem atrum, tranſmittit ad corpus & ad partes ſuperiores vapores, unde in cerebro tales affectiones fieri ſolent: quamobrem debet medicus humorem euacuando, rectaque uictus ratione inſtituta, & alijs auxilijs, ne tales abſceſſus fiant, prouidere.*

2. adnotatio. *Quòd uerba illa (prr hæc tempora) ſignificant: aut quòd præcipue in uere, & autumno tales in melancholicis fiant, (ſicuti & de podagricis dictum eſt in antecedenti) ſiquidem uere & autumno melancholici morbi vigent, & fluxiones commouentur: aut ita intelligere oportet, quod abſceſſus fiant per hęc, remouendo tẽpora, ut uox hæc ſignificet morbos quos ſtatim ſubiungit, quo modo ſententia potius uidetur intelligenda eſſe: & licet etiam in morbis pituitoſis hæc fieri poſſint, tamen non eſt eorum tanta malitia, ut ita facile tales producere poſſint morbos.*

APHO-

APHORISMVS LVII.

Apoplexæ autem fiunt maximè, &c.

CVm mentionem feciſſet in antecedenti de apoplexia quæ ſequitur ad melancholicos morbos, nunc de tempore agit quo illa corripere ſolet homines. Conexio.

Apoplexiæ fiunt maximè à quadrageſimo ad ſexageſimum annum. Intentio.

Vt demonſtret qua ætate potiſſimum hic morbus ſoleat uagare, nec nõ per id temporis magnam habendam eſſe curam ſui ipſius, atque proinde potiſſimam huius morbi cauſam eſſe melancholiam. Rõ intentionis.

A quadrageſimo ad ſexageſimum annum bilis atræ fluxiones maximè fiunt: ergo eo tẽpore præcipue fiet apoplexia: fluxiones uerò commouentur, quia iam calor innatus languet. Adde homines per illud tempus robuſtos, non ita curare errores, ut comeſtiones, potationes, coitus, quãuis minus ferre poſſint: ergo fluxiones per illud tempus maximè commouentur. Conſequens probatur: quia rebelles fluxiones, quales ſunt quæ appoplexiam, & epilepſiam efficiunt, ex rebelli & atro humore fieri magis eſt veriſimile, quam ex pituitoſo: vnde ſcripſit Hipp. fluxiones bilis atræ omnium ferè magnorum morborum cauſas eſſe. Demonſt. 4. Aua.

Quòd non, ut putat Galenus, ſolum de appoplexia loquitur, quæ ab humore fit melancholico, ſed in uniuerſum de omni apoplexia, ſiquidem & à pituita prouenire ſolet, ſed dicit quod hic morbus, ab hoc humore potiſſimum, & in hac ætate fiat, ut ſanguineis, & boni habitus, ac robuſtis, & calidis hominibus. Et quanquam Hipp. Apoplexiam, quo nomine earum intelligit, proprium ſenum morbum (licet raro illo corripiantur) eſſe aſſerat, nihilominus eſt ueriſſimum, eam magis Melancholicis, dictarum ætatum, non ſolum ob pituitæ copiam & quibus ſcatent cruditates, ſed & propter melancholiam à qua maximè proficiſci conſueuit, euenire. 1. adnotatio. 3. Aphor. ultimo.

Quòd etiam epilepſia, cum & illa à melancholico humore fiat, & epileptici ferè ſint melancholici, deberet in hac ætate etiam fieri magis, quòd tamen non accidit? Die epilepſiam requirere præter repletionem malignam cerebri qualitatem, quæ ex natiuitate ſolet originem habere. 2. adnotatio.

APHORISMVS LVIII.

Si omentum exciderit, &c.

QVam connexionẽ habeat hic Aphoriſmus cum ſuperioribus, non eſt facilæ uidere: docet tamen caſum, qui, pro ut eſt ualde rarus, ita ma- Cõnexio

gna utilitatem cheirurgis allaturus eſt.

Intentio. *Si omentum exciderit neceſſario computreſcet.*

Rô intentionis. *Vt medicus aduertat cum excidit omentum & aeri exponitur, per aliquod vulnus, non remittendam, ſed reſecandam illam partem; alioquin reliquum corpus infectum iri putredine.*

Demonſtratio. *Omentum facilè refrigeratur, & calorem extraneum concipit: ergo ſi exciderit putreſcet. Antecedens probatur: quia pinguedine multa ſcatet, quæ à calido externo gelatur facilè, & nigreſcit: adde eſſe infectum qualitate inteſtinorum, & facilè ad putreſcendum paratum: adhuc autem ſi reponatur magis, ſiquidem tum calor intus adiuuabit putredinem.*

1. adnotatio. *Quòd omentum membrana eſt multo adipe referta, quæ pondet ex uētriculo, & inteſtina cooperit, adiuuatque coctionem & habet uenas multas, & cum tanquam ſacculus pendeat, facilè vulnerato abdomine excidere poteſt extra vulnus. Cum igitur ad aerē uenit ſtatim reponere oportet; alioquin putreſcet; quod ſi quando accidit, ſecare oportet, deligatione tamen facta ad partem ſanam, ne ſanguinis copia effluat, cuius periculum imminet ob vaſa quam plurima. Illud autem neceſſario putreſcere intelligere oportet, ſi aliquamdiu extra maneat, & non ſtatim reponatur.*

2. adnotatio. *Quòd omentum non ſolum extra excidit per uulnera, ſed intus etiam, & facit herniam, ut rupto uel relaxato peritoneo: ſed tunc omentum excidit & non putreſcit. Hoc autem membrum in tantam excreſcit magnitudinem adipoſis hominibus, ut uētrem ad tumorem maximum attollat, & mulieribus obturet os uteri; inde valde craſſis præter naturam impedimentum fit conceptionis.* Aphoriſ. 5. *Cum autem præciditur omentum, neceſſariū eſt coctionem vitiari, cum tanquam culcitra protendatur uentriculo, & inteſtinis.*

APHORISMVS LVIIII.

Quibus longo coxendicum dolore, &c.

Cōnexio. *CVm de podagricis morbis, qui ad articulos pedum pertinent, antea plura dixiſſet; nunc ad dolores coxę procedit, & ſententiam producit ualde notabilem.*

Intentio. *Caput femoris è loco excidens, & rurſus incidens, præcedente iam dolore, ex mucoſa ad eum locum pituita fit.*

Rô intentionis. *Vt luxationis iſtius cauſam dignoſcamus, quæ non modo in coxa, ſed etiā in omni articulo obſeruanda eſt, ac proinde ad dignotionem & curam utiliter Medicus procedere poſſit.*

Vbi

Vbi præceſſit Coxæ dolor,ſiue articulus,ſeu caput femoris, excidat & rurſus decidat,ex laxitate ligamenti fit: ergo ex pituita mucoſa eo loci adhęrente. Antecedens probatur: quia ex dolore pręcedente ſignum eſt materiam adeſſe in parte: at non poteſt excidere articulus remota cauſa aliqua manifeſta,niſi quia luxatur,& affectionem patitur paralyſi ſimilem.Conſequens ſequitur facilè:quoniam humidum quod in articulis continetur mucoſum eſt & ob frigiditatem eo confluentem tale fit. Demonſtratio.

Quòd os coxæ cum ſacro coniungitur & magnum eſt, & uaria habet nomina:parte enim ſuper pudēda os ilij uocatur:parte media os coxe,quia in ea eſt magna cauitas,in quam implantatur femoris caput;atq;hic articulus plurimum morbis obnoxius eſt & aſſiduis affligitur doloribus, tū quod profundam admodum habeat cauernam,tum quia iuxta partes humidas,& quaſi corporis ſentinas locatur,inteſtina,ueſicam,uterum, pudēda; tum etiam quia per illum locum ad crura magna uaſa tranſeunt: hinc fit ut ſæpe doloribus afficiatur,qui diuturni ſunt, & vehementer affligūt homines;maximè autem ex pituita eo loci confluente,& coaceruata. 1.adnotatio.

Quòd ſummum femoris excidere poteſt ad omnem partem,raro tamē in anteriorem,vel poſteriorem; frequenter ad latera; ſed frequentius ad partes externas: Vbi igitur facile è loco decidat femur, & facile etiam ex ſe,ſeu etiā ope medici recidat in locum,ſignum eſt mucoſam pituitam eo loci eſſe, & laxitatem articuli inducere: adde extenuationem cauſam quoq; eſſe,quod coxa excidat(nec enim bene nutritur coxa)ſicuti per hyemem bobus frequenter accidere ſolet coxæ luxatio ob gracilitatem. 2.adnotatio.

Quòd dixit diuturniorem præceſſiſſe dolorem:quia luxatio non facilis eſt in eo articulo niſi à diuturno dolore iam efficiatur,& debilitetur. Cæterum quod de coxa,idem de oſſe humeri & alijs articulis intelligendum uenit:nam humiditas in illis abundans, & laxans,atq; paralyſin inducens luxationes efficere ſolet.Dolent autem articuli,non ſolum ex fluxione humoris alicuius,ſed etiam cū deeſt in illis natiua humiditas,& exſiccatur. 3.Adnot.

APHORISMVS LX.

Quibus diutorno iſchiadico dolore,&c.

CVm de cauſa luxationis coxæ in antecedenti tractaſſet nunc curam illius proponit. Cōnexio.

Afflictis dolore coxæ ſi articulus excidat,ijs femur contabeſcit, & claudicant,niſi curentur. Intentio.

Vt ad prædictionem, & curam aptiſſimam ſententiam præſcribat,in doloribus coxę & doceat inter cętera remedia, uſtionem ſecuram atque efficax auxilium eſſe in his morbis; Rō intentionis.

Luxatio

Luxatio articuli infirmitatem inducit : ergo claudicatio & tabe fient, niſi uratur. Antecedēs declaratur: quia cum excidit articulus, non habet firmum hęrendi locum, & dolorem inducet, ideo neceſſe eſt claudicare ob inęqualitatem maximè : ſed nec rectè nutriri poteſt, quia imbecillitas partis, & intemperies, & dolor & materia ibi collecta impedit nutritionem, & quia munus ſuum articulus efficere nequit. Conſequens probatur: quoniā uſtio humiditatem conſumit, & cutem denſat, ideo facilè in locū recidet articulus & intemperies tolletur.

1.adnotatio. *Quòd cum talis dolor ex pituita fiat, quę ſeu per congeſtionē, ſeu per fluxionem in articulo colligitur, ideo tentare oportet curationem euacuādo, & exſiccando, & ubi malum non cedit ignem admouere oportet, & cruſtas inducere ad locum ipſius doloris, & ſupra articulum. Cæterum*

5.Epid. loco citato. *Hipp. curabat hos morbos uenę ſectione a poplitibus, purgatione, cucurbitulis, & demum uſtione, ut in Licone habes exemplum. Huiuſmodi enim dolor non repercutientia requirit, ſed euacuantia & temperantia : unde ſcripſit in hunc modum pro cura iſtius morbi : Cum coxendicus morbus à fluxione fiat, cucurbitam medicam affigere oportet, & foras trahere, & non ſcarificando pertundere, & calefactorijs medicamentis in potu exhibitis intus calefacere, quo exitus fiat cum foras ad cutim per cucurbitæ attractionem, tum intus ad uentrem per caliditatem : nam cum obturatus fuerit fluxus, & non habeat quo iter faciat, uiam ad articulos facit, & id quod cedit influit, & ſic coxendicum morbum inducit.*

F I N I S.

RODERICI A FONSECA,

In Septimum Aphoriſmorum Commentaria.

APHORISMVS I.

In morbis acutis frigus partium externarum malum.

SIcutiti hic liber præcedenti nectitur,ita etiam & hic Aphoriſmus ad præcedentes.In hoc itaq; libro, ſicuti in precedenti de ijs,quæ ſuperueniunt morbis,ſignis pertractatur; & cum ex ſymptomatibus frigiditas inſignis ſit,ideo de illa ſermonem incboatur. Cõnexio.

In morbis acutis frigus partium extremarum malum. Intentio.

Vt ex ſymptomate inſigni, uno tempe frigore in omni morbo acuto medicus ad malum prædicendum occaſionem habeat. Rõ intentionis.

Id,quod indicat morbi magnitudinem,vel illius uariam naturam,uel uirium imbecillitatem,malum: Sed tale eſt frigus partium extremarum in omni acuto morbo:ergo in omni acuto morbo frigus partium extremarum malum.Maior de ſe nota eſt.Minor probat: Nam ſi robur uirium adſit,magnus morbus ſignificatur in viſceribus, quaſi cucurbita trahens calorem: vel diuerſas febres à uaria materia progredientes horrificas:vel uirium debilitatem, non potente corde extendere calorem ad partes extremas. Demonſtratio.

Quód frigiditas partium eternarum,vel eſt cum ardore internarum, uel ſine eo. Iterum ea frigiditas, uel eſt à proprio, vel ſequitur poſtea. Rurſus utraque, vel eſt cum uirtute conſtante, vel proſtrata.Omnibus his modis mala eſt externorum frigiditas,nõ tamen æque mala in omnibus. Nam ubi uruntur interna cum ſiti,lethale eſt: Iam uero debili exiſtente ægro,mors propinqua eſt:at frigiditas quæ eſt à principio,non inflammatis viſceribus,non perinde mala eſt.Intelligitur autem in acutis morbis, qui ferè cum continua febre coniuncti ſunt: rigor uero aliquando iudicatorius eſt,frigiditas nequaquam. 1.Adnot.

Quòd extremorum frigus cauſam habet,uel inflammationem alicuius uiſceris, vel extremorum exſiccationẽ (ut in ardenti febre) aut uirtutis imbecillitatem,uel magnum dolorem,aut uentriculi morſum, aut uiarum 2 adnotatio.

inter-

interceptionem: quacunque ex cauſa ueniat malum exiſtimandum eſt, non tam ſemper lethale. Ideo differt hęc ſententia à quadrageſimaoctaua, quarti libri: illa enim de ſola febre acuta eſt, hæc de morbo acuto omni: illa ſupponit ardorem in uiſceribus & ſitim, hæc omnem frigiditatem amplectitur quacunque illa ſit: unde primo Epidemiorum ſæpe inter ſigna malignarum febrium, & inter immenſem extremorum refrigerationem ponit Hipoc. nec amplius recaleſcentem, & maximè ſi cum ſudore illo fiat diaphoretico frigido circa faciem & ceruicem.

APHORISMVS II.

Propter os ægrotans caro liuida, malum, &c.

Cõnexio. CVm de extremorum refrigeratione in antecedenti ſententia ſit locutus; nunc de liuore agit, qui frigoris effectus eſſe ſolet.

Intentio. *Propter os egrotans caro liuida malum.*

Rõ intentionis. *Vt demonſtret oſſium ægritudines, quę carnem liuidam facere poſsũt, exiſtimandas eſſe malas.*

Diuiſio. *Breuitas concluſionis diuiſionem non patitur.*

Demonſtratio. *Quod grauem affectionem, adhuc grauiorẽ oſtendit, malũ. Sed talis eſt liuor carnis ob oſſis ægritudinẽ: ergo propter os ægrotãs, caro liuida malũ.*

Maior de ſe nota eſt. Minor, probatur: nam omnis oſſis ęgritudo eſt grauis, quia partes ſolidæ & duriſsimę, & non niſi à magna cauſa lęſionem patiuntur: adde affectionem oſſis non ſemper liuidam carnem efficere, niſi cum adeo grauis eſt, ut putreſcat os ipſum.

1. adnotatio. *Quod liuor, vel procedit ex propria carnis affectione, vel ex oſſis ægritudine: primo modo minus malum eſt, quia reſecatione, vel ſcarificatione curari poteſt: at ex oſſe ſi procedat, non item, ſed os ſanare oportet, unde magnam oſſis putredinem ex carnis liuore ſignificari, ac perinde carnis liuorem, ob os ægrotans, malum dixit.*

2. adnotatio. *Quod oſſis ægritudo, vel caries eſt, uel teredo, vel deſquamatio, uel fractura, vel reſecatio, uel luxatio: à quacunque ex ĳs affetionibus fiat, caro liuida, malum: at grauius malum eſt, ubi magna adſunt vulnera, & peſſimũ in capite: nam lethale id ſignum eſt, ut in proghoſtico. Vlcus autem, ſiue prius factum fuerit, ſiue in morbo acceſſerit conſiderare oportet. Si enim periturus eſt homo, ante mortem liuidum aut ſiccum erit, aut pallidum & ſiccum.*

3. Adnot. *Quod ad oſſis corruptionem impoſſibile eſt non maculari cutem, ita ut neceſſe ſit fieri carnem, vel liuidam, uel rubram, aut otroque modo affectã. Ideo liuor omnis corrupti oſſis eſt ſignũ pathognomonicũ: idem etiã aſſidens erit ubi late diſtenditur. Liuet autem caro, quia ex oſſe manat ſanies,*

nies, quæ illius temperiem corrumpit. Cæterum non quia liuet caro, ideo ſemper emoritur, ſed colorem amittit natiuum. Cura igitur eſt, ut ſcarificemus locum, & ſanguinem extrahamus, & denuo, nudare os, & adurere, aut reſecare.

APHORISMVS III.

A vomitu ſingultus & oculorum rubor malum, &c.

CVm in antecedenti ſententia de colore carnis mutato egiſſet, qui ſuperuenit oſſi ægrotanti, nunc de colore oculorum mutato agit, qui ad uomitum accedit, & ſimul ſingultum adiungit, quod hæc ſymptomata inuicem copulentur, & ad eaſdem ſequantur cauſas. Cõnexio.

A uomitu ſingultus, & oculorum rubor malum. Intentio.

Vt oſtendat ex ijs ſymptomatibus grauem, aut cerebri, aut uentriculi affectionem ac iſtorum membrorum compaſſionem. Rõ intentionis.

Cum breuiter admodum hæc deſcribatur concluſio, non eſt quod illam diuidamus. Diuiſio.

Quæ indicant grauem cerebri, aut uentriculi affectionem, mala ſunt. Sed rubor oculorum, & ſingultus ex uomitu grauem, vel uentriculi, vel cerebri affectionem oſtendunt: ergo à uomitu ſingultus, aut oculorum rubor malum. Maior non indiget declaratione, cum de ſe nota ſit. Minor oſtenditur. Nam hæc duo ſigna, uel præſentem inflammationem uentriculi, aut cerebri, ſi febris adſit, oſtendunt, vel præſentem aut emineintem conuulſionem, quæ omnia ualde mala ſunt. Demonſtratio.

Quod ſingultus & rubor oculorum, ita ſe habeant, ut ſingultus propria ſit paſſio uẽtriculi, rubor uero oculorum magis approprietur cerebro. Ideo Hipp. in prognoſtico uituperat cum mala facie album oculi ſi rubrũ fiat, ſignificans cerebri inflammationem. Verum cum hic de febre mentionẽ non faciat, uidetur magis intelligere de violento uomitu minante conuulſionem, ut ex helleboro. Sequitur ſingultus tum ad mordicationem, tum ad inanitionem: rubor vero oculorum ad commotionem cerebri, unde ſanguis ad venas tranſmittitur. Supponit autem permanentem ruborem, quare communicata dignoſcuntur, cerebri affectio & apparatus ad inflammationem, vel conuulſionem. At cum febre iſta ſi iungantur, iam uel uentriculi, vel cerebri inflammatio ſignificatur. 1. adnotatio.

Quòd ſi cum fit uomitus, ſingultus & oculorum rubor fiant, ob mordacem humorem & commotionem, non ita mala ſunt at: ſi cum ex multo uomitu iſta fiant, uel perſeuerent cum prius adfuerint, uel cum non 2. adnotatio.

ad

ad fuerint aduenient, tunc malum admodum eſt; quoniam ſingultus qui uomitu ſedari ſolet ab eo inducitur. Hipp. igitur non ſic in uomitu ita damnauit ſingultum, & ruborem, ſicuti poſt uomitum. Hinc aduertant medici in exhibendis pharmacis, ne homines medicamentorum uehementia interficiant, quod non raro eueniſſe comperies, ſi hiſtorias Epidemiorum perlegas.

APHORISMVS IIII.

A ſudore horror, malum, &c.

Cõnexio. *SIcuti in Antecedenti damnauit ſingultum, & oculi ruborem, quid ad euacuationem peruomitum factam ſequitur. Ita nunc damnat horrorem, qui ad euacuationem ſuccedit, quæ per ſudorem fit.*

Intentio. *Horror ſuccedens ſudori, bonum non eſt.*

Rõ Intentionis. *Vt demonſtret uno particulari exẽplo, quod alibi protulit, iudicatoria non indicantia ſigna mala ubiq; eſſe; & perinde proponat duo maxima acutorum ſigna, & frequentia, quorum conſideratio ad ſalutem, & mortem magni momenti ſemper fuit, ſudorem, ſcilicet, & horrorem.*

Demonſtratio. *Si unde ſperatur horroris deletio, horror ſequatur, non bonum: Sed ex ſudore maximè ſperatur horroris ſedatio: Igitur ſi ab eo ſequatur, non bonum. Maior certa eſt. Minor demoſtrat: quia ſudor cauſam horroris, bilem ſcilicet, & pituitam euacuare ſolet.*

1. Adnot. *Quod horror, ut alibi diximus, medius eſt inter frigus & rigorem. At tamen de omnibus uerificari poteſt ſententia: horror tamen peior eſt rigore, quia ex duplici materia conſtare ſolet, bile ſcilicet, & pituita, eſtque proprius compoſitarum febrium. Nota tamen quod ſicuti ſe habent ad inuicem calidum & frigidum, ita ſudor & horror: nam (vt docet Hipp. in libro de ueteri medicina) Calidum & frigidum maxime cognatæ ſunt affectiones in eo, quod alterum alteri ſuccedit facillime, ut in febre poſt frigus calor ſequitur, & poſt calorem frigus. Ita etiam horrorem & rigorẽ ſolet ſequi ſudor, imò illa ſunt ſigna ſudoris.*

2. adnotatio. *Quod horror, qui à ſudore naſcitur, vel fit in febre intermittente, vel in febre continua. Rurſus horror qui ſuccedit ſudori, uel adhuc ſudante, uel eadem die poſt ſudorem, vel poſt duos, uel tres dies euenit. Quocunque modo accidat horror poſt ſudorem, nõ bonum: & ſi fuerit in intermittente febre minus malum: in febre autem continua, ſi poſt aliquot dies accidat, peius eſt, quam ſi eodem die; at eodem die ſi ſuccedet malum valde eſt, quia ſudor ille non poſt fiet, niſi ex uirtutis imbecillitate, ad quã horror ſuccedit, & ut malum ſignum, & ut mala cauſa. Omnis tandẽ horror, qui ad ſudorem ſequitur in continua febre, ſymptomaticus eſt, ſignificans,*

eans, vel diuerſas febres, vel uirium imbecillitatem; non tamen econtra: imo horror, ad quem ſequitur ſudor eum, criticus eſſe ſolet, unde qui febrē ardentem habuit ex rigore ſuperuenienti ſanari libro quarto prodidit.

APHORISMVS V.

Ab inſania, quam maniam Greci uocant, &c.

CVm de ſymptomatibus ad euacuationes ſuperuenientibus dixiſſet antecedentibus; nunc de morbis, qui alijs ſuccedunt uerba facit. Cōnexio.

Si maniæ ſuperueniant dyſenteria, aut hydrops, aut ecſtaſis, bonum. Intentio.

Vt demoſtret, quos in morbos tranſmutari ſoleat inſania: quare & ad prognoſticum & ad curationem utilis eſt præceptio. Rō intentionis.

Maius malum in minus mutari, bonum: ergo bonum eſt inſaniam vel in dyſenteriam, uel hydropem, uel mentis alienationem deſinere. Antecedens notum eſt. Conſequens deducitur. Nam dyſenteria quæ ſine vulcere eſt, & cruenta tantum, graue non eſt malum, de quo maximè intelligere uidetur: Imo ſalutare indicans malum ipſum. Hydrops à principio ſanari poteſt. Ecſtaſis autem ceu tranſmutatio in mente, hæc peior uidetur quam inſania; bonum tamen eſt ſignum, indicans affectionem permutari, & paulo poſt deſituram. Conſtat itaque grauius eſſe malum inſaniam, mentis peſſimam affectionem, quam reliqua prædicta.

Quod inſania uel eſt ſine febre, quæ proprie dicitur mania ſiue melancholia, vel cum febre, & dicitur phreneſis: de utraque uera eſt ſententia. Intelligit autem præcipue de ea, quæ ſine febre eſt, furioſa mentis affectione. Dyſenteriam uerò non eam, quæ cum vlcere fit, ſed quæ cruenti humoris eſt: dyſenteriam enim ab atrabile lethalem Hipoc. indicauit. Hydrops dupliciter contingere poteſt, aut quia in tranſitu humoris mala intemperies derelicta, morbi initium præbet; aut quia humor, uel in iecore, vel liene, vel inteſtinis, & meſe reo contentus, illius cauſa ſit. 1. Adnot.

Quod, uel ſignificat uehementem inſaniam, uel raptum quendam mentis quaſi ſtuporem, & admirationem; quocunq; modo intelligas bona eſt iſta tranſmutatio, primo modo bonum eſt ſignum, quia cum ualide augetur morbus, tunc quaſi criſis inſtat, & fit naturæ magnus conatus ad morbum ſuperandum. Secundo modo ſi accidat, ſignum eſt naturā ex iſta tranſmutatione quaſi in ſe reddere, & properare ad morbi exitum. 2 adnotatio.

Quod ex hoc Aphoriſmo medicus naturam imitans poterit tentare euacuationem per aluum. Sunt autem aptiſſima medicamēta helleborus, & Antimonium, licet ualida ſint, nec ſemel, ſed pluries repetenda: natura enim cum hydropem facit, non prima intentione id efficit, ſed mouens materiam 3. Adnot.

reſectione p[illegible]dant ſiquidem per illos ſolidarum partium humiditas abſumi ſolet, cibi autem faſtidium prohibet. Syncera item deiectio mordere ſolet inteſtina; unde nec retinetur, nec coquitur quidquam: quare ſyncera deiectione dyſenteriam prædicit infra.

Quod quamuis iſta duo ſymptomata in acuto morbo ſint mala, peiora tamen in longo cenſentur, quia in acuto morbo uires ualidæ ſunt, & inediæ ac morbi malignitati facile reſiſtere poſſunt, non ſic in longis, languente facultate: adde cibi faſtidium eſſe improportionatum longo morbo, quod in longo morbo refrigerari ſolet ventriculus, unde appetentia innaſcitur. Syncera item deiectio, magis accidit acuto morbo ob magnum calorem, ad quem ſequi ſolet. Et licet ſecundo libro laudet inappetentiā, non tamen contraria aſſerit, quia ibi loquitur abſolutè in corpore impuro, hic non, ſed reſpectiue: ibi in conualeſcentia, hic in morbo: ibi ſolū de inappetentia, hic de illa cum ſyncera deiectione. 3. Adnotatio.

APHORISMVS VII.

A multa potatione rigor & delirium malum, &c.

CVm ſupra de mania mentionem feciſſet, quæ delirij ſpecies eſt, nunc de delirio agit quod ad ebrietatem ſequitur: cumq; de horrore qui ad ſudorem ſequitur etiam dixiſſet, nunc de algore qui ad ebrietatem. Cōnexio

A multa potatione rigor ac delirium malum.

Vt oſtendat, non ſolum utilem ad prædictionem ſententiam, ſed quam peſſima ſit ebrietas; ſiquidem peſſima pariat ſymptomata, unde exitium ſit ſperandum. Intentio. Rō intentionis.

Quæ malum acutum, vel adeſſe, uel futurum indicant, mala: Sed talia ſunt rigor, & delirium à multa potatione: Ergo rigor & delirium à multa potatione mala. Maior clara eſt. Minor oſtenditur: quia, ubi ex uino rigor accidit cum delirio, iam phreniticam inſtare affectionē ex eo demonſtratur. Quod ſi percurras ægros in epidemio ab Hipp. deſcriptos, plures inuenies, quibus ebrietas & phrenitidis, & comatis, & peſſimarum affectionum fuit origo. Demonſtratio.

Quod hic non accipit delirium, leuem illam animi alterationem, quæ ex uino fit, ſed grauem & iam mētem occupantē, id quod ex rigore ſimul aprehendente percipitur: rigor enim cerebri & neruorum propaginem non mediocriter affici oſtendit. 1. adnotatio.

Quod uinum licet calidum ſit, refrigerat tamen dupliciter: uel quia humidum eſt & frigeſcit, obruens calidum innatum; uel quia ſua intenſa caliditate extinguit calidum noſtrum, cōſumens humidum. Horrorē autem ex uaporibus uini neruos pungentibus fieri eſt veriſimile, qui ſi deli- 2. adnotatio.

rium coniunctum habeat, iudicatorius eſſe non poteſt: quare uel extinctionem caloris, uel humorem prauum cum delirio oſtendit rigor à potatione, vnde acutus morbus & peſſimus oriri ſolet.

3. Adnot. *Quod unius uini exemplo Hipp. intelligendas vult omnes alias potiones, quæ uim, aut inebriandi habent, ut cereuiſis aliaſue decoctiones, quæ ex plantis fiunt & uim habent replendi caput & neruos. Fugienda itaque nimia uini potio, ſiquidem & breuis vitæ homines facit, & iecur adurit, caput & omne genus neruorum debilitat, omnium cruditatum eſt origo: unde podagræ, nephritides, apoplexiæ, paralyſis alijq; infiniti morbi gigni conſueuere.*

APHORISMVS VIII.

A tuberculi introrſum ruptione, &c.

Cõnexio. *CVm in antecedenti ſententia de ſymptomatibus egiſſet ebrietati ſuperuenientibus, quæ non adueniunt, niſi cum uini potentia altius penetrat; nunc de illis agit quæ interni tumoris abſceſſuſue eruptionem conſequuntur.*

Intentio. *A tuberculi introrſum eruptione, exolutio, uomitio, & animi defectus fit.*

Rõ intentionis. *Quo dignoſcat medicus, quæ mala ad puris eruptionem in uiſceribus ſequi ſoleant, & maxime ad uentriculum, ubi abſceſſum concipit.*

Demonſtratio. *Ad ruptionem abſceſſus in uentriculo, morſus ſequitur & ſpirituum multa euacuatio: ergo exolutio, uomitio, & animi defectus fient.*

Antecedens declaratur: Nam pus ſua natura mordicat, & putredine offendit: partes autem internæ multo abundant ſanguine: quare facta eruptione puris multus ſanguis & ſpiritus effluit. Conſequentia clare deducitur: pus enim mordicans & offendens copia irritat uentriculum ad uomitum: ex puris autem praua qualitate, nec non ſpirituum ac ſanguinis repentina uacuatione, exolutio fit, & animi defectus, unde ſcriptum

6. aphori. *eſt, hydropicis atque empyicis, ſi pus uniuerſum effluxerit, ſequi mortem de repente.*

1. Adnot. *Quod tuberculum hic intelligit uomicã in qua pus colligitur. Hæc uero fit uel in uẽtriculo, vel in alio uiſcere, pulmone ſcilicet, hepate et liene. Videtur autem hic ſermo eſſe de vẽtriculi tuberculo, quia in alijs uomitus nõ ſequitur, niſi diſiunctiue legamus, qđ uel uomitus, vel exolutio fiãt: tũc enim tubercula in alijs etiam partibus internis intelligere poſſumus. Ex uomicæ, aũt ruptione in pulmone, duos repente mortuos, refert Fernelius, cũ prius nullo fere malo affecti uiſi ſint, ante tamen ruptionem præceſſiſſe ſanguinis reiectationem. Vera etiam ſententia eſt de magna uomica, quæ*

prope

prope magnas uenas fit, & ad præcipua membra accedit, tunc uomitum intelligere oportet, non ſolum motum uentriculi, ſed omnem puris exitum, ſeu per os, ſeu per aluum.

APHORISMVS VIIII.

A ſanguinis profluuio deſipientia, &c.

CVm in antecedenti ſententia de ſymptomatibus egiſſet, quæ ad interni abſceſſus eruptionem pertinent, quatenus nimiam vacuationem ſequuntur, nunc de illis agit, quæ ad magnam ſanguinis effuſionem fiunt. Cõnexio.

A copioſo ſanguinis fluxu deſipientia, aut conuulſio malum. Intentio.

Vt demoſtret quando tam ad vltimum deuenit hæmorrhagia, ac perinde, moneat citiſſime reſtinguendum ſanguinem, ubi immoderate effluat, nec cum mittitur morbi ratione ad eam immodicam vacuationem veniendum, ad quam iſta ſequi poſſint. Rō intentionis.

Deſipientia aut conuulſio à ſanguinis nimia vacuatione, uel facultatis imbecillitatem, uel extremam ſiccitatem denunciatur: ergo mala. Demonſtratio.

Antecedens declaratur. Nam delirium ex debilitate contingit, conuulſio ſiccitatem ſequitur. Conſequentia clare ſequitur: quia peius malum eſt conuuulſio.

Quod ſanguinis effluuium hic intelligit quodcunque, ſeu è naribus ſeu utero, ſeu hæmorrhoidib. ſiue id à natura, ſiue ab arte, aut cauſa uiolenta fiat. Sed dices, cur mentionem non fecit deliquij animi, quod maximè ſequi ſolet effuſiones ſanguinis? quia deliquium non ita remotum eſt, imo remedium eſt effuſionis: ſequitur aūt maximè deliquium animi, cum repente ſanguis effluit; hanc ſequi ſolet conuulſio. Delirium vero, cum paulatim ſanguis effluit, durat tamen, & maximè ad eam hæmorrhogiam, quæ per nares fit, ſequi ſolet. 1. Adnot.

Quod ſanguis (ut ſcripſit Hipp.) maximè ad prudentiam facit, cum ſuam ſeruat naturam: At cum mutatur, prudentia perditur, vt mentē lædi neceſſe ſit. Mutatur autem ſanguis uel quia alteratur, vel quia deficit: deficiente aūt ſanguine, deficiunt ſpiritus inſtrumenta omnium operationum. Deſipientia hæc leuis eſt non furioſa, ſed potius cognoſcendi impotentia. At cum ſanguis alteratur et caleſcit, furibunda inſania oriri ſolet: ſtupida vero cum frigeſcit: ſed cum in melancholiam degenerat timoroſum fit delirium. 2. adnotatio. 4. de morbis.

Quod effuſionis ſanguinis remedia, quædam ad reuulſionem pertinent, quæ vel cum euacuatione ſunt & à parte oppoſita, vel ſine ea, per cucurbitas, ligaturas, frictiones, veſicatoria, medicamenta aſtringentia, ignem denique, uel vaſorum reſectionem fiunt. 3. Adnot.

APHORISMVS X.

Ab Ileo uomitus ſingultus, &c.

Cõnexio *SIcuti in antecedenti de ſæuis ſymptomatibus quæ a ſanguinis effuſione adueniunt tractauit, ita hic de illis quæ ileo ſuperueniunt, non minus grauioribus ſermonem inſtituit.*

Intentio. *Ab ileo vomitus, ſingultus, conuulſio & deſipientia, malum.*

Rõ intentionis. *Vt oſtendat tunc pernicioſum eſſe ileon, cum ad iſta deuenit accidentia.*

Demonſtratio. *Quæ ſigna in graui morbo indicant lædi uentriculum, & cerebrum, mala ſunt: Sed vomitus, ſingultus, & deſipientia in ileo indicant lædi uentriculum, & cerebrum in graui morbo: ergo mala ſunt.*

Maior vera eſt. Minor oſtenditur: Nam iliaca paſſio grauis admodum eſt & acuta: vomitus, & ſingultus, iam pati uentriculum clare oſtendunt, cum illius ſint paſſiones: deſipientia vero cerebri læſionis indicium eſt, ſicuti & conuulſio.

1. adnotatio. *Quod iſta ſymptomata ſeinuicem conſequuntur; nam ubi compatitur ventriculus ad inteſtina, uomitus ſequitur: ad uomitum ſingultus: Tunc ob conſenſum communicata cerebro affectione deſipientia, ac conuulſio ſuccedit, & iam morbus lethalis cenſeri debet, ubi iſta quatuor iunguntur ſymptomata. Sed vomitus cum fere ſit pathognomicus ilei, non ita formidandus, ſicuti ſingultus, at deſipientia formidabilis, & formidabilior conuulſio, præcipue gracilium.*

2. adnotatio. *Quod ileon affectio eſt inteſtinorum grauiſſima, quamuis etiam in craſſis fieri poſſit. Fit vero obturato inteſtino ſeu inflammatione, ſeu ſtercore, aut craſſa pituita adhærente ipſis inteſtinis: aut quia obuoluuntur, vt in hernia inteſtinali labantibus inteſtinis ad teſticulos, uel inguina. Nuper quidam baiulus per ſex menſes nil deiecit inferius, ſed euomebat cibos, & denique mortuus eſt. Putandum eſt concreuiſſe in eo inteſtinum. Non eſt autem neceſſarium, in ileo, ut nil deiciatur ſed parum aut nihil. Vomitus autem chyli ſequitur, ubi malum eſt in tenui inteſtino, ſed fecum, ubi in craſſis conſiſtit. Acutus autem ileos ex inflammatione inteſtini gracilis præcipue fieri ſolet.*

APH ORISMVS. XI.

A pleuritide Peripneumonia malum.

CVm in præcedentibus aphoriſmis de ſymptomatibus ſuperuenientibus ad uaria mala tractaſſet in prædictionem, nunc agit de pulmonia pleuritidi ſuccedente, qua in mutatione morbus morbo ſuccedit. Conexio.

A pleuritide peripneumonia malum. Intentio.

Vt oſtendat pleuritidem, cum occidit, ſolere in pulmoniam tranſmutari, & ſententiam ad mali euentum prædicendum proferat. Rō intentionis.

Quòd graui morbo ſuperueniens, illum auget, & minus curabilem reddit, malum: ſed talis eſt pulmonia ſuccedens pleuritidi: ergo mala. Maior clara eſt. Minor oſtenditur: nam ex pulmonis inflammatione, difficultas ſpirandi & febris augetur: quare & ut ſignum & ut cauſa pulmonis inflammatio pleuritudi ſuccedens mala eſt. Solet enim pleuritis per pulmonem expurgari. Cum uerò non poteſt pulmo id efficere, retinet ipſe materiam, & inflammatur, ex quo colligitur deſperata ſalus. Demonſtratio.

Quòd omnis materia in thorace contenta, educi ſolet per ſputum traslata ad pulmonem materia, raro enim aliam uiam natura in eo caſu inuenire ſolet. Hinc fit ut facilius, ex pleuritide fiat pulmonia, quam econtra quia rara eſt pulmonis ſubſtantia & ad ſuſcipiendum apta, & hic eſt unus modus, quo ex pleuritide pulmonia fieri ſolet, trãſitu ſcilicet materiæ: alius autem eſt, ut regurgitet ad uenas ſuperiores, inde in pulmonem ruat, eumque inflammet. 1. adnotatio.

Adde pulmonem in lateris dolorem agitari uehementer, & caleſcere, indeque ſanguinem attrahi, & perconſequens inflammari.

Quòd pulmonia ſuperuenire pleuritidi intelligitur, uel præſente adhuc plueritide aut declinante. Quocunque modo fiat, malum admodum exiſtimandum eſt. Nam à principio ſi fiat, duo magni morbi hominem uincunt: at ſi iam in declinatione accidat uiribus debilitatis, occidet; & hoc eſt quòd ſcripſit Hipp. de affectionibus: Cum morbus alteri ſuccedet, plerunque occidet, maxime ſi magno. At non ſi ex pulmonia pleuritis naſcatur, aut à peripneumonia fiat, maius etiam malum putandum eſt, quia eryſipelas magis ad intra uergit. 2. adnotatio.

Quòd peripneumonia eſt pulmonis inflammatio, q aliquãdo exquiſita dicitur, cũ ex sãguine optimo fit; aliquãdo uerò ad eryſipelas uergit et ædematoſa, p natura humoris q cũ ſanguine miſcetur; nõ.n. ſemp ſãguis pituitoſus 3. Adnotatio.

inflammat pulmonem, vt uulgo creditur, ſed bilioſus aliquãdo, unde eryſipelas naſcitur. Cæterum ſi ex angina in pulmonem mali fiat conuerſio, adhuc magis horrendũ cenſetur, quia ut infra dicetur, aut moriuntur egri ſuffocati aut ſupurantur.

APHORISMVS XII.

A peripneumonia phrenitis malum, &c.

Cõnexio. *Sicuti facile ad pulmoniam tranſit pleuritis, ubi ad malum uergit, ita ex pulmonia facile phrenitis ſequi ſolet; atque ita præſentem ſententiam poſt illam notauit Hipp.*

Intentio. *A pulmonia phrenitis malum.*

Rõ intentionis. *Vt oſtendat delirium eſſe pulmoniæ ſymptoma, quam familiare: & ſicuti in antecedenti, ſuccedens pulmonia pleuritidi, valde timẽda erat, ita hic phrenitis non minus horrenda, ſi pulmonis inflammationi adueniat.*

Demonſt. *Adeo eſt manifeſta ſententia, ut nulla egeat probatione: nam qui dubitare poteſt magnum ac lethalem morbum, qualis eſt phrenitis, malum indicare, ubi ſuccedit pulmoniæ. Sed ſi adeo clarum eſt, cur Hipp. id ſcribit, quippe qui ſolum obſcura ſcribat? An quod malum lethale hic ſignificat: adde, docere non ſolum id, ſed pulmoniam facile in phrenitidem mutari, cum ad perniciem tendit.*

1. adnotatio. *Quod phrenitis hic duo ſignificare poteſt: aut delirium quod per conſenſum ſequitur; aut iam ueram phrenitidem per eſſentiam factam. Primo modo ſi fiat, non ita timoroſum eſt, malum tamen exiſtimandum, quia morbi non ſolum adeſt magnitudo, ſed malignitas. De vera autem phrenitide ſi intelligamus, iam lethale eſt. Nec ſolum vera & exquiſita phrenitis mala eſt, ſi ſuccedat pulmoni inflammatio, ſed ea etiam quæ coma dicitur, & lethargus, & quilibet cerebri affectus grauis: ſolent enim morbi iſti ſuccedere pulmoni inflammato, quia facile materia euaporat ad caput; unde pro ratione uaporis delirium naſcitur, uel ſomnolentum, ac nigrum, uel furioſum, & uigil. Tunc ergo uera phrenitis dicetur, ſi cum inflammatione ſit, ſeu potius eryſipelas in cerebro conſiſtat.*

3. Adnot. *Quod pulmo ex membris eſt quæ facile ſuſcipiunt morbos, eos præcipue qui ſunt epidemioi, ac peſtiferi & maligni, quia aer, potiſſimum membrum illud ferit, & in magna copia continue hauritur ab eo: eaque eſt illius membri præſtantia, ut homines qui pulmonem debilem habent diuturnæ uitæ eſſe non poſſint, ſicut quibus fortes pulmones ſunt fortes & ſani degunt, ac diu uiuunt.*

APHO-

APHORISMVS XIII.

Propter ardores uehementes conuulſio,&c.

Cvm de ſuperuenientibus,vel morbis,uel ſyptomatibus ab Hipp. ſit iam inſtitutus ſermo, & in præcedenti de phrenitide pulmoniæ ſuperuenienti actum, nunc de conuulſione uerba facit quæ ardores excipit. Cõnexio.

Ob ardores uehementes conuulſio,aut tetanus,malum. Intentio.

Vt ex hoc ſymptomate poſſit medicus malum exitum prædicere. Rõ intentionis.

Conuulſio,aut tetanos ardoribus ſuperueniens,magnam cauſam oſtendit,& ægrum debilitat: ergo mala ſunt. Antecedens probatur: quia magnis ardoribus ſuccedens conuulſio,vel tetanus,aut ad ſiccitatem ſequitur, aut inflammationem,quæ magna ſunt mala. Sed & ut cauſa mala ſunt, quia ualde debilitant ægrum,& præcipue tetanos. Conſequens manifeſte ſequitur. Demonſtratio.

Quod hic Aphoriſmus differ à 66.4.libri & 67. quia in illis de febre ſolum loquitur: hic uero uniuerſaliorem profert ſermonem. Nam Galenus præter febrem comprehendit etiam quoſcunque ardores, ſeu intus, ſeu extra,ſeu à febre ſint,uel medicamento. At uerò,ſicuti conuulſio non raro febres ſequitur prauas,ita diſtentio difficile ad febres ſequi ſolet, cũ hæc paſſio magis,uel ad vulnerum ardores, vel frigiditates ſequatur. 1. adnotatio.

Quod Hipp. uidetur ſeparare conuulſionem à Tetano: nam licet Tetanus ſpecies ſit conuulſionis,Conuulſio tamen Hipocrati magis contractionem membrorum ſignificat,quam totius corporis diſtenſionem. Conuulſio itaque magis læſum cerebrum indicat: Diſtenſio uerò Spinam, & partem poſteriorem: ſubq; tetano emproſtotonon,& opiſtotonon comprehendere licet. 2. adnotatio.

APHORISMVS XIII.

Propter plagam in capite,&c.

Cvm in præcedenti de conuulſioue,quę ardoribus ſuperuenit mentionem feciſſet, modo de ſtupore ſeu deſipientia agit, quæ ad capitis percuſſionem ſequitur, quæ ſymptomata conuulſioni ſunt affinia. Cõnexio.

Propter plagam in capite acceptam ſtupor, aut deſipientia, malum. Intentio.

Vt oſtendat magna diligẽtia opus eſſe ad vulnera & ictus capitis ubi iſta appareant; ac perinde valde timendum eſſe, ſiquidem læſi cerebri ſint ſymptomata. Rõ intentionis.

Stupor aut deſipientia cerebrum læſum eſſe oſtendunt,in percuſſione capitis: Demonſtratio.

pitis: ergo mala. Antecedens probatur; quia illæ læſæ ſunt actiones ipſius cerebri; ſtupor quaſi ablata princeps facultas, deſipientia uero deprauata. Conſequens ſequitur; quia omnes cerebri læſiones ex percuſſione ſunt ualdè timendæ.

1. adnotatio. *Quod ſtupor affectionem cérebri dicit, qua homo non cognoſcit, aut obmuteſcit. Fit autem ex ualida percuſſione, vel compreſſis cerebri ventriculis fracta caluaria, vel inflammatis ex multo ſanguine repletis quo fluxione concitatur, ob ictum & dolorem; uel quia anima ſe colliget ad ſua diuerticula, ſicuti in ſomno, quaſi timore perculſa. Atque ſtupor accidere ſolet, & à principio, & poſt illud; deſipientia non item, ſed paulo poſt.*

2. adnotatio. *Quòd Hippocrates loquitur de ſtupore quocunq;, ſeu ſtatim adueniat, ſeu poſtea, ſed ubi diu durat eo magis eſt periculoſior. Solet autem primo ſtupor apprehendere, obturatis meatibus à materiæ copia; inde verò poſt ſtuporem facta inflammatione, delirium; rurſus ſtupor reſolutis partibus tenuioribus. Cæterum de ſymptomatibus ſuperuenictibus capitis percuſſionibus ita ſcripſit Hippocrates, quod optimum ſit non febricitare, neque ſanguinem erupiſſe, neq; inflammationem, neq; ſimul ullum dolorem acceſſiſſe: ſi verò quid horũ apparuerit, ſecuriſſimum eſſe, ut à principio fiat, & modico tempore permaneat; hæc ille, quæ ad ſtuporem & delirium reduci poſſunt. In ijs itaque magnis vulneribus & non ſolum capitis, ſed & cæterarum partium ſtatim ſanguinem mittere oportet, & tenuiſſima diæta uti & aperire vulnus & ſecare cranium præſertim ſi ea in parte, vel os fractum ſit, vel diſruptum, aut inciſum.*

APHORISMVS XV.

A ſanguinis ſputo puris ſputum, malum.

Cõnexio. *Sequitur ex inſtituto ſuo Hipp. & ſicut in antecedentibus, ita hic de ſuperuenienti ſigno agit, & proponit in medium ſanguinis ſputum, ſymptoma valde horrendum.*

Intentio. *A ſanguinis ſputo puris ſputio, malum.*

Rõ intentionis. *Multiplex eſt intẽtio primo vt doceat non ad oẽm ſanguinis ſputum ſequi pus: ſecundo, vt ex hoc ſigno medicus exitiũ prædicere poſſit: tertio, ut non apparente ſigno illa, bonum exitum: quarto Citiſſimam adhibendam curam ante quam ex ſanguinis ſputo fiat ſputum puris.*

Demonſtratio. *A ſanguinis ſputo pus ſi ſpuatur, uel ulcus in pulmone præſens, vel futurum indicatur, ergo malum. Antecedens probatur: quia in ſputo puris, neceſſe eſt, vel putrefactum ſanguinem in pus conuerti, vel gigni in ipſo vlcere; ſi hoc modo, iam vulcus adeſt; ſi primo modo, futurum eſt per*

eroſionem. Conſequens declaratur: Nam vlcera pulmonis, vel in totũ ſunt inſanabilia, uel difficillime ſanari poſſunt; tum quia membrum ſemper mouetur, tum quia expurgatione laceratur; tum etiam, quia difficile medicamenta eò peruenire poßunt.

Quòd iſte Aphoriſmus dupliciter legi poteſt: primo modo vt dicat, malum eſſe ſuccedere puris ſputationem ad ſanguinem: ſecundo modo vt à ſanguinis ſputio puris ſequatur ſputũ. Primus modus certior eſt, & uniuerſalior & ſemper verus: at ſecundus non item, quia pus non ſequitur ad omne ſanguinis ſputum, ut cum ex capite, aut gingiuis decidit; ſed nec cũ ex peripneumonia ex pulmone decidit. Quod ſi dicas intelligendũ Aphoriſmum de repentina ſanguinis cum tuſſi effuſione, nec ſic ſemper ſequitur pus, quia à principio poteſt reſtingui uena, & ſanguis ſiſti, at utplurimum ſequi ſolet pus iſtam ſpuitionem. 1. adnotatio.

Quòd iſte Aphoriſmus multa docet egregia: primo ad prædictionem in malum, cum pus ſuccedit: ſecundo ad ſpem cum pus non ſuccedit: tertio colligitur non omne vlcus pulmonis inflammabile eſſe, cum ſanari poſſit antequam pus educatur; ſed & verbum illud (malum) non ſemper pus lethale eſſe ſignificare: nec enim vlcus pulmonis euomens pus, ſemper inſanabile eſt, ut ſcripſit, Hipocrat. Eſt tamen difficilis curationis, obque id medicus ſtatim diligenti cura uti debet antequam ſanguis, qui per ſputum educi ſolet pus fiat, tum quietem & ſilentium ac minimam reſpirationem præcipiendo, tum tenuiſſime alendo; tum ſanguinem pluries à brachio mittens reuellendo. 2. adnotatio.

APHORISMVS XVI.

A puris ſputo phthiſis, & fluxio, &c.

Adeo nectitur hic Aphoriſmus antecedenti, vt fere unus cenſeatur cum illo. Cum enim de puris ſputo egißet, qui ad ſanguinis ſputum fit, nunc de tabe & fluxu agit qui puris ſputum ſequi ſolet. Cõnexio

Duas habet concluſiones Aphoriſmus, iuxta quas in partes duas ſecari poteſt: prima dicit ſputo puris ſuccedere tabem, & puris fluxionem; mortis tempus, ubi retineatur effluxus. Intentio.

Vt demoſtret cur malum ſit ſequi pus ad ſanguinis reiectationem, cũ ex eo tabes ſuccedat & mors; proinde & quid futurum ſit prædicere poſſit, & non ſolum mortem ſed tempus ipſius: adde quod cum retento ſputo moriantur, debet medicus uti his, quæ purgationem adiuuant, & ne fallatur cum vulgo, putans retentionem ſputi eſſe bonam in tabidis. Rõ intentionis.

Puris ſputum vlcus pulmonis iam factum, aut futurum indicat: Ergo tabem & puris effluuium. Antecedens ſupra declaratum eſt: nam uel Demonſtratio.

putreſcens

putreſcens pus ulcus facit, vel iam factum oſtendit. Conſequens ſequitur: quod tabes eſt pulmonis vlcus at neceſſe eſt educi ſanguinem & pus, ſiquidem hæc omne vlcus putre comitantur.

Demonſtratio. *Retento pure ſuffocantur ęgri; ergo moriuntur; Antecedens patet: quia pulmo repletur & cor, unde intercipitur reſpiratio. Conſequens manifeſtum eſt.*

1. Adnót. *Quod puris ſputum & ad inflammationem pulmonis, & lateris, & ad fluxiones ad eas partes, & ad vulnera, & ſanguinis effuſiones ſequi ſolet. Non eſt autem neceſſarium, ut ad omne puris ſputum tabes ſequatur; nam ex ſuppuratione, niſi intra dies quadraginta repurgentur, tabē*

5. aphori. *fieri dixit* Hipp. *ad ſanguinis reiectationes, citius, & frequentius tabes ſequi ſolet, de qua maximè loquitur, quia de illa in antecedenti ſermonem habuit.*

2. adnotatio. *Quod uox illa (fluxus) tribus modis exponi poteſt; uel pro alui fluxu; uel pilorum defluuio, uel puris. De duobus primis fluxionibus 5. Aphoriſmo ſcripſit. Ideo magis de puris effluxu intelligere oportet, quod per uerba illa indicatur. Cum uero retentum fuerit pus morietur. Duobus enim modis extinguntur tabidi, uel ex alui fluxu, cū pus ad uentriculum traſmittitur, vel ex ſuffocatione a quantitate materiæ, quam attrahunt pulmones ex capite, & caput à reliquo corpore, Hipp. teſte, atq; hi citius moriuntur quam illi: ſic nuper oſtendimus diſecto uiro qui ex tabe perierat, pulmones adeo plenos oſtendimus, ut impetu quodam aperto thorace pus eruperit; antq; putrefacti, & uarijs coloribus inſignitiſis ſane retento pure ſuffocatus eſt.*

APHORISMVS XVII.

Propter iecoris inflammationem, &c.

Cōnexio. *Nexus huius ſententiæ cum ſuperiori, pendet ex affinitate ſignorum: nam ſupra de pure & tabe ſuperuenientibus ſanguinis ſcreatui egit, nunc de ſingultu, qui ſuperuenire ſolet ad iecoris inflammationem tractat.*

Intentio. *Propter iecoris inflammationem ſingultus malum.*

Rō Intentionis. *Vt per hoc ſignum oſtendat magnitudinem inflammationis, ac proinde ſingultum non leue ſemper malum ſignificare.*

Demonſtratio. *Singultus ex inflammato iecore morbi uehementiam auget; ergo malus. Conſequens manifeſtum eſt. Antecedens probatur; quia cum eo deuenit malum, ut ſingultum efficiat, & ventriculum ad conſenſum trahat, in eo affectio grauis admodum eſt, & duplex afflictio naſcitur, cum à magna inflammatione, tum à ſingultu.*

Quod

Quòd inflammatio iecoris morbus grauis eſt, & acutus, hæc aliquando vera eſt inflammatio, aliquando ad eryſipelatis naturam accedit. Indiget autem medici accurati diligentia, ut diſtinguatur a pleuritide: diſtinguitur autem, quia dolor grauatiuus eſt, non pungens; adeſt & inappetentia, ſitis, nauſea, bilis uomitus, & eo grauiora erunt, quo cauam iecoris partem malum magis occupauerit: attamen in gibba maior eſt difficultas ſpirandi, & tuſſis: tumor quoque ut plurimum de ſe ſignificationem prebet tangenti. 1. Adnot.

Quod ſingultus à iecore inflammato multipliciter contingere poteſt, a ut, quia iecur ſua grauitate premit uentriculum; aut quia ad ipſum bilẽ transmittit, ſeu ſeroſum humorem, quia ſtomachum irritat; aut neruorum conſenſu. Quocunque modo fiat ſingultus, ſane malus eſt, tum quia ex eo morbi magnitudo ſignificatur, tum quia ille ſingultus ualde affligit ægrum, cum magnus ſit: unde, & ut ſignum, & ut cauſa damnandus eſt. Verum accuratè diſtinguendum, an ſingultus ille ex aliqua cauſa externa prodeat, an potius ex ipſa inflammatione; quia primo modo ſi accidat, nil mali ſignificat, nec boni; at ſi ſecundo modo eueniat, tum valde pernicioſus habendus. Diſtingues aut quia primo modo cum accidit non durat ſicuti alia ſymptomata, quæ ab externa cauſa eueniunt, ſecundo autem durat, & ualde affligit ægrotantem. 2 adnotatio.

APHORISMVS XVIII.

Propter vigiliam conuulſio, aut deſipientia, malum, &c.

CVm ſupra de Conuulſione egiſſet, quę cum ardoribus naſcitur, eamque malam pronunciaſſet, nunc de conuulſione agit, & deſipientia, quæ ad vigiliam ſequitur. Cõnexio.

Propter uigiliam conuulſio, aut deſipientia, malum. Intentio.

Vt quantum timendæ ſint uigilię demoſtret, quippe quas conuulſio & deſipientia grauiſſima mala ſequi ſoleant; ac perinde hæc cum ex vigilia ſuccedant, valde eſſe timenda. Rõ intentionis.

Conuulſio aut deſipientia propter vigiliam, peſſimam cauſam habent; ergo mala. Conſequens eſt manifeſtum. Antecedens probatur, quia conuulſio ſequens uigiliam, ſiccitatis eſt ſoboles, & potius ex inanitione contingit: deſipientia quoque cerebri precipuum munus offendens, ſymptoma eſt peſſimum in acuta febre, & ſine ea ualde malum. Veriſimile autem eſt, iſta non fieri niſi ad magnas uigilias & perpetuas: Vnde ſcripſit Hipp. peſſimum eſſe ſomnum nec nocte, nec interdiu capere poſſe, ſiquidem timendum, ne vel inſaniam uel perpetuus, & animi, & corporis dolor inde proueniant. Demonſtratio. In prog.

1. adnotatio. *Quod Aphoriſmus dupliciter intelligi poteſt, aut quod conuulſio, & deſipientia fiant ex uigilia, aut quod poſt uigiliam fiant: utroq; modo vera eſt ſententia. Nam cauſa, quæ vigilias parit, poterit eadem ratione, deſipientiam & conuulſionem parere, ſeu dolor ſit uehemens, ſeu etiam ſiccitas & ardor, unde non colligitur ſemper ex ſiccitate, & inanitione fieri uigiliam, & conuulſionem, cum ex dolore, & inflammatione fieri poſſit faciente uigilias. Sed dices, ſi uigilia eſt cauſa manifeſta, non ęque mala erit conuulſio, & deſipientia, quæ illam ſequitur, ac ſi ſine illa fiat. Dic vigiliam hic non cauſam eſſe manifeſtam, ſed ſequi internam cauſam ad facienda prædicta ſymptomata.*

2. adnotatio. *Quod Medicus ſumma openiti debet pro ſomno conciliando, tum cauſas ipſius uigiliæ demendo, tum ea exibendo, quæ ſomnum conciliant. Cauendo tamen ne narcoticis, & ſtupefacientibus utatur, ita ut malum in lethargum trãsferat Vtendũ itaq; eſt lactuca, papaueris ſemine, populeonis unguẽto, ſyrupp. de papauere, nam perpetuę uigilię præterquam quod minantur conuulſionem, & delirium, cauſa ſunt cruditatis & diſſipant innatum calorem.*

APHORISMVS XIX.

Ab oſſis nudatione Eryſipelas, &c.

Cõnexio *CVm de capitis percuſſionibus 14. Aphoriſmo egiſſet, in prognoſticũ ſcribens, ſtuporem & deſipientiã mala ſi illis ſuperueniant; In præſenti ſententia ſymptoma aliud proponit, quod ſi ad plagas ſuperueniat in capite malum cenſeri debet.*

Intentio. *Ab oſſis nudatione eryſipelas.*

Rõ intentionis. *Vt demoſtret os nudatum concitare fluxiones, unde eryſipelas fit, nec non etiam ſubaudiamus malum eſſe ubi tale accidens contingat.*

Demonſtratio. *Oſſe nudato fluxio concitatur: ergo ex eo fiet eryſipelas. Antecedens probatur, ſiquidem ſeu os nudatum ſit percuſſione, & plaga, ſeu contuſum ſit, ſeu corroſum, ſeu ruptum, ſeu luxatum, fluxio cõcitatur ad locũ, ut partem debilem & dolentem Conſequens probatur, quia cum facilis omniũ humorum ad fluxum ſit bilis, ideo ſequitur ut potius eryſipelas, quæ ex bile fit, quam alius tumor excitari debeat.*

1. adnotatio. *Quod Aphoriſmus dupliciter exponitur, vel quod ad oſſis nudationẽ ſequatur eryſipelas: vel quod ſi ſequatur nudationem malum ſit: & hic ſecundus ſenſus verior eſt quia non eſt neceſſarium ſequi eryſipelas ad oſſis omnem nudationem, quamuis ſatis probabile ſit, cum ex uiolentia nudatum ſit, & maximè in capite. Cum uerò eryſipelas ſequitur plagam magnam, non eſt adeo malum niſi, ut ſignum, ſignificans mor*

bi

bi magnitudinem, cauſa tamen poteſt eſſe bonum, quia ſi in magnis et prauis vulneribus tumor nõ appareat, ingens malũ. Verum id à principio ſi fiat, minus periculoſum eſt, quam poſtea, & in capitis vulneribus: at cum eryſipelas oſſis nudationem ſequitur ex antiquis vlceribus, aut oſſium malis, tunc malum eſt, & ut ſignum, indicans vlceris malignitatem (uidemus enim praua vlcera rubeſcere in circuitum) & ut cauſa; quia inflammatio prohibet curam. 1. Aphor.

Quod eryſipelas, uel eſt plegmonoſum & cum tumore, vel exquiſitum & ſine tumore: quouis modo appareat ex nudatione oſſis malum eſt, tum quia magnitudinem morbi ſignificat, tum quia difficilem curationem præbet. 2. adnotatio.

APHORISMVS XX.

Ab eryſipelate putredo, &c.

CVm in antecedenti de eryſipelate verba feciſſet, quod ſequitur oſſis nudationem, nunc de putredine agit & ſuppuratione, ſequentibus eryſipelata. Conexio.

Ab eryſipelate putredo, aut ſuppuratio, malum. Intentio.

Vt demoſtret eryſipelatis proprium non eſſe ſuppurari, ſed reſolui, & ideo malignum eſſe ubi ſuppuratio in eo naſcatur, & perinde erypelatis etiam, quod ex nudatione oſſis, uel cum ea fit, malum eſſe & ualde timendum. Rõ intentionis.

Putredo, aut ſuppuratio in eryſipelate, malignitatem oſtendunt: ergo mala. Conſequens clarum eſt. Antecedens probatur, quia cum eryſipelas fiat ex bile, humore (inquã) ſicco, & difficilis putrefactionis ac perinde facilis reſolutionis, ſi in eo fiat ſuppuratio, neceſſe eſt malignum eſſe, & ex prauis humoribus atque malignis prognatum. Sicuti autem difficile ſuppurat eryſipelas, ita inflammatio facile: at ſuppuratio eo etiam eſt, timoroſior, in eryſipelate, quo exquiſitior fuerit. Demonſtratio.

Quod eryſipelata de quibus Hipp. loquitur ut plurimũ ſunt phlegmonoſa, & ſolent maximè fieri circa faciem & labia. Fit autem putredo in illis, quia à valido calore extinguitur natiuus, & ſuffocatur à materia: ex incuria etiam medici plus refrigerantis quam decet, ſed & à malignitate humoris eryſipelas facientis, id progreditur non raro, & præcipue in peſte; vnde Hipp. ſcripſit in coſtitutione peſtifera ſubortos eſſe ignes ſacros, malignos, & multos interimentes, & maximè circa faciem, & caput, unde corroſiones & oſſium denudationes fiebant. 1. adnotatio.

Quod ſuppuratio putrefactio quædam eſt, ſed non prorſus preter naturam. At abſolute putredo ſignificat malignam conuerſionem, ſicuti mali- 2. adnotatio.

maligna ſuppuratio, putredinem. Seu igitur intelligas ueram ſuppuratio nem, ſeu putredinem, mala ſunt in eryſipelate: ſed mala valde eſt putredo ac corruptio, quia per eam prorſus uincitur natura partis; unde in conſtitutione illa allegata, tertio Epidemiorum ſcribit fluxionem illam non eſſe puri ſimilem, ſed aliam quandam putredinem uariam. Igitur dixit putredinem, aut ſuppurationem intelligens, uel ueram ſuppurationem, vel malignam: nam & putredo ſuppuratio quædam maligna eſt, & ſuppuratio putredo quædam.

APHORISMVS XXI.

A forti in vulneribus pulſu, &c.

Cõnexio. CVm de ſuppuratione in antecedenti verba feciſſet; nunc de pulſu ſermonem habet, qui affinis eſt, & quaſi ſignum ſuppurationis, & inflammationis.

A forti in vulneribus pulſu hæmorrhagia malum,

Intentio. Rõ intentionis. *Vt demoſtret ſanguinis fluxum qui pulſus ſequatur, in uulneribus non eſſe probandum, ac perinde medicum præcauere debere talem hæmorrhagiam.*

Demonſt. *Sanguinis fluxus in uulneribus, qui pulſum ſequitur fere reſtingui nequit: ergo malus. Antecedens probatur: quia ſignum eſt ſanguinis fluorem ex arterijs eſſe; pulſus enim in arterijs potiſſimum fit; at ſanguis ex arterijs effluens magno cum labore ſiſti poteſt.*

1. adnotatio. *Quod aphoriſmus alijs legitur ſine particula illa (malum) quia pulſus poterit indicare criticam expulſionem e naribus, aut alia parte. Sed mihi non probatur, quia pulſus in vulneribus non indicat criticam eductionẽ, niſi forte fiat in capite: ſecundo, quia ad pulſum in vulnere non ſequitur hæmorrhagia ſemper; nam vulneribus inflammatis, & ad ſuppurationẽ, conuerſis pulſus fieri ſolet; niſi dicas pulſum fortem intelligere, ad quem ſequi ſolet hæmorrhagia, ſanguine exitum querente.*

2. adnotatio. *Quod ubi medicus talem fore pulſum in vulneribus ſentit, non debet vulnus ſoluere, ſed ligatum conſeruare, & ea adhibere, quæ refrigerandi & expellendi uim habent, interim tamen cucurbitis, & alijs ingenijs ad aliam partem auertere, quia cum pulſus, aut ex arterijs ſanguinem educi ſignificent, aut inflammationem indicent, quocunque modo effluat ſanguis, difficile admodum ſiſti poteſt. Igitur ut plurimum uituperanda eſt vehemens pulſatio, & ſanguis ab ea manans: quod ſi vulnus ſanguinem fundat paulatim, malignum appellauit Hipp. Pulſus autem non ſolum in vulnere, ſed & in corde, qualiter eſt palpitatio, magnæ hæmorrhagiæ ſolet eſſe indicium.*

APHORISMVS XXII.

A diuturno partium ad uentrem attinentium, &c.

CVm de ſuppuratione antea ſit locutus, modo de ſigno ſuppurantem indicante uerba facit. Cõnexio.

A diuturno dolore partium ad uentrem attinentium ſuppuratio, malum. Intentio.

Aphoriſmum, & ad prædictionem, & ad curationem utilem dolorum in uentre conſiſtentium affert: medicus enim & futuram ſuppurationem prædicere, & ſuppurantibus uti remedijs ad leuandum eiuſmodi dolores debet. Rõ intentionis.

Diuturnus dolor in uentre abſceſſum indicat multæ & craſſæ materiæ; ergo ſuppurabit. Antecedens probatur: quia ſi ex intemperie, aut flatu, aut acri humore fieret, non eſſet diuturnus, & remedijs facile cederet. Conſequens probatur: quia cum omnis abſceſſus finiatur, uel reſolutione, uel ſuppuratione, vel in ſcirrum, aut putredinem degeneret, & talis reſolui non poſſit, quia craſſa eſt materia, & multa, nec in ſcirrum uerti, quia dolor adeſt (ſcirrus enim fere ſine dolore eſt,) neque putrefieri, quia non ita durare potuiſſet: ergo per ſuppurationem ſoluetur. Demonſtratio.

Quod dixit diuturnum dolorem, propterea, quia breuis, cauſam non habet fixam & per conſequens non indicat abſceſſum. Debet autem eſſe in uno loco, quia vagus magis intemperiẽ, & flatum oſtẽdit, ut in eo Aphoriſmo quarti libri de torminibus ſcripſit, qui non ſedatur ad medicamẽta, & in hydropem tranſire ſolent: item ſi talis dolor ad remedia vacuãtia, & reſoluentia non cedat, ſi febris adſit, & tranſeat vigeſimã diem, vt in prognoſtico ſcripſit, ſuppurãtur aũt citius, q duri ſunt tumores et ſupra umbilicum, tardius qui molles & infra. Aliquando autem fit ſuppuratio ſine ulla manifeſta febre ſine tumore ſed ex diuturno dolore cognoſcitur. At non ſequitur, ut ſi in uẽtre fiat ſuppuratio, dolor neceſſario comitetur, quia ſi tumor fiat in meſenterio, non eſt neceſſario aliquam febrem, aut dolorẽ præcedere. Sic apparet aliquando pus effundi per deiectionem nullo doloris ſenſu, quod aliquando celebres medicos magna admiratione contorſit; quod inde conſpicuum eſſe poteſt. Nam ab inflammatis inteſtinis & uentriculo, non ſine uehementi dolore prodiret, ex Iecoris vero, aut lienis inflammatione febris uehemens uigeret; renes etiam affecti per urinam expurgarentur. Itaque unum meſenterium reliquum eſt in abdominis capacitate, quod ſub illis notis inflammatione tentetur. 1. adnotatio.

Quod per uentrem intelligit totum abdomẽ a coſtis nothis, & mendoſis ad pectinem uſque. Alij quoque omnem uentris cauitatem intelligunt, & ma- 2. adnotatio.

& maximè thoracis, quod etiam uerum eſt. Infernum ventrem præcipue adduxit, quia in eo frequenter fit ſuppuratio. Cum itaq; talis appareat dolor nec ulla ratione leniri poſſit adiuuanda eſt ſuppuratio humidis emplaſtris, & unctionibus. In uentre ſuperiore fluxiones, citius perficiuntur, utpote loco calidiore: terminum vero poſuit illi, uigeſimam diem nō proindeq; quæ inferno ſunt uentre. Cæterum artificioſum valde eſt cognoſcere ſuppurationes, eas quæ obſcuræ ſunt, quæq; in conſpectum non uenire ſcripſit Hipp. aut ob craſſitiem loci, aut puris.

APHORISMVS XXIII.

A ſyncera deiectione dyſenteria, &c.

Cōnexio. C*Vm de dolore ventris inferni egiſset in ſuperiori ſententia, nunc de dyſenteria agit, quæ ad eum uentrem dolores afferre ſolet.*

Intentio. *A ſincera deiectione dyſenteria malum.*

Rō Intentionis. *Vt ex ea deiectione medicus vlcerationem inteſtinorum prædicere poſſit, & quoad poſſibile ſit, humorem tum reuellendo, & purgando tum temperando præcauere.*

Demonſtratio. *Deiectio ſyncera vlcerandi inteſtina uim habet: Ergo ab ea dyſenteria ſperanda. Antecedens probatur: quia ſyncera deiectio acris erodens eſt. Conſequens facile deducitur, ſi quidem vlcus inteſtini dyſenteria eſt.*

1. Adnot. *Quod ſyncerus humor dicitur quicunque humiditate natiua priuatus eſt, ſeu ſanguis ſit, ſeu bilis atra, aut flaua, pituita item ſalſa. Iſti enim humores omnes meraci & ſynceri dicuntur, cū acredinem concipiunt ob natiui humoris priuationem, quoniā exuruntur, & ideo colorē acquirunt veracē, frequenter autē ſyncera bilis uiſitur, ac cū minori periculo, quam alterius humoris. Pituita ſalſa ſecundum locum habet. Verum atra bilis raro dyſenteriam facit, & cum fuerit, lethalem parit. Sanguis ſemper cum educitur ſyncerus eſt, & dyſenteriam facit, quia omnis deiectio ſanguinis dyſenteria dicitur ſeu cum ulcere, ſeu ſine vlcere ſit.*

2. adnotatio. *Quod meracitas & ſynceritas nō ſolum in deiectionibus conſideratur, ſed vomitibus, ſputis, mucis, vrinis, & ſemper reprobanda eſt. Cæterum medicus ubi ſyncerum humorem per inferna excerni uidet & durare deiectionem, timere debet de dyſenteria; quamobrum humorem, euacuare debet, & tum potiones, tum etiam clyſteres, obtundentes adhibere, quo inteſtina defendant.*

APHO-

APHORISMVS XXIIII.

Ab oſſis vulnere deſipientia, &c.

CVm ſupra ſtuporem & deſipientiam, ad capitis percuſſionem ſuper uenientia damnaret, nunc docet quando iſta ſint ſperanda, & maximè deſipientia. Cõnexio.

Ab oſſis vulnere deſipientia, ſi in uacuum uſque penetrauerit, malum. Intentio.

Vt oſtendat quibus vulneribus, ac præcipue capitis. ſperanda ſit deſipientia, ac perinde magna cum diligentia tractanda eſſe. Rõ Intentionis.

Vulnera, quæ ad vacuum oſſis penetrant cerebrum lędunt: ergo deſipientia ſperanda. Antecedens probatur: quia caluaria de qua ſermo eſt, ſi præcidatur ad membranas vſque internas, ita ut lędantur, cerebrum læditur. Conſequens deducitur: quoniam in cerebro cognitio ſedet: igitur eo lęſo iſta princeps operatio lędetur. Solet autẽ Hipp. mentem appellare omnem internum ſenſum, & phantaſiam, & cogitationem, & memoriam intelligens. Demonſtratio.

Quod non ſemper præciſo craneo uſque ad uacuũ delirium ſequitur, ſed neque præciſis membranis ſemper: nam in ijs, in quibus ſecatur craneum ob læſionem, ad extrahendum pus, nullum ſequitur delirium. Non raro tamen ſequi ſolet ad præciſiones penetrantes, cum illis ſuccedit inflammatio. Cæterum non ſolum de oſſibus capitis, ſed de his, quæ ad ſpinam fiunt, ſi in uacuum penetrauerint, delirium prouenit: & uidi delirantem eſſe mortuum, cui cũ ad fauces punctum eſſet os, nec uidebatur vulnus, penetraſſe ad ſpinam, ſpinamq; fuiſſe offenſam veriſimili videbatur. 1. Adnotatio.

Quod deſipientia non eſt pathognomonicum accidens præciſe caluariæ, ſed cum in membranas læſio aduenit, & ſuccedit inflammatio, ſeu uera, ſeu eryſipelatodes, dummodo ad partes internas vergat, quia non omnis cerebri inflammatio deſipientiam facit, ſi ad partes cerebri externas vergat humor: id quod ex puella illa manifeſtum eſſe poterit. Hipp. autem de accidenti loquitur timoroſo, quod cerebro offenſo euenire ſolet, & cum pernicie ægri: ac perinde, ſi percuſſione, ſeu penetrante, ſeu non, cerebri appareat læſio. Hipp. ſectionem molitur, ſanguinem mittit, & purgat. Solet tamen ſtupor præcedere delirium, quia ob multitudinem materiæ primo fit ſtupor, inflammatione ſuccedente delirium. 2. adnotatio.

plicandi. Solet & ſanguinis miſſio eſſe illius remedium cum ab inflammatione procedit: at quia periculoſa eſt in grauida, poterit fieri in pauca quātitate à brachio, ad reuellendū, niſi ex pituita cōtingat mucoſa quæ educēda eſt clyſteribus: frigiditas cauſa ſi eſt calefacientibus propellenda.

2. adnotatio. *Quod per hanc affectionem multipliciter patitur uterus: communicatur primo .n. dolor, deinde acrimonia ex trāſitu humorum, accedit illa frequens excernendi conatus, qui mulierē debilitat. Sed quod maximè abortum inducere poteſt expreſſio eſt illa frequens qua laborant muſculi ab dominis; unde facile premitur infans & ad exitum commouetur. Cæterum 5. lib. uniuerſaliorem prodidit ſententiā. ſcribens ex copioſo alui fluxu abortum fieri: verum teneſmus licet ſub fluxu alui comprehendatur, peculiari tamen ratione magis ad abortum faciendum eſt aptior.*

APHORISMVS XXVIII.

Siue os, ſiue cartilago, ſeu neruus, &c.

REPETITVR hic Aphoriſmus lib. 6. ibique ſatis explanatus eſt.

APHORISMVS XXVIIII.

Si leucophlegmatia detento, &c.

Cōnexio. *CVm de uentris affectionibus dixiſſet in duobus antecedentibus, modo morbum proponit, qui ad ipſum uentrem pertinet & ab eo originem ducit, qui leucophlegmatia, ſeu pituita alba dicitur.*

Intentio. *Fortis diarrhea albæ pituitæ ſuperueniens, ſoluit morbum.*

Rō intentionis. *Vt non ſolum tali ſuperuenienti excretione medicus ſalutem prædicere poſſit, ſed & naturam imitando medicamenta purgantia in hoc morbo exhibeat & pluries educendo arte deniq; conſequatur id quod natura aliquando aſſequitur.*

Demonſtratio. *Fortis diarrhea cauſam tollit leucophlegmatiæ: ergo morbum. Conſequens certum eſt. Antecedens probatur, quia cum naturæ ſit impetus in morbis, talis eſt, vel cum uincit & critice, vel cū opprimitur, & vincitur: at in longis morbis non mouet natura ſymptomatice, niſi cum ualdè ſint depreſſa uires, quæ cum tales non ſint in hoc morbo, & maximè à principio, de quo intelligit, ſit ut pituita euacuata per talem diarrheam, tollatur quoq; morbus, cuius illa cauſa eſt.*

1. adnotatio. *Quod leucophlegmatia morbus eſt, per quem totum corpus ſolet tumere, & ad colorem album, vel ſubliuidum, uel ſubpallidū vergit; ſanguis enim per hunc morbum corrumpitur ad pituitam, & crudior euadit;*

quare

quare ad nutritionem ineptus redditur, ſeu id Iecoris uitio fiat, ſeu ex alia parte originem habeat, ſcilicet ex liene, aut uentriculo male officium ſuũ præſtantibus, fit & in grauidis mulieribus ob retentionem menſium. Vbi igitur non facta eſt intemperies, & fit mala in Iecore, aut aliquo alio viſcere, ſi diarrhea corripiat fortis, ſoluit morbum euacuans materiam, quæ in toto corpore eſt, & quæ in viſceribus obſtructionem facit; ea autem ratione lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperueniens, & hydropicis ſi aqua è uenis in uentrem confluxerit ſolui morbum ſcripſit antea.

Quod medicus imitando naturam debet purgantia adhibere medicamenta quæ deorſum euacuent, & reiterare illa dum morbus eſt in principio, & vires adhuc valẽt; attenuare etiam humorem, calefacere, & uiſcera roborare; eſt autem familiaris hic Aphoriſmus ijs, qui prauas aquas bibunt lacuſtres, uel paluſtes; ſed dices ſi ex pituita fit, quomodo color ille vergit aliquando ad ſub flauum, & ſubliuidum colorem. Dic, quia ſemper cum illa pituita miſcetur aliquid bilis, tam flauæ, quàm atræ, & quia corrumpitur pituita, inde valde ſiti re dixit Hipp. 1. adnotatio.

APHORISMVS XXX.

Quibus per diarrheas ſpumoſa, &c.

CVm in antecedenti ſententia de diarrhea, quæ albę pituite ſuperuenit ſermonem habuiſſet; nunc rurſus diarrheam in contemplationem aſſumens, notabilem profert ſententia. Cõnexio.

Quibus per diarrheas ſpumoſa ſunt alui excrementa his ex capite fluit. Intentio.

Vt per hoc ſignum locum affectum comprehendat medicus: eſt enim ab excreti ſubſtantia deſumptum. Fõ intentio.

Excrementa per aluum ſpumoſa cauſam in capite habent potiſſimam, & facile ad inteſtina aditum: ergo a capite uenient. Antecedens declaratur; quia duæ partes in corpore noſtro aptiſſimæ ſunt ad gignendum ſpiritum; pulmo, & caput: Sed in pulmone, qui continentur non habent manifeſtam nec facilem uiam ad aluum; Caput uerò magnas habet uenas, per quas ad inteſtina ſua deponere poteſt excrementa. Cæterum, tum ob calorem, tumultum acris & pulmo et caput ad ſpumam gignendam vim habent. Conſequens facile ſequitur, quia ſi non ex pulmone, ergo ex capite uenient ſpumoſa excrementa. Demoſtratio.

Quod ſpuma uel fit à calore colliquante, & ebullitionem faciente, ſicuti in olla ebulliente: uel fit ob flatum, qui pituitæ miſcet. Inter cætera autem membra caput pituita abundat, & illa quidẽ tenui, & flatu quoq; multo ob reſpirationem trahentibus naribus: quare ex capite, ore, & pul 1. adnotatio.

pitis: ergo mala. Antecedens probatur; quia illæ læſæ ſunt actiones ipſius cerebri; ſtupor quaſi ablata princeps facultas, deſipientia uero deprauata. Conſequens ſequitur; quia omnes cerebri læſiones ex percuſsione ſunt valdè timendæ.

1. adnotatio. *Quod ſtupor affectionem cérebri dicit, qua homo non cognoſcit, aut obmuteſcit. Fit autem ex ualida percuſſione, vel compreſſis cerebri ventriculis fracta caluaria, vel inflammatis ex multo ſanguine repletis quo fluxione concitatur, ob ictum & dolorem; uel quia anima ſe colliget ad ſua diuerticula, ſicuti in ſomno, quaſi timore perculſa. Atque ſtupor accidere ſolet, & à principio, & poſt illud; deſipientia non item, ſed paulo poſt.*

2. adnotatio. *Quòd Hippocrates loquitur de ſtupore quocunq;, ſeu ſtatim adueniat, ſeu poſtea, ſed ubi diu durat eo magis eſt periculoſior. Solet autem primo ſtupor apprehendere, obturatis meatibus à materiæ copia; inde verò poſt ſtuporem facta inflammatione, delirium; rurſus ſtupor reſolutis partibus tenuioribus. Cæterum de ſymptomatibus ſuperuenientibus capitis percuſſionibus ita ſcripſit Hippocrates, quod optimum ſit non febricitare, neque ſanguinem erupiſſe, neq; inflammationem, neq; ſimul ullum dolorem acceſſiſſe: ſi verò quid horū apparuerit, ſecuriſſimum eſſe, ut à principio fiat, & modico tempore permaneat; hæc ille, quæ ad ſtuporem & delirium reduci poſſunt. In ijs itaque magnis vulneribus & non ſolum capitis, ſed & cæterarum partium ſtatim ſanguinem mittere oportet, & tenuiſſima diæta uti & aperire vulnus & ſecare cranium præſertim ſi ea in parte vel os fractum ſit, vel diſruptum, aut inciſum.*

APHORISMVS XV.

A ſanguinis ſputo puris ſputum, malum.

Cōnexio. *Sequitur ex inſtituto ſuo Hipp. & ſicut in antecedentibus, ita hic de ſuperuenienti ſigno agit, & proponit in medium ſanguinis ſputum, ſymptoma valde horrendum.*

Intentio. *A ſanguinis ſputo puris ſputio, malum.*

Rō intentionis. *Multiplex eſt intētio primo vt doceat non ad oēm ſanguinis ſputum ſequi pus: ſecundo, vt ex hoc ſigno medicus exitiū prædicere poſſit: tertio, ut non apparente ſigno illo, bonum exitum: quarto: Citiſſimam adhibendam curam ante, quam ex ſanguinis ſputo fiat ſputum puris.*

Demonſtratio. *A ſanguinis ſputo pus ſi ſpuatur, uel ulcus in pulmone præſens, vel futurum indicatur, ergo malum. Antecedens probatur: quia in ſputo puris, neceſſe eſt, vel putrefactum ſanguinem in pus conuerti, vel gigni in ipſo vlcere; ſi hoc modo, iam vulcus adeſt; ſi primo modo, futurum eſt per*

eroſionem. Conſequens declaratur: Nam vlcera pulmonis, vel in totū ſunt inſanabilia, uel difficillime ſanari poſſunt; tum quia membrum ſemper mouetur, tum quia expurgatione laceratur; tum etiam, quia difficile medicamenta eò peruenire poßunt.

Quòd iſte Aphoriſmus dupliciter legi poteſt: primo modo vt dicat, malum eſſe ſuccedere puris ſputationem ad ſanguinem: ſecundo modo vt à ſanguinis ſpuitio puris ſequatur ſputū. Primus modus certior eſt, & uniuerſalior & ſemper verus: at ſecundus non item, quia pus non ſequitur ad omne ſanguinis ſputum, ut cum ex capite, aut gingiuis decidit; ſed nec cū ex peripneumonia ex pulmone decidit. Quod ſi dicas intelligendū Aphoriſmum de repentina ſanguinis cum tuſſi effuſione, nec ſic ſemper ſequitur pus, quia à principio poteſt reſtingui uena, & ſanguis ſiſti, at utplurimum ſequi ſolet pus iſtam ſpuitionem. 1. adnotatio.

Quòd iſte Aphoriſmus multa docet egregia: primo ad prædictionem in malum, cum pus ſuccedit: ſecundo ad ſpem cum pus non ſuccedit: tertio colligitur non omne vlcus pulmonis inflammabile eſſe, cum ſanari poſſit antequam pus educatur; ſed & verbum illud (malum) non ſemper pus lethale eſſe ſignificare: nec enim vlcus pulmonis euomens pus, ſemper inſanabile eſt, ut ſcripſit, Hipocrat. Eſt tamen difficilis curationis, obque id medicus ſtatim diligenti cura uti debet antequam ſanguis, qui per ſputum educi ſolet pus fiat, tum quietem & ſilentium ac minimam reſpirationem præcipiendo, tum tenuiſſime alendo; tum ſanguinem pluries à brachio mittens reuellendo. 2. adnotatio.

APHORISMVS XVI.

A puris ſputo phthiſis, & fluxio, &c.

Adeo nectitur hic Aphoriſmus antecedenti, ut fere unus cenſeatur cum illo. Cum enim de puris ſputo egiſſet, qui ad ſanguinis ſputum fit, nunc de tabe & fluxu agit qui puris ſputum ſequi ſolet. Cōnexio

Duas habet concluſiones Aphoriſmus, iuxta quas in partes duas ſecari poteſt: prima dicit ſputo puris ſuccedere tabem, & puris fluxionem; mortis tempus, ubi retineatur effluxus. Intentio.

Vt demoſtret cur malum ſit ſequi pus ad ſanguinis reiectationem, cū ex eo tabes ſuccedat & mors; proinde & quid futurum ſit prædicere poſſit, & non ſolum mortem ſed tempus ipſius: adde quod cum retento ſputo moriantur, debet medicus uti his, quæ purgationem adiuuant, & ne fallatur cum vulgo, putans retentionem ſputi eſſe bonam in tabidis. Rō intentionis.

Puris ſputum vlcus pulmonis iam factum, aut futurum indicat: Ergo tabem & puris effluuium. Antecedens ſupra declaratum eſt: nam uel Demonſtratio.

putreſcens

putreſcens pus ulcus facit, vel iam factum oſtendit. Conſequens ſequitur: quod tabes eſt pulmonis vlcus at neceſſe eſt educi ſanguinem & pus, ſiquidem hæc omne vlcus putre comitantur.

Demonſtratio. *Retento pure ſuffocantur ægri; ergo moriuntur; Antecedens patet: quia pulmo repletur & cor, unde intercipitur reſpiratio. Conſequens manifeſtum eſt.*

1. Adnót. *Quod puris ſputum & ad inflammationem pulmonis, & lateris, & ad fluxiones ad eas partes, & ad vulnera, & ſanguinis effuſiones ſequi ſolet. Non eſt autem neceſſarium, ut ad omne puris ſputum tabes ſequatur; nam ex ſuppuratione, niſi intra dies quadraginta repurgentur, tabẽ*
5. aphori. *fieri dixit Hipp. ad ſanguinis reiectationes, citius, & frequentius tabes ſe qui ſolet, de qua maximè loquitur, quia de illa in antecedenti ſermonem habuit.*

2. adnotatio. *Quod uox illa (fluxus) tribus modis exponi poteſt; uel pro alui fluxu; uel pilorum defluuio, uel puris. De duobus primis fluxionibus 5. Aphoriſmo ſcripſit. Ideo magis de puris effluxu intelligere oportet, quod per uerba illa indicatur. Cum uero retentum fuerit pus morietur. Duobus enim modis extinguntur tabidi, uel ex alui fluxu, cũ pus ad uentriculum traſmittitur, vel ex ſuffocatione a quantitate materiæ, quam attrahunt pulmones ex capite, & caput à reliquo corpore, Hipp. teſte, atq; hi citius moriuntur quam illi: ſic nuper oſtendimus diſecto uiro qui ex tabe perierat, pulmones adeo plenos oſtendimus, ut impetu quodam aperto thorace pus erupercrit; antq; putrefacti, & uarijs coloribus inſignitis ſane retento pure ſuffocatus eſt.*

APHORISMVS XVII.

Propter iecoris inflammationem, &c.

Cõnexio. *Nexus huius ſententiæ cum ſuperiori, pendet ex affinitate ſignorum: nam ſupra de pure & tabe ſuperuenientibus ſanguinis ſcreatui egit, nunc de ſingultu, qui ſuperuenire ſolet ad iecoris inflammationem tractat.*

Intentio. *Propter iecoris inflammationem ſingultus malum.*

Rõ Intentionis. *Vt per hoc ſignum oſtendat magnitudinem inflammationis, ac proinde ſingultum non leue ſemper malum ſignificare.*

Demonſtratio. *Singultus ex inflammato iecore morbi uehementiam auget; ergo malus. Conſequens manifeſtum eſt. Antecedens probatur; quia cum eo deuenit malum, ut ſingultum efficiat, & ventriculum ad conſenſum trahat, in eo affectio grauis admodum eſt, & duplex afflictio naſcitur, cum à magna inflammatione, tum à ſingultu.*

Quod

Quòd inflammatio iecoris morbus grauis eſt, & acutus, hæc aliquando vera eſt inflammatio, aliquando ad eryſipelatis naturam accedit. Indiget autem medici accurati diligentia, ut diſtinguatur a pleuritide: diſtinguitur autem, quia dolor grauatiuus eſt, non pungens; adeſt & inappetentia, ſitis, nauſeca, bilis uomitus, & eo grauiora erunt, quo cauam iecoris partem malum magis occupauerit: attamen in gibba maior eſt difficultas ſpirandi, & tuſſis: tumor quoque ut plurimum de ſe ſignificationem prebet tangenti. 1. Adnot.

Quod ſingultus à iecore inflammato multipliciter contingere poteſt, aut, quia iecur ſua grauitate premit uentriculum; aut quia ad ipſum bilē transmittit, ſeu ſeroſum humorem, quia ſtomachum irritat; aut neruorum conſenſu. Quocunque modo fiat ſingultus, ſane malus eſt, tum quia ex eo morbi magnitudo ſignificatùr, tum quia ille ſingultus ualde affligit ægrum, cum magnus ſit: unde, & ut ſignum, & ut cauſa damnandus eſt. Verum accuratè diſtinguendum, an ſingultus ille ex aliqua cauſa externa prodeat, an potius ex ipſa inflammatione; quia primo modo ſi accidat, nil mali ſignificat, nec boni; at ſi ſecundo modo eueniat, tum valde perniecioſus habendus. Diſtingues aut quia primo modo cum accidit non durat ſicuti alia ſymptomata, quæ ab externa cauſa eueniunt, ſecundo autem durat, & ualde affligit ægrotantem. 2 adnotatio.

APHORISMVS XVIII.

Propter vigiliam conuulſio, aut deſipientia, malum, &c.

CVm ſupra de Conuulſione egiſſet, quę cum ardoribus naſcitur, eamque malam pronunciaſſet, nunc de conuulſione agit, & deſipientia, quæ ad vigiliam ſequitur. Cõnexio.

Propter uigiliam conuulſio, aut deſipientia, malum. Intentio.

Vt quantum timendæ ſint uigilię demoſtret, quippe quas conuulſio & deſipientia grauiſſima mala ſequi ſoleant; ac perinde hæc cum ex vigilia ſuccedant, valde eſſe timenda. Rõ intentionis.

Conuulſio aut deſipientia propter vigiliam, peſſimam cauſam habent; ergo mala. Conſequens eſt manifeſtum. Antecedens probatur, quia conuulſio ſequens uigiliam, ſiccitatis eſt ſoboles, & potius ex inanitione contingit: deſipientia quoque cerebri precipuum munus offendens, ſymptoma eſt peſſimum in acuta febre, & ſine ea ualde malum. Veriſimile autem eſt, iſta non fieri niſi ad magnas uigilias & perpetuas: Vnde ſcripſit Hipp. peſſimum eſſe ſomnum nec noctè, nec interdiu capere poſſe, ſiquidem timendum, ne vel inſaniam uel perpetuus, & animi, & corporis dolor inde proueniant. Demonſtratio. In prog.

Quod

1. adnotatio. *Quod Aphoriſmus dupliciter intelligi poteſt, aut quod conuulſio, & deſipientia fiant ex uigilia, aut quod poſt uigiliam fiant: utroq; modo vera eſt ſententia. Nam cauſa, quæ vigilias parit, poterit eàdem ratione, deſipientiam & conuulſionem parere, ſeu dolor ſit uehemens, ſeu etiam ſiccitas & ardor, unde non colligitur ſemper ex ſiccitate, & inanitione fieri uigiliam, & conuulſionem, cum ex dolore, & inflammatione fieri poſſit faciente uigilias. Sed dices, ſi uigilia eſt cauſa manifeſta, non ęque mala erit conuulſio, & deſipientia, quæ illam ſequitur, ac ſi ſine illa fiat. Dic vigiliam hic non cauſam eſſe manifeſtam, ſed ſequi internam cauſam ad facienda prædicta ſymptomata.*

2. adnotatio. *Quod Medicus ſumma openiti debet pro ſomno conciliando, tum cauſas ipſius uigiliæ demendo, tum ea exibendo, quæ ſomnum conciliant. Cauendo tamen ne narcoticis, & ſtupefacientibus utatur, ita ut malum in lethargum trãsferat Vtendũ itaq; eſt lactuca, papaueris ſemine, populeo nis unguẽto, ſyrupp. de papauere, nam perpetuę uigilię præterquam quod minantur conuulſionem, & delirium, cauſa ſunt cruditatis & diſſipant innatum calorem.*

APHORISMVS XIX.

Ab oſſis nudatione Eryſipelas, &c.

Cõnexio *CVm de capitis percuſſionibus 14. Aphoriſmo egiſſet, in prognoſticũ ſcribens, ſtuporem & deſipientiã malæ ſi illis ſupereueniant; In præſenti ſententia ſymptoma aliud proponit, quod ſi ad plagas ſuperueniat in capite malum cenſeri debet.*

Intentio. *Ab oſſis nudatione eryſipelas.*

Rõ intentionis. *Vt demoſtret os nudatum concitare fluxiones, unde eryſipelas fit, nec non etiam ſubaudiamus malum eſſe ubi tale accidens contingat.*

Demonſtratio. *Oſſe nudato fluxio concitatur: ergo ex eo fiet eryſipelas. Antecedens probatur, ſiquidem ſeu os nudatum ſit percuſſione, & plaga, ſeu contuſum ſit, ſeu corroſum, ſeu ruptum, ſeu luxatum, fluxio cõcitatur ad locũ, ut partem debilem & dolentem Conſequens probatur, quia cum facilis omniũ humorum ad fluxum ſit bilis, ideo ſequitur ut potius eryſipelas, quæ ex bile fit, quam alius tumor excitari debeat.*

1. adnotatio. *Quod Aphoriſmus dupliciter exponitur, vel quod ad oſſis nudationẽ ſequatur eryſipelas: vel quod ſi ſequatur nudationem malum ſit: & hic ſecundus ſenſus veriora eſt quia non eſt neceſſarium ſequi eryſipelas ad oſſis omnem nudationem, quamuis ſatis probabile ſit, cum ex uiolentia nudatum ſit, & maximè in capite. Cum uerò eryſipelas ſequitur plagam magnam, non eſt adeo malum niſi, ut ſignum, ſignificans morbi*

bi magnitudinem,cauſa tamen poteſt eſſe bonum,quia ſi in magnis et prauis vulneribus tumor nõ appareat,ingens malũ. Verum id à principio ſi fiat,minus periculoſum eſt,quam poſtea,& in capitis vulneribus:at cum eryſipelas oſſis nudationem ſequutur ex antiquis vlceribus, aut oſſium malis,tunc malum eſt,& ut ſignum,indicans vlceris malignitatem(uidemus enim praua vlcera rubeſcere in circuitum) & ut cauſa; quia inflammatio prohibet curam. 5.Aphor.

Quod eryſipelas,uel eſt plegmonoſum & cum tumore,vel exquiſitum & ſine tumore: quouis modo appareat ex nudatione oſſis malum eſt,tum quia magnitudinem morbi ſignificat, tum quia difficilem curationem præbet. 2. adnotatio.

APHORISMVS XX.

Ab eryſipelate putredo, &c.

CVm in antecedenti de eryſipelate verba feciſſet, quod ſequitur oſſis nudationem,nunc de putredine agit & ſuppuratione,ſequentibus eryſipelata. Conexio.

Ab eryſipelate putredo,aut ſuppuratio,malum. Intentio.

Vt demoſtret eryſipelatis proprium non eſſe ſuppurari,ſed reſolui,& ideo malignum eſſe ubi ſuppuratio in eo naſcatur, & perinde erypelatis etiam, quod ex nudatione oſſis,uel cum ea fit,malum eſſe & ualde timendum. Rō intentionis.

Putredo, ut ſuppuratio in eryſipelate,malignitatem oſtendunt: ergo mala. Conſequens clarum eſt. Antecedens probatur,quia cum eryſipelas fiat ex bile,humore (inquã) ſicco, & difficilis putrefactionis,ac perinde facilis reſolutionis,ſi in eo fiat ſuppuratio, neceſſe eſt malignum eſſe, & ex prauis humoribus atque malignis proguatum. Sicuti autem difficile ſuppurat eryſipelas,ita inflammatio facile: at ſuppuratio eo etiam eſt, timoroſior,in eryſipelate,quo exquiſitior fuerit. Demonſtratio.

Quod eryſipelata de quibus Hipp.loquitur ut plurimũ ſunt phlegmonoſa,& ſolent maximè fieri circa faciem & labia.Fit autem putredo in illis,quia à valido calore extinguitur natiuus, & ſuffocatur à materia:ex incuria etiam medici plus refrigerantis quam decet; ſed & à malignitate humoris eryſipelas facientis, id progreditur non raro, & præcipue in peſte; vnde Hipp. ſcripſit in coſtitutione peſtifera ſubortos eſſe ignes ſacros,malignos,& multos interimentes,& maximè circa faciem, & caput,unde corroſiones & oſſium denudationes fiebant. 1.adnotatio.

Quod ſuppuratiõ putrefactio quædam eſt, ſed non prorſus prętεr naturam. At abſolute putredo ſignificat malignam conuerſionem, ſicuti mali- 2. adnotatio.

maligna ſuppuratio, putredinem. Seu igitur intelligas ueram ſuppuratio nem, ſeu putredinem, mala ſunt in eryſipelate: ſed mala valde eſt putredo ac corruptio, quia per eam prorſus uincitur natura partis; unde in conſtitutione illa allegata, tertio Epidemiorum ſcribit fluxionem illam non eſſe puri ſimilem, ſed aliam quandam putredinem uariam. Igitur dixit putredinem, aut ſuppurationem intelligens, uel ueram ſuppurationem, vel malignam: nam & putredo ſuppuratio quædam maligna eſt, & ſuppuratio putredo quædam.

APHORISMVS XXI.

A forti in vulneribus pulſu, &c.

Cônexio. *CVm de ſuppuratione in antecedenti verba feciſſet; nunc de pulſu ſermonem habet, qui affinis eſt, & quaſi ſignum ſuppurationis, & inflammationis.*

A forti in vulneribus pulſu hæmorrhagia malum,

Intentio. Rõ intentionis. *Vt demoſtret ſanguinis fluxum qui pulſus ſequatur, in uulneribus non eſſe probandum, ac perinde medicum præcauere debere talem hæmorrhagiam.*

Demonſt. *Sanguinis fluxus in uulneribus, qui pulſum ſequitur fere reſtingui nequit: ergo malus. Antecedens probatur: quia ſignum eſt ſanguinis fluorem ex arterijs eſſe; pulſus enim in arterijs potiſſimum fit; at ſanguis ex arterijs effluens magno cum labore ſiſti poteſt.*

1 adnotatio. *Quod aphoriſmus alijs legitur ſine particula illa (malum) quia pulſus poterit indicare criticam expulſionem e naribus, aut alia parte. Sed mihi non probatur, quia pulſus in vulneribus non indicat criticam eductionẽ, niſi forte fiat in capite: ſecundo, quia ad pulſum in vulnere non ſequitur hæmorrhagia ſemper; nam vulneribus inflammatis, & ad ſuppurationẽ, conuerſis pulſus fieri ſolet; niſi dicas pulſum fortem intelligere, ad quem ſequi ſolet hæmorrhagia, ſanguine exitum querente.*

2 adnotatio. *Quod ubi medicus talem fore pulſum in vulneribus ſentit, non debet vulnus ſoluere, ſed ligatum conſeruare, & ea adhibere, quæ refrigerandi & expellendi uim habent, interim tamen cucurbitis, & alijs ingenijs ad aliam partem auertere, quia cum pulſus, aut ex arterijs ſanguinem educi ſignificent, aut inflammationem indicent, quocunque modo effluat ſanguis, difficile admodum ſiſti poteſt. Igitur ut plurimum uituperanda eſt vehemens pulſatio, & ſanguis ab ea manans: quod ſi vulnus ſanguinem fundat paulatim, malignum appellauit Hipp. Pulſus autem non ſolum in vulnere, ſed & in corde, qualiter eſt palpitatio, magnæ hæmorrhagiæ ſolet eſſe indicium.*

APHO-

APHORISMVS XXII.

A diuturno partium ad uentrem attinentium, &c.

CVm de ſuppuratione antea ſit locutus, modo de ſigno ſuppurantem indicante uerba facit. Cõnexio.

Adiuturno dolore partium ad uentrem attinentium ſuppuratio, malum. Intentio.

Aphoriſmum, & ad prædictionem, & ad curationem utilem dolorum in uentre conſiſtentium affert: medicus enim & futuram ſuppurationem prædicere, & ſuppurantibus uti remedijs ad leuandum eiuſmodi dolores debet. Rõ intentionis.

Diuturnus dolor in uentre abſceſſum indicat multæ & craſſæ materiæ; ergo ſuppurabit. Antecedens probatur: quia ſi ex intemperie, aut flatu, aut acri humore fieret, non eſſet diuturnus, & remedijs facile cederet. Conſequens probatur: quia cum omnis abſceſſus finiatur, uel reſolutione, uel ſuppuratione, vel in ſcirrum, aut putredinem degeneret, & talis reſolui non poſſit, quia craſſa eſt materia, & multa, nec in ſcirrum uerti, quia dolor adeſt (ſcirrus enim fere ſine dolore eſt,) neque putrefieri, quia non ita durare potuiſſet: ergo per ſuppurationem ſoluetur. Demonſtratio.

Quod dixit diuturnum dolorem, propterea, quia breuis, cauſam non habet fixam & per conſequens non indicat abſceſſum. Debet autem eſſe in uno loco, quia vagus magis intemperiẽ, & flatum oſtẽdit, ut in eo Aphoriſmo quarti libri de torminibus ſcripſit, qui non ſedatur ad medicamẽta, & in hydropem tranſire ſolent: item ſi talis dolor ad remedia vacuãtia, & reſoluentia non cedat, ſi febris adſit, & tranſeat vigeſimã diem, vt in prognoſtico ſcripſit, ſuppurãtur aũt citius, q duri ſunt tumores et ſupra umbilicum, tardius qui molles & infra. Aliquando autem fit ſuppuratio ſine vlla manifeſta febre ſine tumore. ſed ex diuturno dolore cognoſcitur. At non ſequitur, ut ſi in uẽtre fiat ſuppuratio, dolor neceſſario comitetur, quia ſi tumor fiat in meſenterio, non eſt neceſſario aliquam febrem, aut dolorẽ præcedere. Sic apparet aliquando pus effundi per deiectionem nullo doloris ſenſu, quod aliquando celebres medicos magna admiratione contorſit; quod inde conſpicuum eſſe poteſt. Nam ab inflammatis inteſtinis & uentriculo, non ſine uehementi dolore prodiret, ex Iecoris vero, aut lienis inflammatione febris uehemens uigeret; renes etiam affecti per urinam expurgarentur. Itaque unum meſenterium reliquum eſt in abdominis capacitate, quod ſub illis notis inflammatione tentetur. 1. adnotatio.

Quod per uentrem intelligit totum abdomẽ a coſtis nothis, & mendoſis ad pectinem uſque. Alij quoque omnem uentris cauitatem intelligunt, 2. adnotatio.

& ma-

& maximè thoracis, quod etiam uerum eſt. Inſernum ventrem præcipue adduxit, quia in eo frequenter fit ſuppuratio. Cum itaq; talis appareat dolor nec ulla ratione leniri poſſit adiuuanda eſt ſuppuratio humidis emplaſtris, & unctionibus. In uentre ſuperiore fluxiones, citius perficiuntur, utpote loco calidiore: terminum vero poſuit illum, ut ſe'tima diem nō proindeq́ue inferno ſunt uentre. Cæterum artificioſum valde eſt cognoſcere ſuppurationes, eas quæ obſcuræ ſunt, quæq; in conſpectum non uenire ſcripſit Hipp. aut ob craſſitiem loci, aut puris.

APHORISMVS XXIII.

A ſyncera deiectione dyſenteria, &c.

Cōnexio. *Cum de dolore ventris inferni egiſſet in ſuperiori ſententia, nunc de dyſenteria agit, quæ ad eum uentrem dolores afferre ſolet.*

Intentio. *A ſincera deiectione dyſenteria malum.*

Rō Intentionis. *Vt ex ea deiectione medicus vlcerationem inteſtinorum prædicere poſſit, & quoad poſſibile ſit, humorem tum reuellendo, & purgando tum temperando præcauere.*

Demonſtratio. *Deiectio ſyncera vlcerandi inteſtina uim habet: Ergo ab ea dyſenteria ſperanda. Antecedens probatur: quia ſyncera deiectio acris erodens eſt. Conſequens facile deducitur, ſiquidem vlcus inteſtini dyſenteria eſt.*

1. Adnot. *Quod ſyncerus humor dicitur quicunque humiditate natiua priuatus eſt, ſeu ſanguis ſit, ſeu bilis atra, aut flaua, pituita item ſalſa. Iſti enim humores omnes meraci & ſynceri dicuntur, cū acredinem concipiunt ob natiui humoris priuationem, quoniā exuruntur, & ideo colorē acquirunt veracē, frequenter autē ſyncera bilis uiſitur, ac cū minori periculo, quam alterius humoris. Pituita ſalſa ſecundum locum habet. Verum atra bilis raro dyſenteriam facit, & cum fuerit, lethalem parit. Sanguis ſemper cum educitur ſyncerus eſt, & dyſenteriam facit, quia omnis deiectio ſanguinis dyſenteria dicitur ſeu cum ulcere, ſeu ſine vlcere ſit.*

2. adnotatio. *Quod meracitas & ſynceritas nō ſolum in deiectionibus conſideratur, ſed vomitibus, ſputis, mucis, vrinis, & ſemper reprobanda eſt. Cæterum medicus ubi ſyncerum humorem per inferna excerni uidet & durare deiectionem, timere debet de dyſenteria; quamobrem humorem, euacuare debet, & tum potiones, tum etiam clyſteres, obtundentes adhibere, quo inteſtina defendant.*

APHORISMVS XXIIII.

Ab oſſis vulnere deſipientia, &c.

CVm ſupra ſtuporem & deſipientiam, ad capitis percuſſionem ſuper uenientia damnaret, nunc docet quando iſta ſint ſperanda, & maximè deſipientia. Cōnexio.

Ab oſſis vulnere deſipientia, ſi in uacuum uſque penetrauerit, malum. Intentio.

Vt oſtendat quibus vulneribus, ac præcipue capitis, ſperanda ſit deſipientia, ac perinde magna cum diligentia tractanda eſſe. Rō Intentionis.

Vulnera, quæ ad vacuum oſſis penetrant cerebrum lędunt: ergo deſipientia ſperanda. Antecedens probatur: quia caluaria de qua ſermo eſt, ſi præcidatur ad membranas vſque internas, ita ut lędantur, cerebrum læditur. Conſequens deducitur: quoniam in cerebro cognitio ſedet: igitur eo lęſo iſta princeps operatio lędetur. Solet autē Hipp. mentem appellare omnem internum ſenſum, & phantaſiam, & cogitationem, & memoriam intelligens. Demonſtratio.

Quod non ſemper præciſo craneo uſque ad uacuū delirium ſequitur, ſed neque præciſis membranis ſemper: nam in ijs, in quibus ſecatur craneum ob læſionem, ad extrahendum pus, nullum ſequitur delirium. Non raro tamen ſequi ſolet ad præciſiones penetrantes, cum illis ſuccedit inflammatio. Cæterum non ſolum de oſſibus capitis, ſed de his, quæ ad ſpinam fiunt, ſi in uacuum penetrauerint, delirium prouenit: & uidi delirantem eſſe mortuum, cui cū ad fauces punctum eſſet os, nec uidebatur vulnus, penetraſſe ad ſpinam, ſpinamq; fuiſſe offenſam veriſimili videbatur. 1. Adnota.

Quod deſipientia non eſt pathognomonicum accidens præciſe caluariæ, ſed cum in membranas læſio aduenit, & ſuccedit inflammatio, ſeu uera, ſeu eryſipelatodes, dummodo ad partes internas vergat, quia non omnis cerebri inflammatio deſipientiam facit, ſi ad partes cerebri externas vergat humor: id quod ex puella illa manifeſtum eſſe poterit. Hipp. autem de accidenti loquitur timoroſo, quod cerebro offenſo euenire ſolet, & cum pernicie ægri: ac perinde, ſi percuſſione, ſeu penetrante, ſeu non, cerebri appareat læſio. Hipp. ſectionem molitur, ſanguinem mittit, & purgat. Solet tamen ſtupor præcedere delirium, quia ob multitudinem materiæ primo fit ſtupor, inflammatione ſuccedente delirium. 2. adnotatio.

APHORISMVS. XXV.

A medicamento epoto, &c.

Hic Aphoriſmus ſatis ſupra expoſitus eſt libro quinto, quare eo ſuperſedendum eſſe operæpretium duximus.

APHORISMVS XXVI.

Propter uehementem dolorem, &c.

Cõnexio. *Svpra mentionem fecit de diuturno dolore uentris, ad quem ſuppurationem ſequi dicebat, modo de alio accidenti, quod magnum dolorem uentris ſequitur, uerba facit.*

Intentio. *A forti dolore ventris, extremorum perfrigeratio malum.*

Rõ intentio. *Vt in omni dolore ventris per hoc accidens, medicus malum euentum in morbo prædicere poſſit, & perinde commodis remedijs illum dolorem tollat, quoad fieri poſſibile ſit.*

Demonſtratio. *In uehementi dolore extremorum frigiditas, grauem affectionem ſignificat: ergo malum. Conſequens clarum eſt. Antecedens probatur, quia extremorum frigiditas, aut caloris innati extinctionem ſignificat, diſſipatis ob dolorem ſpiritibus, vnde ad cor & viſcera trahitur, aut inflammationem alicuius uiſceris, quæ ueluti cucurbita ſanguinem ad ſe trabat.*

1.Adnot. *Quod in omni dolore cuiuſcunque partis vehementer ſi refrigerentur extrema malum non mediocre eſt. Sed Hipp. de dolore uentris loquitur, quia cum viſcera in eo contineantur, ſæpius & frequentius illis dolentibus ſolet hoc accidens aduenire. Cum uero dolor, & à cauſa calida & frigida prouenire poſſit, de utroque dolore intelligere oportet; ſed à cauſa calida, cum inflammationem indicet, periculoſior eſt affectus ac magis lethalis, uerum à frigida non item, ut in colicis. Dolores autem uehementes dixit, quia ſi extremorum frigiditas coli dolore accidat, non eſt notandum malum; quia ex alia cauſa prouenire poterit: nec etiam dolor uehemens hoc accidens inducendi uim habet, ſed cum pernicioſus eſt.*

2.Adnot. *Quod extremorum frigiditas intelligit pedũ, mmanuum, narium, & aurium: partes enim iſtæ defectum caloris ſentiunt ubi intus trahitur, tum quia multum diſtant à corde, tum quia ad extrema natura curſum ſuum terminat. Si uero extremorum ſeu externę cutis frigiditas accedat, malum quoque arbitrandum eſt, quod tamen raro accidit. Frigiditas autem hæc eo peior eſt, quo diutius durat. Cæterum inter uehementes dolo-*

res

ſes uětris, qui ad inteſtina pertinent, & præcipuè tenuia, qui item ad calculos renum, & ueſicam, & qui ad os ventriculi fiunt maximè connumerari debent. Cum uero omnis fortis dolor diſſoluendi calidum & ſpiritum uim habeat, adeo ut in ſyncopem deducat celeriter hominem, quod indicare ſolet illa extremarum partium refrigeratio, & perinde augeat & attrahat materiam ad locum affectum, medicus debet citiſſime remedia exhibere, & quæ euacuandi, & alterandi, tum quæ leniendi, ac ſtupefaciendi uim habent. Inter dolores autem uehementes, qui ad pedum magnos digitos ſunt numerari ſolent. Notabilem caſum habes Critonis, cui obambulanti cum dolor pedis fortis, à magno digito oboriebatur, eadem ſtatim die horridus, anxiuſque & parum ſubcaleſcens decumbebat, nocte vero deſipiebat: ſecunda die tumore laſſo per totum pedem, & circa malleolum ſubrubente cum diſtentione, puſtulis item ſuccedentibus nigris, febre acuta, atque inſania, & ab aluo ſynceris bilioſis multis prodeuntibus, mortuus eſt: hæc ille. Per quæ dignoſcimus fortes dolores eſſe ualdè periculoſos ad partes etiam intra uentrem: erat autem abſceſſus ille maior quam ferre poterat pars, & erat malignus ac carbunculoſus. 1. Epid. ægro. 9.

APHORISMVS XXVII.

Si prægnanti tetanus ſuperueniat, &c.

Connexio. *CVm de dolore uentris dixiſſet in præcedenti, nunc de teneſmo, qui vel uentris dolor eſt, vel ad dolores ventris referri poteſt, agit.*

Intentio. *Teneſmus in prægnanti abortum facit.*

Rō intentionis. *Vt non ſolum ex eo malo abortum poſſit prædicere medicus, ſed curare, quam cito, antequam fiat abortus.*

Demonſtratio. *Ex teneſmo grauiter afficitur uterus: ergo ſi prægnanti adueniat faciet abortum. Antecedens probatur, quia teneſmus inflammatio eſt, aut moleſtia recti inteſtini: quare, cum illud utero contiguum ſit neceſſe eſt ille compatiatur. Conſequens probatur: quia uteri affectus, & paſſiones facile infanti communicantur, unde excidat eſt neceſſe.*

1. adnotatio. *Quod talis affectus eſt teneſmus inteſtino, qualis eſt ſtranguria ueſicæ: nam ſicut in ſtranguria paulatim & frequenter admeiendum inuitatur homo, ita in teneſmo perpetua adeſt deſidendi cupiditas, & nihil aut parum admodum excernitur. Accidit autem cum inflammatur rectum inteſtinum, aut mucoſa ibidem pituita colligitur: & ex cauſa externa, ut cum quiſpiam imprudenter frigidiore loco inſedit, &c. Quamobrem cauendum eſt ne mulier in hæc incurrat: quod ſi iam affecta ſit, cauſa indagata curatio ſtatim aggredienda eſt, & ſi ab inflammatione proueniat ea quæ reprimunt fomenta adhibenda, & qui leniunt clyſteres ap-*

 plicandi.

plicandi. Solet & ſanguinis miſſio eſſe illius remedium cum ab inflammatione procedit: at quia periculoſa eſt in grauida, poterit fieri in pauca quãtitate à brachio, ad reuellendũ, niſi ex pituita cõtingat mucoſa quę educẽda eſt clyſteribus: frigiditas cauſa ſi eſt calefaciẽtibus propellenda.

2. adnotatio. *Quod per hanc affectionem multipliciter patitur uterus: communicatur primo .n. dolor, deinde acrimonia ex trãſitu humorum, accedit illa frequens excernendi conatus, qui mulierẽ debilitat. Sed quod maximè abortum inducere poteſt expreſſio eſt illa frequens qua laborant muſculi ab dominis; unde facile premitur infans & ad exitum commouetur. Cæterum 5. lib. uniuerſaliorem prodidit ſententiã, ſcribens ex copioſo alui fluxu abortum fieri: verum teneſmus licet ſub fluxu alui comprehendatur, peculiari tamen ratione magis ad abortum faciendum eſt aptior.*

APHORISMVS XXVIII.

Siue os, ſiue cartilago, ſeu neruus, &c.

REPETITVR hic Aphoriſmus lib. 6. ibique ſatis explanatus eſt.

APHORISMVS XXVIIII.

Si leucophlegmatia detento, &c.

Cõnexio. *CVm de uentris affectionibus dixiſſet in duobus antecedentibus, modo morbum proponit, qui ad ipſum uentrem pertinet & ab eo origi nem ducit, qui leucophlegmatia, ſeu pituita alba dicitur.*

Intentio. *Fortis diarrhea albæ pituitæ ſuperueniens, ſoluit morbum.*

Rõ intentionis. *Vt non ſolum tali ſuperuenienti excretione medicus ſalutem prædicere poſſit, ſed & naturam imitando medicamenta purgantia in hoc morbo exhibeat & pluries educẽdo arte deniq; conſequatur id quod natura aliquando aſſequitur.*

Demonſtratio. *Fortis diarrhea cauſam tollit leucophlegmatiæ: ergo morbum. Conſequens certum eſt. Antecedens probatur, quia cum naturæ ſit impetus in morbis, talis eſt, vel cum vincit & critice, vel cũ opprimitur, & vincitur: at in longis morbis non mouet natura ſymptomatice, niſi cum ualdè ſint depreſſæ uires, quæ cum tales non ſint in hoc morbo, & maximè à principio, de quo intelligit, ſit vt pituita euacuata per talem diarrheam, tollatur quoq; morbus, cuius illa cauſa eſt.*

1. adnotatio. *Quod leucophlegmatia morbus eſt, per quem totum corpus ſolet tumere, & ad colorem album, vel ſubliuidum, uel ſubpallidũ vergit; ſanguis enim per hunc morbum corrumpitur ad pituitam, & crudior euadit;*

quare ad nutritionem ineptus redditur, ſeu id Iecoris uitio fiat, ſeu ex alia parte originem habeat, ſcilicet ex liene, aut uentriculo male officium ſuũ præſtantibus, fit & in grauidis mulieribus ob retentionem menſium. Vbi igitur non facta eſt intemperies, & fit mala in Iecore, aut aliquo alio viſcere, ſi diarrhea corripiat fortis, ſoluit morbum euacuans materiam, quæ in toto corpore eſt, & quæ in viſceribus obſtructionem facit; ea autem ratione lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperueniens, & hydropicis ſi aqua è uenis in uentrem confluxerit, ſolui morbum ſcripſit antea.

Quod medicus imitando naturam debet purgantia adhibere medicamenta quæ deorſum euacuent, & reiterare illa dum morbus eſt in principio, & vires adhuc valẽt; attenuare etiam humorem, calefacere, & uiſcera roborare; eſt autem familiaris hic Aphoriſmus ijs, qui prauas aquas bibunt lacuſtres, uel paluſtres; ſed dices ſi ex pituita fit, quomodo color ille vergit aliquando ad ſubflauum, & ſubliuidum colorem. Dic, quia ſemper cum illa pituita miſcetur aliquid bilis, tam flauæ, quàm atræ, & quia corrumpitur pituita, inde valde ſiti re dixit Hipp. 2. adnotatio.

APHORISMVS XXX.

Quibus per diarrheas ſpumoſa, &c.

CVm in antecedenti ſententia de diarrhea, quæ albę pituite ſuperuenit ſermonem habuiſſet; nunc rurſus diarrheam in contemplationem aſſumens, notabilem profert ſententia. Cõnexio.

Quibus per diarrheas ſpumoſa ſunt alui excrementa his ex capite fluit. Intentio.

Vt per hoc ſignum locum affectum comprehendat medicus: eſt enim ab excreti ſubſtantia deſumptum. Diviſio.

Excrementa per aluum ſpumoſa cauſam in capite habent potiſſimum, & facile ad inteſtina aditum: ergo a capite uenient. Antecedens declaratur; quia duæ partes in corpore noſtro aptiſſimæ ſunt ad gignendum ſpiritum; pulmo, & caput: Sed in pulmone, qui continentur non habent manifeſtam nec facilem uiam ad aluum; Caput uerò magnas habet uenas, per quas ad inteſtina ſua deponere poteſt excrementa. Cæterum, tum ob calorem, tumultum acris & pulmo et caput ad ſpumam gignendam vim habent. Conſequens facile ſequitur, quia ſi non ex pulmone, ergo ex capite uenient ſpumoſa excrementa. Demonſtratio.

Quod ſpuma uel fit à calore colliquante, & ebullitionem faciente, ſicuti in olla ebulliente: uel fit ob flatum, qui pituitæ miſcet. Inter cætera autem membra caput pituita abundat, & illa quidẽ tenui, & flatu quoq; multo ob reſpirationem trahentibus naribus: quare ex capite, ore, & pul 1. adnotatio.

mone ſaliua multa exit. Licet autem ex quacunque parte corporis excrementum alui ſpumoſum produci poſſit, ut in colliquante febre, & colica paſſione, non perinde falſum ſcribit, Hipp. quia ut plurimum ſpumoſa deiectio ex capite eſt: raro autem aliter contingit, quoad veritatem Aphoriſmi ſufficit. Sed & uox illa, cum diarrhea, ſignificat alui fluxum perdurantem, qua ratione non ex alia parte prouenire poteſt, quam ex capite, quia nullum eſt membrum, quod tam diu generare, & ſeruare poſſit ſpumam.

1. adnotatio. *Quod non ſolum ſpuma in excrementis alui, capitis affectiones demõſtrat, ſed etiam urina fluxiones ex capite indicare conſueuit, & præcipue ad pectus. Per hæc igitur ſigna medicus affectionem, uel præſentem, vel futurã cognoſcens, & prouidere, & curare poterit. Nota tamen quod nõ docet Hipp. omnem humorem, qui ex capite uenit per deiectionem eſſe ſpumoſum, ſed contrarium potius; ita etiam cum ſanguis exit per os, & ſpumoſus ex pulmone educitur, non tamen econtra, ſi ex pulmone ducitur ſanguis, neceſſario eſt ſpumoſus, ut ſuo loco diximus.*

APHORISMVS XXXI.

Quibus per febres inurinis, &c.

Cõnexio. *CVm de excrementis alui determinaſſet in antecedenti, nunc ad urinam accedit quæ tenue eſt & ſeroſum corporis excrementum, ſicuti alui fex craſſum.*

Intentio. *Quibus in febribus urinæ ſedimenta craſſiorem farinam referunt, longitudo morbi ſignificatur.*

Rõ Intentionis. *Vt ex hoc uno ſigno morbi longitudinem prędicere poſſit medicus, & perinde cognoſcat morbum ex craſſis humoribus pendere.*

Demonſtratio. *Sedimentum farinaceum craſſum cauſam morbi oſtendit pertinacem; ergo longitudinem eius. Antedens probatur, quia tale ſedimentum crudum & craſſum humorem indicat, qui difficile ſuperari poteſt. Conſequens manifeſte ſequitur.*

1. Adnot. *Quod farinaceum excrementum duplex eſt. Alterum quod tenuem farinam refert; alterum quod craſſam. Rurſus uel eſt rubrum, uel album. Album itaque ſedimentum craſſam farinam referens crudos, & craſſos humores oſtendit, ac perinde longum morbum. Verum rubrum poteſt apparere in acutis per aduſtionem partium, vt in prognoſtico, farinaceum, laminoſum & furfuraceum uituperauit. At dices in Sileno apparuit farinaceum craſſum, & tamen breuis fuit morbus. Dic quod in uirtute debili breuis eſſe poterit morbus, ſed cum ualet, longus neceſſario erit. Farinaceũ autem oſtendens tenuiorem farinam ex colliquatione fieri poterit, ac perinde*

rinde non neceſſario longum morbum ſignificat. Nota hic ſedimentum aliquando apparere naturale & album nec uere tale eſt, cum ſit potius pituita cruda, quæ talem repræſentat ſedimentum.

Quod renibus laborantibus ſolent aliquando ſedimenta farinam craſſam referre, & in veſicis lapidoſis non raro uiſuntur; ideo dixit, per febres, vt deſtingueret, à morbis renum; quamuis, & in febre, ſi homo, nephritide aut ueſicæ calculo laborarit, tale apparere poſſit ſedimentum, quod ubi accidit, non habet ſignificationem ſupra febrem: quare ſcripſit in prognoſtico, non debere decipi medicum ab urina ſi mala ſit, ob morbos renum aut veſicæ. Maximè autem momenti ſignum eſt in febribus quod ex Vrina petitur & propterea addit per febres. 2 adnotatio.

APHORISMVS XXXII.

Quibus in urinis bilioſa ſedimenta, &c.

CVm de ſedimentis urinæ craſſis ſermo eſſet in antecedenti Aphoriſmo nunc de tenuibus ſermonem inſtituit. Cõnexio.

In urinis ſi bilioſa & ſupra tenuia appareant, morbum acutum indicant. Intentio

Vt demoſtret quod ſicuti in craſſo ſedimine longitudo morbi ſperanda eſt, ita in tenui breuitas & acuties. Rõ intentionis.

Bilioſa ſedimenta & tenuia in parte urinæ ſuperiori bilem acrem & tenuem peccare oſtendunt: ergo acutum morbum. Antecedens probatur, quia ſicut craſſus humor ſedimen efficit craſſum, ita tenuis tenue: adde locum ſuperiorem eo etiam magis indicare calorem, & acutiem. Demonſt.

Quod in urina conſideramus ſubſtantiam, colorem, & contenta. Inter contenta id quod fundum occupat proprie hypoſtaſis dicitur, licet communiter hæc uox omne ſignificet, urinæ contentum, vt hic: ſi vero mediũ locum occupat urinæ, dicitur ſuſpenſum: cùm occupat ſuppremam urinæ partem, ſublimamentum appellatur Hipp. itaque ſublimamentum intelligit, quod tenue eſſe ſolet, alioquin non eſſet in ſuperiori parte vrinæ, taleque ſignificat bilioſum & tenuem humorem, imo raptum etiam materiæ ad ſuperiora corporis, unde acutus & periculoſus morbus timendus. Cæterum in prognoſtico nubeculas conſiderandas in urinis propoſuit, & eas laudat, quæ magis deorſum vergunt cum bonis coloribus, contra vituperat illas, quæ ſurſum tendunt. 1. adnotatio.

Quod Galenus Aphoriſmum interpretatur de vrinis per uaria tempora: nam vrina (ait ille) tenuis ſeu aquoſa, nunquam apparet cum ſedimẽto bilioſo, quia repugnare iſta uidentur: ſed ſic intelligit, ſi urinæ aquoſæ ſuccedant bilioſa ſedimenta, tunc ſignificari acutum morbum: cum 2. adnotatio.

5. Epid. ſect. 1. *vrinis tamen aquoſis ſedimentū bilioſum apparuiſſe, habes ex emplū in Pithione, cui ex initio uſque ad octauā tenues fuere vrinæ & de colores, ſuſpenſiones tamen nebuloſas habentes: & quibus bilioſæ fuerint urinæ, aut coloratæ, ſi ſtatim tenues fiant & de colores acutus morbus ſignificatur, fit enim talis ob raptum materiæ ad caput.*

3. Adnot. *Quod in conſideratione urinarum perpendere debemus temperiem & habitum hominis, quia bilioſa natura urinas tenuiores & coloratiores, & hypoſtas in paruam habet & tenuem; at contra pituitoſa natura, craſſiores & minus coloratas facit urinas, & ſedimentum quantitate plurimum, & ſubſtantiam craſſum, ut in temperatis media quædam in urina ſeruatur natura. Iſta omnia conſideranda, ut non contingat error: nam cum urina tenuis, eſt & ſedimentum tenue apparet in pituitoſo, adhuc maius eſt malum timendum & ingens periculum, non item in natura bilioſa, quia minus pericuIoſe ęgrotant homines ex cognatis morbis, quam contrarijs.*

APHORISMVS XXXIII.

Quibus diuerſæ fiunt urinę, &c.

Cōnexio. *CVm duobus antecedentibus Aphoriſmis de urinarum ſedimentis inſtituiſſet ſermonem, modo eundem perſequens, præceptum tradit de ipſis uriuis non parui momenti, & ſumit ſignum ex illarum diuerſitate.*

Intentio. *Diuerſitas urinæ perturbationem magnam in corpore ſignificat.*

Rō intentionis. *Vt ex hoc ſigno oſtendat morbi difficultatem, atq; ideo talem habentem urinam non facile ſanari poſſe.*

Demonſtratio. *Diuerſitas urinarum compoſitos morbos indicat, & plures in homine affectiones: ergo quibus ægris talis eſt, magna turbatio in corpore fit. Antecedens patet, quia urinæ de cauſa morbi indicant. Conſequens ſequitur, quia turbatio in corpore fieri dicitur cum varie afficitur.*

1. adnotatio. *Quod vrinarū diuerſitas, conſideratur ſecūdū diuerſa tēpora & uarias mictiones, aut ſecundum unam & eandem mictionem. Rurſus quocunque modo fiat, vel accidit ſecundum ſubſtantiam, vel colorem, vel contenta, vel iuxta omnia, vel quædā illorum. Peior autem eſt cum una et, eadem urina uarias habet partes, ut cum ſedimentum uarium eſt & diſperſum; aut ſi cum bilioſa urina ſedimentum craſſum apparet; aut contra cum pituitoſa tenue. Iuxta diuerſa vero tempora, vt ſi mox appareat craſſa, inde uerò tenuis, aut cum modo perſpicua, modo turbata; & quo peiores fuerint modi, eo etiam deterior ſignificatur affectio, quo autem minor uarietas*

uarietas eo minor etiam affectio, ac perinde de turbatione dicendum.

Quod Aphoriſmus de febribus potiſſimum intelligendus eſt, dummodo non ſit in Renibus, aut in veſica affectio, à qua prouenire poteſt talis diuerſitas. 1. adnotatio.

Quantum vero mali diuerſitas excrementorum afferat, in ſputo quod per ſuppurationes educitur explicauit Hippoc. in quo, ſi ſimul cum pure quid biliosum excernatur, mortem afferre dixit; ac perinde non ſolum de vrinis ſed & de reliquis excrementis hæc ſententia verè pronuntiari poteſt. Cæterum in prognoſtico uariationem ſedimenti, quæ fit, ſic ut modo appareat, modo non, etiam in bona urina, longitudinem morbi ſignificare dixit.

APHORISMVS XXXIIII.

Quibus in urinis bullæ innatant, &c.

CVm de urinis in antecedentibus egiſſet, de illis eiſdem in hoc agit Hippoc. aſſumitque non iam ſedimentum, uel urinam ipſam, ſed ſuper natantes bullas, quidque ex eo medicus prædicere poſſit oſtendit. Conexio

Bullæ vrinæ innatantes renalem, & longum morbum ſignificant. Intentio.

Vt oſtendat peculiare renum uitium ex bullis urinæ innatantibus colligi, ac perinde longitudinem morbi. Rō intentionis.

Bullæ innatantes in urina ualde præſupponunt lentam materiam, ſed & calorem adiunctum; igitur ex affectione longa renum fient. Demonſtratio.

Antecedens probatur, quia bullæ fieri non poſſunt, neque perſeuerare, niſi cum multo lentore materiæ, nec ſine calore flatus ad ampullas gignendas eleuantur, non ſecus ac in pluuijs. Conſequens probatur: nam a locis ſupra renes talis materia adeòque lenta prouenire nequit, propterea, quod per tot uias, & per ſubſtantiam etiam renum tranſeat, quin non attenuetur, aut ſaltem demittat lentorem, qui magnas & perſeuerantes bullas facere poteſt. At neque ex ueſica, uel vaſis ureterum talis effluere poteſt urina, cum calorem non habeant talem qualem renes ad flatus eleuandos: igitur à renibus obſtructione laborantibus excernitur, ac perinde morbus longus ſignificatur: lentor enim longam ſignificat affectionem.

Quod hic Hippoc. non intelligit ſpumantem urinam ſupra quam innatat ſpuma, quia hæc ex capite & pectore male affecto ſolet prouenire: ſicuti quibus per diarrheas ſpumoſa ſunt alui excrementa, ex capite effluunt, ita quibus ſpumoſa eſt urina ex capite maxime prodit: verum 1. adnotatio.

hic intelligit bullas, quæ per urinam innatant, & magnæ ſunt, atque perſeuerantes. Quod ſi hæc materia ex alia corporis parte tam lenta proueniret, fieri non poſſet, quin ob ſuum lentorem in renibus non efficeret obſtructiones, & morbos: qua ratione verus quoque eſt Aphoriſmus.

2. Adnot. *Quod bullæ & ſpuma ſolent fieri in omni vrina ob motum & agitationem, cum primum irruit in matulam; ſed ubi urina bene ſe habet ſtatim ceſſant; neq; de hac loquitur Hippocrates, ſed de illa ſpuma quæ permanet, quæ bullas excitat. Addere etiam oportet ad maiorem certitudinem loci affecti; ſi dolor adeſt ad renes, & ſi ueluti pili cum vrina exeũt, vel colliquatio, quæ magis renes laborare confirmant. Cum vero abſolute renum vitia difficilis ſint curationis in ſenibus, difficiliora adhuc erunt cum bullę vrinis innatant.*

APHORISMVS XXXV.

Quibus in urinis adipalis ſuperficies eſt, &c.

Cõnexio. *CVm in antecedenti de ſigno egiſſet, per quod longus renum morbus deprehenditur, nunc de illo agit per quod acutus illorum morbus dignoſcatur.*

Intentio. *Quibus ſuperficies urinæ adipoſa eſt & conferta, morbus adeſt in renibus acutus.*

Rõ intentionis. *Vt ex hoc ſigno non ſolum deprehendere poſſit medicus inſignem renum calorem, ſed & colliquationem renalem ab ea quæ per colliquantes febres fieri ſolet, diſtinguat.*

Demonſtratio. *Pinguedo in urina confertim exiens, neque à propinquis, neque à remotis partibus prouenire poteſt, & non niſi à ualido calore fieri: igitur ſignificat renum morbum, eumque breuem. Antecedens probatur: nam, nec ex veſica, neque vaſis ureteribus partibus propinquis prouenit, quia exangues ſunt, neque à partibus ſupra renes, quia non confertim ueniret. Quod uero pinguendo colliquatione fiat ob uim caloris non eſt dubitandum, nam adeps à calore diſſoluitur, ſicuti frigore concreſcit. Conſequens probatur, quia ſi non ex partibus infra, nec ſupra renes prouenit, affectio erit in renibus, ſed quia non fit ſine valido calore colliquante ideo morbus acutus erit, aut breuis.*

2. Adnot. *Quod illud (confertim) multos habet ſenſus: primus, ut in magna quãtitate intelligamus ſi exeat, quæ ex renibus uenit pinguedo: ſecundò, vt illud confertim ſignificet, quod breui tempore & frequenter admodum ueniat: tertio confertim, quia modo in quantitate multa prodit, modo parua inæqualiter: atque hic ſenſus uidetur accomodatior, & verior, quia alij duo etiam colliquantibus febribus poſſunt accõmodari. Multæ autem*

ſunt

ſunt differētiæ pinguis vrinæ. Quædam enim verè pinguis eſt, cuius quatuor ſunt ſpecies: prima cum ueluti telę aranearum innatant: ſecunda cum ueluti guttæ olei in medio apparent: tertia, cum fruſtula pinguedinis in ea conſpiciūtur, & cum iuri ſimilis eſt: inter quas, ſecunda ſpecies oleoſa magis dicitur, vel quod colorem olei reprę ſentet, uel illius ſubſtantiam. Et omnes iſtæ ſpecies, aut ex toto corpore per febres, aut ex renibus proueniunt: verum cum à renibus ueniunt, vel febris non adeſt, vel ſi adeſt colliquans non eſt, et confertim ac repente ſolet aduenire, vel inęqualiter, & multum: adſunt præterea ſigna ex dolore, uel laſſitudine ipſorum renum.

Quod calor præter naturam triplex eſt, quidam ſimplex, cum elementaris magis augetur: ſecundus putridus qui ex putredine oritur: tertius, malignus. Simplex calor dicitur talis qualis ephemerę, ſeu hecticę: putredinalis qualis tertianę: malignus, qualis in febre peſtifera eſſe ſolet. Omnis calor conſumit & colliquat, ſed prę ter omnes malignus, qui etiam ſi tactu debilis cenſeatur, magis tamen eſt naturæ contrarius, quam cęteri. Nam ſicuti calor in ratione innati, magis concoquit, quam in ratione caloris, ut patet in febre, ſic calor præter naturam magis colliquat in ratione malignitatis quam caloris. Cæterum renes utpote calore abundantes & humiditate & pinguedine ſcatentes, facile ad colliquationem ſunt apti. 2. adnotatio.

APHORISMVS XXXVI.

Quibus uero renibus laborantibus, &c.

CVm de renum affectionibus, ſeu longis, ſeu acutis ex urinis dignoſcendis in antecedentibus tractaſſet, nunc de illis eiſdem agit, deſumens aliud ſignum quod ad dolorem pertinet. Cōnexio.

Dolor ad ſpinæ muſculos, cum prædictis urinis, abſceſſum indicat ad illam partem, ad quam dolor vergit, ſeu intus, ſeu extra. Intentio.

Vt oſtendat renum affectus, quos ex prædictis urinis ſignificari dixit in abſceſſus deſinere, ac perinde etiam ad colligendam affectionem renalem ex illis urinis certius à dolore cum poſitu ſumendum eſſe inditium. Rō intentionis.

Dolor ad ſpinæ muſculos cum prædictis urinis ex fluxione oritur: Ergo abſceſſum faciet, iuxta partem anteriorem, aut exteriorem ad quam magis uergit. Antecedens probatur: quia dolor ille cum ſit fixus & perſeueret, non ex intemperie, aut flatu prouenire poteſt; ergo ex humoribus, calidis, cum confertim adeps in urina apparet, frigidis, cum in ea bullæ innatant. Conſequens ſequitur facile: quia fluxiones ad aliquam partem cū dolore abſceſſum faciunt. Demonſtratio.

Quod

1. adnotatio. *Quod cum muſculi lumborum externi ſint, uel anteriores ad uentrem, vel poſteriores ad ſpinam, utroſque intelligere opportet nomine exteriorum: ad interna uero uergente dolore iam profundus abſceſſus ſignificatur. Cum itaque ad internam partem dolor vergit, adiuuari debet ſuppurantibus, & facta ſuppuratione ad ſectionem veniendum: at cum intus vergit dolor, & abſceſſus, non admittit ſectionem; ſubueniendum tamen eſt his quæ ſuppurant, tum intus, tum extra: et in principio omnis venalis abſceſſus, ſecanda vena eſt ad talos & poplites, quia ita poterit præcaueri.*

2. adnotatio. de internis affectiobus. *Quod Hipp. malũ hunc abſceſſũ deſcripſit, & ſymptomata mala quæ illũ comitantur, & curam. Cauſam dicit eſſe bilẽ & pituitam influentem ad renes, patiuntur, inquit dolores lumborum, urinę difficultatem, & ſolet durare per annum, inde in ſuppurationem tendit, & ille ſectione curam debet: at cum intus eſt abſceſſus, ſi pus ad inteſtinum rectum procedit fugę ſpes eſt: & ſi alterum renum contigerit periculum eſt ne pereat, hæc Hipp. Cæterum dixit, dolorem cum ſupradictis ſignis ad renes indicari, intelligens per ſupradicta ſigna, aut quod in urina bullæ innatent, vnde longus morbus renũ & quod ex materia frigida abſceſſus ſperandus: aut quod urina ſit adipoſa, & confertim ad pus ueniat, ex quo calidus. At abſceſſus qui in renibus fiũt, cum ſuppurãtur, magis per urinas, qui uero ad ſpinnæ muſculos magis per aluum expurgari anatomes ipſa clare docet.*

APHORISMVS XXXII.

Qui ſanguinem uomunt, &c.

Conexio. *CVm de vrina ſermo illi eſſet in antecedentibus quæ ad excrementa pertinet ſecundum naturam, hic de ſanguinis excretione agit quæ toto genere pręter naturam dicitur. Vel connecte hunc antecedenti, quod ſi ſanguis, aut pus, ex abſceſſu per os effluat, quid futurum ſit, hic doceat.*

Intentio. & Diuiſio. *Duæ ſunt in Aphoriſmo concluſiones, prima proponit ſalutarem eſſe uomitum ſanguinis qui ſine febre accidat, malum autem, ſi cum febre fiat: ſecunda, docet curationem eſſe faciendam refrigerantibus & aſtringentibus; quare Aphoriſmus iuxta duas concluſiones in duas partes partiri recte poteſt.*

Rõ intentionis. *Vt doceat non ſemper formidandum eſſe ſanguinis uomitum cum ſalutaris ſit ſi ſine febre accidat, ſecus ualde timendum: & præterea doceat curationis modum qui omni culpatæ hemorrhagiæ debetur.*

Demonſtratio. *Vomitus ſanguinis ſine febre morbos ſoluere poteſt, nec malam cauſam habet: ergo ſalutaris. Antecedens probatur: nam uomitus ſanguinis*

ſine

ſine febre ſolet plenitudinem ſoluere, ut in his quibus menſes ſupprimuntur mulieribus: unde ſcripſit H. pp. mulieri ſanguinem euomenti, ſi menſtrua effluxerint, ſolui morbos; quia licet omnis uomitus ſanguinis, ut ſignum, malus ſit, ut cauſa tamen bonus eſſe poteſt: ideo quibuſdam mulieribus per circuitus ſanguis multus per os ſolet uenire & per interualla, præcipue his quæ multo ſanguine abundant & menſes minus quam decet fluunt cum magno iuuamento. Quod uero nō malam cauſam habeat, probatur, quia ſi ſine febre eſt non exeſione, aut ruptione prouenire ſolet, neque ex pectore, quia plerumque cum febre eſt, ſed ex uentriculo ob plenitudinem ſanguinis adapertis uenis iecoris. Conſequens manifeſtum eſt: nam ſicuti bonum eſt uomere ſanguinem ſine febre, ita cum febre malum, quia iam malam cauſam habet, eroſionem, ruptionem, & inflammationem. 8. Aph.

Refrigerantia & aſtringentia cauſas omnes hæmorrhagiæ ſoluunt: ergo curanda eſt hæmorrhagia per talia. Antecedens probatur, quia refrigeratio ſiſtit ſanguinem & vias denſat, aſtrictio meatus comprimit, vnde ſanguis prodit. Verum cum uniuerſalis ſit hæc medendi ratio, non neceſſe fuit verba illa curationis ad ſalutarē uenæ ſectionem accommodare, ut facit Galenus, quia ſi ſalutaris eſt, non indiget curatione, ſed ipſe illud per ſalutare, minus malum intellexit & prohibet aſtringentia & refrigerantia in uomitu ſanguinis cum febre, quia ſupponit adeſſe inflammationem, quæ per iſta inſuppurabilis redditur, & dolorem acceſſit: & Galenus interpretatur minus malum, ſine febre, quia quarto Aphoriſmorum dixit, omnem ſanguinis vomitum malum. Sed ſi reſpectiue illud ſalutare intelligitur, ridendus eſſet Hipp. quis enim non ſcit minus malum eſſe ſanguinis uomitum cum febre, quam ſine illa? ac proinde abſolute intelligerem ſententiam, ſic ut ſalutaris ſit ſaltem in ratione cauſæ, cum ex plenitudine eueniat & malam cauſam non habeat. Demonſtratio. 2.

Quod curatio illa per refrigerantia & aſtringentia omni debet culpa hæmorrhagiæ. Sed ſi quid magis urgeat, ut cum adeſt inflammatio in partibus internis, non ſunt adhibenda, præcipue quæ ualide aſtringant & refrigerēt. At dices, igitur non in uomitu ſanguinis cum febre, ſed ſine febre conuenient iſta. Dic conuenire etiam cum febre, dupliciter, quia nō neceſſe eſt adeſſe inflammationem quoties adeſt febris, ſed etiam ſi adeſſet, leuiter aſtringentia & refrigerantia ſimul cum emplaſticis conuenirent; hæc autem & in cibis & in medicamentis admonenda ſunt; Hipp. tamen frigida admouere iuſſit, magis ad locum, unde fluit, quam loco a quo fluit. Cæterum hæc non conueniunt niſi prius factis reuulſionibus. 1. Adnot.

rat. Sed dices, cur non ſuppurantur oẽs fluxiones ad thoracem? an quia non omnes impetu quodam fiunt; quæ enim repente fiunt coll ectiones il læ ſuppurari ſolent, ſed quæ paulatim fiunt maturantur intra 20. vel ad vltimum 40. dies, unde dicitur illud vulgariter; una buona infredatura quaranta giorni durai; febres autem catarrhales in 5 aut 7. diebus ceſſare ſolent iam cocta materia, ut ſcribit Hipp. 7. Epid.

APHORISMVS XXXVIIII.

Si quis ſanguinem aut grumos, &c.

HIc Aphoriſmus in quarto libro eſt a nobis abunde explicatus, ideo non eſt cur nunc in eo laboremus.

APHORISMVS XXXX.

Si de repente lingua incontinens fiat, &c.

CVm de fluxionibus dixiſſet quæ ad uentrem ſuperiorem fiunt ſupra, modo de illis quæ ad linguam accidunt illi ſermo eſt, & ea de re præceptum reconditum tradit ac perquam utile. Conexio.

Stupor linguæ repentinus, uel alterius partis, ſignum melancholiæ eſt. Intentio.

Vt oſtendat qui repente ſine ſenſu, aut uoce fiunt, potiſſimam cauſam habere melancholiam; unde non ſolum apoplexiæ, ſed et reſolutionis, epilepſiæ, & conuulſionis, potiſſimam cauſam ſtatuat melancholiam. Rō intentionis.

Stupor linguæ uel alterius partis repente fiens, ſpirituum interceptione naſcitur. Igitur ex atra bile. Antecedens eſt Hipp. 4. acutorum dicentis, quod ſi de repente quiſpiam ſine uoce fiat, ſi ſano hoc accidat, ſine occaſione manifeſta, aut alia forti cauſa, hoc prouenire ex uenarum interceptione. Conſequens eſt ipſiuſmet loco aducto, ubi fluxiones atræ bilis intercipere uenas dixit, quæ ad cor uel hepar ſunt: unde capitis dolores, uertigines, epilexiæ, apoplexiæ, & conuulſiones oriuntur. Demonſtratio.

Quod hic Aphoriſmus, ut pote non conſentiens principijs Galeni, ſi ad verbum intelligatur, occaſionem dedit trahendi interpretes in diuerſos ſenſus, quare quidam cum Galeno dicunt, illud melancholicum, non ſolum atram bilem ſignificare, ſed craſſum humorem, ita ut ſi repente incontinens fiat lingua, uel alia parte corporis ſtupeat, id prouenire ab humore craſſo: alij uero, vt Cardanus, referunt incontinentiam linguæ ad amentiam, ut ſi quis de repente turpia loquatur, quod hoc proueniat ex uapore atræ bilis mentem feriente, inde fit, ut ſtuporem attonitum habeant in 1. adnotatio.

aliqua

aliqua parte corporis, quare tales multa pati ſolent & ſectiones & tormẽta & mortes & quaſi non ſentiunt. Multi aũt ſunt in illis qui ægrotant mente, iuxta aphor. ſecundi libri, in quo dixit, qui dolentes aliqua parte corporis dolorem non ſentiunt his mens ægrotat. Sed dices, cur non fit loquacitas iſta & ſtupor potius ex pituita aut bile? Ex bile non fit ſtupor cum calida ſit, ex pituita autem non ita inſaniunt homines, quia humor malignus non eſt, ſicuti atra bilis. Alia expoſitio eſt, ut intelligat ſtuporem linguæ, uel alterius partis non in omnibus prouenire ex atra bile, ſed his qui ad talem naturam ſunt prompti, quia in pituitoſis & albis ex pituita fiet: adde verbum illud, repente ſignificare potius melancholiam, quia pituita non ita repente ſolet ſtuporem efficere, quin illius ſigna præcedant.

a. adnotatio. *Quod licet ſuperiores ſententiæ probabilitatem habeant, tamen mens Hipp. eſt, vt ſtupor repentinus, dummodo ſano homine contingat, & non aliqua manifeſta cauſa, fiat ex atra bile. Cum enim per uenarum obturationem fiat, ſeu in cerebro, ſeu ad alia membra præcipua, & illius obturationis cauſa ſit, vel ſumma plenitudo, vel mordacitas humorum fluxionem commouentium, & ſanguis congeletur, & ſiccetur, & frigidus fiat, impediens ſpiritum tranſitum; frigidus autem & ſiccus humor melancholia ſit, fit vt in actu & immediate ſemper ſtupor & aphonia proueniant ex melancholico ſanguine.*

APHORISMVS XXXXI.

Si ſenibus ſupra modum purgatis, &c.

HIc Aphoriſmus iam libro quinto expoſitus eſt: inſcriptus uero ibi eſt magis vniuerſalis, ut malum ſit, ſi purgationem ſequatur conuulſio, aut ſingultus. Hic tamẽ de ſenibus magis loquitur & conuulſionis nõ meminit, addens ſingultũ, quod peculiaris ſit ſenum magis ſingultus, & ideo etiam minus periculoſus in illis: quare dixit, non bonum, ſunt enim ſicciores & ideo ad conuulſionem propter ſiccitatem magis apti: & minus etiam periculoſe ægrotant homines a morbis cognatis, niſi ſint extremi ſenes, qui ob virium debilitatem grauius ex quacũq; cauſa habeat.

APHORISMVS XXXXII.

Si febris ſit non ex bile, &c.

Cõnexio. *CVm de atra bile locutus ſit ſupra, quam ex ſtupore colligebat, nunc de ſebre quæ ex bile non fit, uerba facit, & præceptum ſcribit utile*

le

& ad curationem in febribus.

Intentio.

Si febris ſit non ex bile orta, multa aqua calida capiti ſuperfuſa febrem ſoluit.

Rō intentionis.

Vt oſtendat febrem omnem humoroſam à bile exoriri, nec non balneum non mediocre eſſe ad febres ſimplices remedium; nam qua ratione uictus humidus omni febri repugnat, eadem repugnat omni febri balneum quantum in ſe eſt.

Demonſtratio.

Rigatio capitis ex multa calida humectat, refrigerat, & diſoluit: Ergo competit omni febri ſi non ex bile oriatur. Antecedens probatur, quia hic de balneo intelligit tepido aquæ dulcis quod tales habet uires, peculiariter autem capiti admouendo, quia ex eo ſolet eſſe origo febris ephemere quam potiſſum hic intelligit. Conſequens deducitur; quia licet omni febri competat, ei tamen quæ ex humore fit repugnat ratione cauſæ. Cæterum Hipp. ſe ipſum exponens in hunc modum ſcripſit, ſi hominem calor corripiat, neque a bile, neque a pituita, ſed a laſſitudine, aut alias febriat, aquam multam calefacito, deinde ea ſuperinfuſa caput irrigato donec pedes ſudarint. 2. Epid. ſect. 6.

1. adnotatio.

Quod bilis nomine omnem intelligit humorem qui febrem facit; quia uel omnis febris fit a bile, vel ex humore qui bilis naturam aſſumit: quare excluſit per hoc febres humorales. Solet autem Hipp. nomine unius humoris non raro cæteros intelligere, & cum hoc facit bilem, aut pituitam nominat; unde dicebat, oēs morbos ex bile & pituita fieri: at 20. Aphoriſmorum etiam per bilioſum excrementum omne aliud intelligit, cum dixit, quibus fauces ægrotant, aut puſtularum eruptiones oriuntur in corpore, eſſe inſpicienda excrementa, quæ ſi bilioſa fuerint, hoc eſt ſeu bilioſa, ſeu alterius humoris naturam referant, corpus intus ægrotare. Igitur hæc uox bilis hic omnem ſignificat humorem, atque ita non ſolum febrem bilioſam, ſed phlegmonoſam omnē excludit, cui talis ſuperinfuſio non conuenit: quamuis Galenus etiam dicat eum febrem abſolutè affectionem dicere, quæ non ex aliquo abſceſſu fit, neque morbus dici ſolet, ſicuti cum ſequitur aliquam inflammationem, ut lateris pleuritis dicitur, in pulmone peripneumonia. Cum igitur febris, neque putrida eſt, nec ex inflammatione oritur, capiti balneum adhibitum iuuat: ideo ſolum de ephemeris loquitur, & de illis quæ præcipue a capite originem traxere, ſeu nimis calefacto, ſeu refrigerato. de natura humana. 1. de mor.

2. adnotatio.

Quod non ſolum in ephemera capitis iſtæ ſuper infuſiones proſunt, ſed etiam totius corporis balneum illis magnum eſt remedium. Competit etiam balneum omni febri humorali & phlegmonoſæ, ſed non a principio ſicuti in ephemera. At cur non dixit balneum, ſed capitis infuſiones? quia ut plurimum caput ſolet eſſe cauſa febris quæ ex cauſa exerna oritur, ut quod ſuſcipit omnes corporis uapores; unde non ſolum refrigerat,

& humectat,ſed diſſoluere facit halitus: quare capitis grauitatem ſoluere dixit lib. 3. acutorum. Quod uero ad lotiones capitis attinet quæ per ſanitatem fiunt tonſis capillis ex lixiuio, & ipſæ quoque ad ſanitatem conferunt,& abſtergunt,ſed quia exſiccant in febre non conueniunt,ſed magis ex aqua tepida.

APHORISMVS XXXXIII.

Mulier an ſit ambidextera,&c.

Cõnexio *QVam connexionem hæc ſententia cum ſuperioribus habeat difficile eſt videre: eſt autem interpoſita magis ad curioſitatem quam artis uſum.*

Intentio. *Mulier non ſit ambidextera.*

Rõ intentionis. *Vt oſtendat fœmineam naturam maſcula eſſe imperfectiorẽ, ac per conſequens maſculos fieri poſſe ambidexteros, quod ad bellum & operationes ualde utile eſt, cum unus viran bidexter quaſi duorum uicem gerat.*

Demonſt. *Robur æqualis utriuſq; manus perfectiſſimum robur indicat: ergo in feminis eſſe nequit. Antecedens facile declaratur, quia ambidexter quis eſſe nequit, niſi natura ſit formatus robuſtiſſimus. Conſequens probatur, quoniam perfectiſſimum robur in fœmina eſſe nequit.*

1. adnotatio. *Quod ambidextrum ſignificat æquale robur in utroque brachio, quod cum vel a natura, vel exercitio & per artem fieri poteſt, Hipp. loqui uidetur de illis qui a natura tales ſunt. Sunt autem tales quibus uenæ, nerui, tendines, æquè robuſti ac magni ſunt in ſiniſtra atque in dextera, ideo in calidiſſimis accidit cuiuſmodi nulla femina eſſe poteſt. Aliqui, vt Cardanus, cauſam huius problematis ad locum uteri referunt: nam cum mares dextera uteri parte magis geſtetur, ideo fit, ut dextras partes habeãt robuſtiores, ſi quando tamen in ſiniſtra fiant poterunt valere etiam ſiniſtris, quare ambidextri fient. At in mulieribus non eſt par ratio, quia ſi fiant in dextris dextras habebunt robuſtiores, quoniam id ſecundum naturam eſt illius partis: ſed in ſiniſtris ſi fiant illis non eſt naturale.*

2. adnotatio. *Quod ambidexterum, quod fit ex arte, non eſt difficile in mulieribus reperire, quia cum non multum ualeant uiribus facile æquari poteſt operatio ſiniſtri brachij dextero: at ex natura hoc non continget. Poteſt etiam intelligi Aphoriſmus de ambidextris qui tum ex natura tum exercitio fiunt: ſunt enim quidam qui a natura adeo ſiniſtro brachio utuntur ad actiones, ut nullo fere exercitio poſſit retrahi inclinatio illa, neque ſi brachium alligetur; ſiniſtro autem brachio vtentes mali moris ſunt ferè omnes, quia aſſimilantur feminis.*

APHO-

APHORISMVS XLIIII.

Si empyj cum vruntur, aut ſecantur, &c.

CVm ſupra de ſuppuratione quæ fit tum in inferiori, tum ſuperiori uentre dixiſſet, nunc de ſectione agit quæ in puris collectionibus fit. Cõnexio.

Duæ proponuntur concluſiones, quarum prima docet purum & album pus ſi per ſectionem in ſuppuratis exeat eſſe ſanitatis futuræ indicium: ſecunda uero, quod ſi pus effluat ſubcruentum & feculentum ac fœtidum pereant: ideo iuxta duas concluſiones in duas partes recte diuidi poteſt Aphoriſmus. Intentio.

Vt cognoſcat medicus & prædicat futurum euentum in ſectionibus & vſtionibus quæ fiunt in collectionibus: ſecundo, vt oſtendat uſtionem & ſectionem magna eſſe ſuppuratorum remedia. Rõintentionis.

Pus album & purum per ſectionem, aut vſtionem exiens materiam euictam à natura oſtendit: ergo ſaluabitur æger. Antecedens probatur, quia pus purum & album opus validum naturalis caloris oſtendit ſupra materiam ſi quidem non poteſt redigi ad melius. Conſequens manifeſte ſequitur, quia ſalus fit cum natura morbum ſuperat. Demonſtratio. 1.

Pus ſubcruentum feculentum ac fœtidum uictum calorem naturalem a non naturali oſtendit ergo: mors expectanda eſt, cum tale in ſectis aut uſtis ſe oſtendit. Antecedens probatur; nam ſubcruentum pus ac ſanguinem redolens non poſſe naturam trãsformare declarat, & a materie multitudine ſeu malignitate prouenit. Feculentum magnam exuſtionem ſignificat: fetidum extranei caloris dominium, ac perinde tale pus aliquã partem putrefactam eſſe intra corpus oſtendit. Conſequens clare deducitur, quia prædictæ affectiones neceſſario mortem indicant. Demonſtratio. 2.

Quod ſuppuratos hic intelligit eos, quibus collectiones fiunt, ſeu ad uẽtrem inferiorem, ſeu ſupernum, & potiſſimum eos quibus ad ſupernum & thoracem pus colligitur, quod vel ex fluxione, vel rupta inflammatione, vel vlcere contingere poteſt. Solebant autem antiqui ubi ad certum quodam tempus pus non deducebatur vrere & ſecare thoracem: vſtio fiebat, uel penetrans ad canitatem, vel per crustas quæ diu permanebant ad extrahendum pus. Hipp. tamen de ſectione ſeu vſtione penetrante magis loquitur. Cum itaque ſectis aut uſtis ſuppuratis pus educitur purum & album, medicus ſalutem pronunciabit: cum vero prauum fuerit, nigrum, aut fœtidum, aut aduſtum, aut uiride, ſeu ut amurca, mors eſt prædicenda, quia tales ſecti non euadunt. Quare medicus, antequam ſecet conſidera- 1. Adnot.

bit pus quod ſupra educitur, & ſi bonas habuerit notas cum manifeſte colligit non poſſe educi pus, ſecare debet. Sed dices, quomodo natura in materiam dominari poteſt pus album & purũ conficiendo & non expellere? an quia natura iam debilitata ex morbo aliquando nõ habet uires expellendi, maxime in thorace in quo difficilis admodum fit eductio: unde Hip. in pleuritide exhibet ptiſanam in maiori quantitate quo magis expuit æger uſque ad iudicationem.

2 adnotatio. *Quod pus in collectionibus, vel optimum eſt, vel mediocre. Optimum album, leue & æquale eſt: peſſimum feculentum, ſubcruentum, & fœtidũ, aut oleaginoſum, uel nigrum: medio modo ſe habet ſi fuerit album & purum etiãſi craſſum ſit. Quare cum optimum educitur pus ſanitas ſequetur, cum peſſimum mors, cum vero mediocre ſe præbet, ambigua res eſt. Cæterum ſectiones per ferrum ignitũ magni uſus eſt in ſuppuratis, quia ignis putredinem tollit & ſanguinis fluores ſiſtit: thoracis autem ſectiones, nec anguſtæ admodum eſſe debent quo pus effluere melius poſſit, neq; lata admodum, ne uiſcera refrigerentur.*

APHORISMVS XLV.

Quibus purulentum, &c.

Cõnexio *Magnam habet hic Aphoriſmus cum ſuperiori connexionem; nã ſicuti in eo de ſuppurationibus agit quæ in uentre fiunt ſuperiore, ita hic de illis quæ in uentre inferiore ſecantur, aut uruntur.*

Intentio. *Duæ ponuntur concluſiones, quarum prima eſt: quibus per aduſtiones purulenti iecoris pus purum effluat & album, ſalui fiunt: ſecunda vero, ſi ueluti amurca profluat intereunt.*

Rõ intentionis. *Vt adducat peculiare exemplum ſuperioris ſententiæ, ac perinde ſuppuratum iecur curetur per aduſtionem, & ex pure futurus euentus a medico prædici poſſit.*

Diuiſio. *Iuxta duas concluſiones, in duas partes partiri poteſt Aphoriſmus.*

Demonſtratio. 1. *In iecoris purulenti aduſtione purum pus & album effluens ſignificat contineri in tunica: ergo ſaluabitur æger. Antecedens probatur, quia cũ in tunica continetur neque penetrat ad iecoris ſubſtantiam, ſignum eſt̃ naturam tranſmiſiſſe omne malum extra; ideo cõtineri in tunica, quaſi cauſa eſt boni puris, & puris bonitas ſignũ quod contineatur in tunica: utrũque vero validum calidum innatum, & naturam ſuperantem materiam demonſtrat; ergo ſalus ſperanda.*

In aduſtione purulenti iecoris ſi pus veluti à murca effluat, in ſubſtã-tia eius continetur: ergo mors ſequetur. Antecedens declaratur; quia ſi album, in tunica eſt: ergo oleoſum aut ut amurca in ſubſtantia erit, nec ſolum in ſubſtantia, ſed putrefacta iecoris ſubſtantia: ergo mors ſequetur neceſſario. Declaratio. 2.

Quoc vſtiones in hepate dupliciter fieri poſſunt, uel ad cruſtas inducendas, ut ex illis emanet, uel penetranti ferro vſq; ad viſcus ipſum. Conducit vtroque auxilio uti, grauis tamen eſt penetrans ſectio, & quã non niſi ignito ferro tentat Hipp. ob timorem hæmorrhagiæ. Sed neque omnis iecoris abſceſſus ita exuri poteſt, ut ſi cum tumor uergat ad partem exteriorem & gibbam, quia caua ferro atingi nequit: Prius tamen quam adhoc ueniamus remedium, alia auxilia tentanda ſunt, & illis quæ ruptionem efficere poſſunt, tum intus, tum extra utendum. 1. Adnot.

Quod non ſolum iecoris tumores ſed lienis adurebat Hipp. cum enim uiſcera illa tumefiunt ſine pure, nullum præſtantius extogitari poteſt remedium; verum aduſtio tunc penetrans eſſe non debet, ſed ad cruſtas inducendas. Adurit autem non ſolum ferro ſed buxeis, lignis, ac fungis & ex lino crudo non ſolum ignitis ſed feruenti oleo intinctis. 2. Adnot.

APHORISMVS XLVI.

Dolores oculorum poſt meracioris uini potum, &c.

Hic Aphoriſmus recte a Galeno reprobatur: tranſcriptus enim eſt, & pars alterius in quo dixit, aut balneum, aut fomentũ, aut phlebtomiam, aut uini potionem ſoluere oculorum dolores; nam nulla ait Galen. eſt affectio quæ iſta tria deſideret remedia. Quod ſi corpus uenæ ſectione indiget & plethoricum eſt, non eſt cur balneum aut uini potionẽ prius tentemus, at ſi non eſt plethoricum ſectione uenæ non indiget. Fortaſſe ſcriptus eſt ab Hipp. quaſi particularis alicuius caſus, ut in Coacis facit, quod aliquando temeraria curatio iuuet & remedia particularia ante uniuerſalia, cum alioquin corpus uacuatione indigere uideretur.

APHORISMVS XLVII.

Si Hydropicum tuſſis habeat, &c.

Iam hic Aphoriſmus ſupra eſt expoſitus, quamobrem eo recurrendum.

APHORISMVS XLVIII.

Stranguriam & dyſuriam,&c.

Conexio. COnexionem habet hic Aphoriſmus cum antecedenti, in quo de potione vini mentionem fecit; quare occaſionem modo arripiens applicat eam ad vrinæ difficultatem.

Intentio. *Stranguriam & dyſuriam uini potio & venæ ſectio ſoluit.*

Rõ intentionis. *Vt duo remedia inſignia proponat ad vrinæ difficultatem. Eſt autem morbus difficilis,& qui repentinam habet occaſionem.*

Diuiſio. *Duas partes habet hæc ſententia: prima concluſionem intentam continet: ſecunda vero animaduerſionem & cautionem adhibendam in phlebotomia.*

Demonſtratio. *Potio uini & phlebotomia magnam uim habent aperiendi uias & præcauendi ab inflammatione: ergo ſoluit ſtranguriam & dyſuriam. Antecedens probatur: nam uini potio facile permeat ad urinam, ſanguinis miſſio reuellendo & attenuando prohibet inflammationem: ergo magnam uim habet vrinam ſoluendi, quod erat in conſequenti.*

1. adnotatio. *Quod cauſa difficultatis urinæ eſt quidquid obturandi vim habet, ſeu humor ſit, ſeu tumor, ſeu lapis, aut arenulæ, ſeu callus, aut caruncula, ſeu denique multitudo vrinæ. Intelligit Hipp. non illam difficultatem quæ ex uirtutis imbecillitate oritur, aut relaxatione muſculi ad collum, quæ in ſenibus accidit. In reliquis dummodo inflammatio & febris non adſit, uini potio vtilis eſt. Loquitur autem non de quolibet uino ſed grandi & meraco,& albo: hoc enim maximè per urinam expurgare dicebat. At uenæ ſectio ratione magnitudinis morbi conuenit & ubi inflammationis timor eſt,& denique in omni difficultate urinæ. Conuenit aut phlebotomia, aut meri potio, aut vtrumque remedium. Cæterum venas inferiores tali, aut poplitis ſecandas dixit ad communionem maiorem, atque adhuc internas magis, quod maior in illis et euidentior conſpiciatur utilitas, licet Galeno difficile uideatur cur magis internæ quam externæ crurum inciſæ iuuent, cum ab eodem trunco habeant originem, utræque.*

acru.

2. adnotatio. *Quod inter alia remedia ſoluendi urinam balneum eſt, cuius tamen non meminit, quia non ita promptum eſt, neque omnes balneum ita ferre poſſunt, ob uirium languorem. Clyſteres quoq; ſoluendi urinam uim habent. Vbi autem quidpiam obturat, neq; prædictis cedit remedijs; ſyringa utendum & concuſſione, aut cantaridib. applicitis plantis pedum, quæ*

urinę

vrinæ mouendi uim habent. Quod ſi nullis remedijs cedit, quod vel coalitu meatus vrinarius ſit obturatus neceſſitas indicat veniendum eſſe, vel ad ſectionem, uel uiolentam cæteris inmiſſionem; quarum utraque cum maximo uitę periculo fit. Intelligit autem difficultatem urinæ quæ uitio fit colli veſicæ, non partium ſuperiorum.

APHORISMVS XLVIIII.

Ab angina detento, &c.

A *Difficultate vrinæ quæ obſtructionem & conſtrictionem meatus vrinarij fit, ad anginam tranſit, quæ & ipſa oritur ex gutturis conſtrictione.* Connexio. Intentio.

Tumor & rubor ſi appareat in pectore angina laborantis, bonum. Rō intentionis.

Vt demonſtret ſignum anginæ ſuperueniens ſalutare.

Duas partes habet præſens ſententia: prima concluſionem intentam continet: ſecunda uero cauſam habet illius. Demonſtratio.

Tumor in pectore apparens detenti ab angina, morbum extra uergere indicat: ergo bonum. Conſequens clarum. Antecedens etiam ſatis apertum eſt. 1. adnotatio.

Quod libro ſexto eundem affert Aphoriſmum, ſed de tumore in collo id dixit, nunc de eo qui in pectore fit loquitur. Cum autem in faucibus & collo, & pectore apparere poſſit; Hipp. hic de rubore & tumore in pectore apparente loquitur & ſecurior eſt. Sed cum loco allegato iam ſatis explicatus ſit hic Aphoriſmus, non eſt quod nunc plura afferamus.

APHORISMVS L.

Quicunque in cerebro Sphacelon, &c.

S*Icuti in antecedenti de morbo graui & periculoſo, angina ſcilicet, ſermonem habuit in prognoſticum, ita hic de Sphacelo agit, qui grauiſſimus eſt cerebri morbus.* Cōnexio.

Quibus cerebrum Sphacelo laborat, intra tres dies intereunt; ſi vero eos prætereant, non moriuntur. Intentio.

Vt morbi euentum oſtendat difficilimi & grauiſſimi, tam ad malum, quam ad bonum. Rō intentionis.

Maximus morbus in primo circuitu iudicatur: ergo Sphacelus cerebri intra tres dies terminabitur ad malum, alioquin ſaluabitur ęger. Antecedens manifeſtum eſt, ſiquidem acutiſſimi morbi ſtatim extremos ha- Demonſtratio.

bent labores. Conſequens probatur; quia primus circuitus eſt trium dierum in acutiſſimis morbis, qualis eſt Sphacelus cerebri, magna enim habet ſymptomata: at ſi iam tres dies excedat, ſignum eſt ſuperari a natura malum; quæ enim potuit per tres dies magnos ferre labores ſuperabit quoque mala, ut de tetano dicebat, intra quatuor dies interimere, alioqui ne quaquam.

1. Adnot. *Quod ſi deſidratio ſeu Sphacelus & corruptio, aliquando oſſi tribuitur male affecto, aliquando carnibus, ut cũ putreſiunt mẽbra: de quibus ſignificationibus non poteſt intelligere Hipp. quia ſi cerebrum ita corrumperetur nullo modo euadere æger poſſet; ſed inflammationem intelligere oportet, quæ vel ſequitur ſanguinis feruorem in capite, vel obmuteſcentiam illam quæ ex graui percuſſione oriri ſolet, ruptis neruis & ſanguine extenuato, aut ſpiritus contractione ad cerebri uentriculos, unde remanent ægri ſtupidi ac ſine ſenſu & motu. Seu igitur a cauſa interna, ſeu externa morbus proueniat, cum maximus ſit, ſtatim intra tres dies occidit: aliquando ad quinq; et ſeptẽ dies extenditur ſecundũ Hip. at frequentius intra tres. Verũ ſi talis fuerit, ut ſuperetur & diſſoluatur, aut euatione ceſſet inflammatio, tunc terminum illum tranſire ſolet, unde euadit æger.*

li. de morbis. 2.

2. Adnot. *Quod Hipp. de cerebri ſideratione cum ſit a cauſa interna: ſecundo de morbis egit, & docuit fieri ex tranſmiſſione ſanguinis uenarum cerebri ad ſpinam & accidentia eſſe ſanguinis uomitum per os, aut nares excretionem, animi deliquium & ſudorẽ: at 7. epidemiorum ex repletione ait fieri, cum cerebrum tranſmittere non poteſt humorem ad emunctoria, & nares ſiccæ ſunt: & addit, ſi autem accedat anxietas & biliosus uomitus, aut ſtupor oculorum, aut obmuteſcentia & raro quid loquitur, aut delirium quoddam, mortalem eſſe & conuulſoriam, hæc illa; per quæ oſtendit ferè ſemper lethalem morbum.*

APHORISMVS. LI.

Sternutamentum cietur ex capite, &c.

Cõnexio. *CVm in antecedenti ſententia egiſſet Hipp. de cerebri affectione præter naturam, in præſenti modo Aphoriſmo de ſymptomate naturali ipſius agit, ſternutamento ſcilicet.*

Intentio. *Duæ proponuntur concluſiones, quarum prima docet ſternutamenti cauſam eſſe calidum & humidum: ſecunda vero docet ſtrepitum fieri propter aeris perangusta tranſitum. Ideo in duas partes iuxta duas concluſiones diuidi poteſt præſens ſententia.*

Vt demonſtret unde ſternutationes proueniant quæ inter ſymptomata cerebri reperiuntur; unde & morborum dignotiones & prognoſtica habentur in cerebro. Rō intentionis.

Sternutatio extra à calore & humido concitatur: ergo & intra. Antecedens probatur; nam a calore Solis & piperis excitatur; item a calido per auſtrum, ac humiditates fieri ſolent: ergo ab humido. Conſequens facile ſequitur, quia probabile eſt intus talem habere cauſam qualem habet extra. Demonſtratio. 1.

Secunda concluſio facile probatur: nam ſonus ex percuſſione fit, & quo ualidior fiet percuſſio maior fiet ſonus: & quia meatus anguſti ualde ſunt, ideo vehemens naſcitur percuſſio & ideo ſonitus. Demonſtratio. 2.

Quod per ſternutamentum purgatur totum corpus, ſed præcipue cerebrum: deinde pulmo & uentriculus. Excitatur autem primo, ex flatu per calorem eleuato; inde excitato ad impulſionem cerebro nouus aër attrahitur à naribus & pulmone, unde maior impetus. Sed dices, ſternutamenta quæ fiunt irritatione narium non uidentur habere humorem & calorem excitantem? Reſpondit Galenus loqui Hipp. de illa quæ fit a cauſa interna, nō a cauſa externa. At dices, cū multoties homo in ſternutationem incidat, & uiſum eſt quibuſdam cum exitio, non uidetur habere talem cauſam, ſed & cum in morbis qui non ex pulmone pendent fit, robur naturæ ſignificat, ut in prognoſtico ſcripſit, non uidetur eandem cauſam habere. Dic neceſſario, aut calorem, aut humorem ſemper mouere ſternutamenta: nam quæ fiunt multoties aliquando pluſquam triginta, indicant prauam & malignam cerebri diſpoſitionem ex flatu, ſeu aura irritatam; quæ item fiunt ob robur naturę non niſi cum altera ex his cauſis fiunt. 1. Adnot.

Quod pueris, cum aëri frigido exponuntur, ſternutamenta fiunt & ſingultus; unde a frigido aliquando oriri poſſit, non à calido. Dic habere tunc cauſam externam, non internam. Rurſus frigida, & humida caput replentia extra, ſternutamenta mouent. Dic frigida equatenus denſant replere caput, inde caleſcere, & calore eleuante humidum in cerebro fieri: quare per grauedines & capitis repletiones maxime apparent ſternutamenta; unde ex frequentia illorum medicus capitis mala & repletionem prædicere poteſt & obuiare. 2. adnotatio.

APHO-

APHORISMVS LII.

Quibns iecur uehementer, &c.

ALibi ſcriptus eſt hic Aphoriſmus: dixit enim ſedari hypochondrij dolores ſine inflammatione a febre ſuperueniente; quare non eſt quod hic multa de eo afferamus, quia iecur ſub hypochondrio eſt.

1. adnotatio. *Quod dolor iecoris, vel eſt magnus, uel paruus; ab intemperie, vel obſtructione. Paruus ab intemperie eſſe ſolet: obſtructio grauem facit dolorem & præcipue a cibo. At ualidi dolores hepatis, aut ab inflammatione fiunt, aut a flatu: hic non eum qui ab inflammatione intelligit, quia ſupponit ſine febre fuiſſe dolorem, ergo ex flatu potius colligere opportet, qui ſuperueniente febre diſſoluitur, unde fomenta adhibemus ad flatus diſſipationem.*

APHORISMVS LIII.

Quibus ſanguinem euenit, &c.

HIc Aphoriſmus libro ſexto expoſitus eſt; quare cum repetatur non indiget alia expoſitione.

APHORISMVS LIIII.

Quibus intra uentriculum, &c.

Cõnexio. *CVm in antecedenti de hepatis dolore mentionem feciſſet, nunc de dolore agit, qui hepatis dolori eſt affinis, & ſententiam ſcitu digniſſimam proponit.*

Intentio. *Pituita intra ventriculum & ſeptum contenta, & dolorem afferens, ſi per uenas ad ueſicam tendat ſoluitur.*

Rõ intentionis. *Vt oſtendat mirabilem naturæ prouidentiam, quæ aliquando præter ſpem morbos curat, ac perinde doceat nos, ut, ſi quando talis caſus aduen-iat, diureticis utamur, potius quam medicamentis, naturam imitando iuxta illud quo natura uergit.*

Demonſtratio. *Pituita intra ventriculum & ſeptum contenta uiam non habens conſpicuam, educi non poteſt niſi attenuetur: ergo potius per veſicam educetur quam alia uia, & morbum ſoluet. Antecedens declaratur: ſiquidem cum non conſpicuam habeat uiam, attenuata facile ad uenas emulgentes penetrare poterit, per occultos corporis meatus, aut ad iecur ob propinquita-*

quitatem. Conſequens probatur: quia ſeroſus humor magis ad veſicam trahitur, quam ad aliam partem: quod ſi in veſicam vergat pituita, ſoluitur dolor, cauſa mali per urinam educta.

Quod de loco, quo vult Hipp. contineri pituitam, dubium non eſt: nam Galenus intra ſeptum & peritonæum intelligit; unde uentrem peritonęũ explicat. Sed hæc expoſitio habet difficultatẽ, cur aqua illa non deſcendat ad pectem. Cardanus exponit de pituita quæ ſupra ſeptum continetur ad os ventriculi, quæ affinitate iecinoris poterit ad partem conuexam illius tranſſumi, & ſic in urinas diffundi: utraque expoſitio probabilis eſt. Cur vero deorſum non uergat pituita, quæ intra peritonęũm continetur, cauſa eſſe poteſt, quia non in uacuo, ſed intra membranas contineatur, aut adhæreat. 1. Adnot.

Quod cum nulla ſit uia manifeſta per quam talis pituita educi poſſit, per uomitum, aut deiectionem: ideo addit inter alterutrum ventrem uiam non habens, intelligens manifeſtam, & uentres duos ſuperiorem & inferiorem. Sed dices, cur etiam aqua ad inteſtina non per meatus non ad manifeſtam cauſam, ſed naturæ mirandam uim referri debet iſta uacuatio? an quod illa in ueſicam verſa pituita, non ſignificat ſemper debere ire in ueſicam, ſed quod ſi eat, ſoluat morbum: uel quia facilior eſt uia ad ueſicam quam ad aluum, propter uenas magnas quæ ſunt ad ſpinam, quæ humorem illum attenuatum attrahere poſſunt: ideo habemus ex hoc Aphoriſmo magis eſſe curanda per duretica quam per purgantia. At nil mirum eſt aquam illam etiam per aluum & umoitum educi poſſe naturæ illo conſenſu, quo corpus dicitur undique confluxiſſe: ad quod propoſitum notat Galenus per oſſa tranſmitti aliquando pus, & pro certo affirmat ſe uidiſſe mulierem, quę deuoratam acum percutim ad regionem ſtomachi eiecit, cum plures annos illam in ſtomacho continuiſſet; adeo ſagax natura aliquando ſui conſeruatrix admirabiles operationes edit. 2. adnotatio.

APHORISMVS LV.

Quibus iecur aqua refertum, &c.

CVm de pituita, quæ intra uentriculum & ſeptum continetur dolorem inferente, in antecedenti egiſſet; nunc caſum non diſſimilem proponit aquam ex iecore in omentum erumpentem. Cõnexio.

Quibus iecur aqua refertum eruperit in omentum, his uenter aqua impletur, & moriuntur. Intentio.

Vt

Rō inten-tio. *Vt oſtendat lethalem eſſe hydropem iecoris aquoſum, & eo magis cum illud acceſſerit, ut aqua in uentrem infundatur.*

Demon-ſtratio. *Vbi aqua repletum iecur rumpitur, eaque multa in omentum effunditur, uiſcus corruptum eſſe ſignificatur: ergo uenter implebitur & mors ſequetur. Antecedens declaratur; quia ſi iecur aqua plenum, ſupponitur, multa eſſe aquā: eadem autem aquæ generatio iecoris temperiem deperditam eſſe oſtendit. Probatur conſequens; quia non poteſt effundi aqua cum in omentum tendit, quam in uentrem. Mors autem ſequitur tum ex iecoris malo, tum etiam quia aqua illa hydropem facere ſolet, & augere, unde mors ſequitur; nec enim eſſet expurgaretur aqua ſpes licet ſanationis, quia iam viſceris robur eſt amiſſum & adeſt uirium imbecilitas.*

1. Adnot. *Quod iecur impletur aqua, uel quia ſanguinem in aquam tranſmutat, aut quia excrementum ſeroſum non expurgatur, quod illi accidit ob intemperiem, uel ſcirrum. Aqua uero, vel in veſiculis quibuſdam continetur, uel inter membranas iecoris. Mors autem quæ ſuccedit, uel ſtatim ſuccedere poteſt, ob magnam aquæ & repentinam effuſionem; unde ſcripſit Hipp. in hydropicis & purulentis cū aqua uel ſanguis ſimul educitur, ſequi mortem, aut mors ſuccedit paulatim conſumptis uiribus & aqua totum uentrem implente.*

2. adnotatio. *Quod ex hoc Aphoriſmo ſumit occaſionem Fernelius putandi aquam, quæ in uentre continetur hydropici, non per reſudationem transferri ſed per corroſionem alicuius uenæ per colari ad illud, ſicuti hic epatis membrana rupta & ab aqua corroſa illam in uentrem effundit. Illud uero omentum ſignificat, uel in ipſum omentum, uel ad partes circa omentum, quæ ſunt in uentre; quæ expoſitio magis placet Galeno: poterit tamen temporis ſpatio corrodi omentum & aqua impleri quæ intra peritoneum & omentum continetur.*

APHORISMVS LVI.

Anxietudinem oſcitationem, &c.

Cōnexio. *Cvm ſupra de uini potione locutus fuiſſet eamque ſoluere ſcripſiſſet urinæ difficultatem, nunc eandem uini potionem rurſus in conſiderationem ponit.*

Intentio. *Anxietudinem, oſcitationem, horrorem, uinum pari aqua epotum ſoluit.*

Rō Intentionis. *Vt demonſtret uini uim ad hæc tria ſymptomata tollenda, ac proinde eo tanquam remedio in illis uti nos oportere.*

Demonſtratio. *Vinum æquali aqua perfuſum diſſoluendi & attemperandi humores & uapores uim habet: ergo ſoluit anxietudinem, oſcitationem, & horrorem.*

rorem. *Antecedens probatur: nam ratione aquæ attemperat, & ratione vini diſſoluit. Conſequens deducitur; quia anxietudo, oſcitatio, & horror ſolent habere eandem cauſam, uaporem ſcilicet, aut craſſum, aut acrẽ, & mordentem os uentriculi & neruos, qui uapor a calore uini diſſoluitur & a frigiditate aquæ attemperatur: adde aquæ penetrationem uinum adiuuare & quo minus caput petat impedire.*

Quod iſta tria ſymptomata uel ſunt in ſano homine & abſque febre, vel febricitante: quouis modo uera eſt Hipp. ſententia, licet in ſano tutius ſit remedium. Cæterum anxietudo, uel mœrorem ſignificat (ad quem conducit maxime uini potus; vinum enim lætificat cor hominis, ait Prophe ta) vel ſignificat anxietudinem quæ ex maligno humore ad os uentriculi conſiſtenti fit, ſeu ad uterum, aut hypochondria; vnde ructus, ac animi defectus fiunt: & in his caſibus uinum etiam optimum remedium eſt, tum quia calidum, tum quia reſiſtit omni malignitati: unde Hipp. inter remedia maleficiorum poſuit lac, uinum, allium, acetum & ſal. 1. Adnot.

Quod oſcitatio fit ex craſſo uapore, qui ad muſculos mandibularum currit, unde laxantur muſculi & diſtenduntur, ut flatui pateat uia, ſicuti in pandiculatione. Horror autem, cum ſit debilis rigor, ſeu a frigido, ſeu acri uapore fiat, etiam a vini potione ſoluitur. Cæterum illud ęquali aqua permixtum, triplicem habet ſenſum, aut quod ęqualis ſit potio pro medietate uini aquæ; aut quod mixtio aquæ ſit tanta quanta uinum ferre poteſt ad proportionem uini & naturam aſſumentis; aut quod tale debeat aſſumere uinum ut eſt meracum & grande, quod ſolet ęqualem aquę partem ferre: quibus omnibus modis uera eſt ſententia Hipp. & medici prudentia omnibus pro occaſione uti poterit. 2. Adnot.

APHORISMVS LVIII.

Quibus in meatu Vrinario, &c.

H*Ic Aphoriſmus in quarto libro ponitur, & eo loci illum explicauimus, quare illius expoſitionem iam nunc omittimus.*

APHORISMVS LVII.

Quibus occaſione aliqua cerebrum, &c.

C*Vm ſupra de Sphacelo cerebri Hipp. locutus fuiſſet, nunc affectionem indicat, quæ uel cerebri ſideratio eſt, vel illi per quam affinis.* Cõnexio.

Qui-

Quibus cerebrum uehementer fuerit concuſſum, mutos protinus fieri eſt neceſſe.

Rō intentionis. *Vt medicus dignoſcat ex hoc ſymptomate magnam cerebri concuſſionem factam, & intus læſum eſſe.*

Demonſtratio. 1. *Loquelæ principium eſt a cerebro: ergo eo vehementer percuſſo mutus fiet homo. Antecedens patet; quia mouendi, & ſentiendi facultas à cerebro eſt. Conſequens probatur; quoniam ex magna percuſſione neceſſe eſt, uel conquaſſari cerebrum, vel diſrumpi neruos, aut rumpi uenas, aut denique retrahi facultatem ad arcem ſuam unde mutus fit homo.*

1. Adnot. *Quod aphonia ſeu obmuteſcentia non ſolam vocis priuationem hic ſed omnis motus & ſenſus amiſſionem ſignificat, quia valde læſo principio perdūtur operationes. Quod vero dicitur quinto Aphoriſmorū lib. ſexto de febre ac vomitu bilis, indicare diuiſionem cerebri, ab hoc differt, quia hic magnam colligit læſionem quaſi percuſſionem, ſeu caſum & contuſionem, ibi autem læſionem abſolute dixit; hunc vocauit Hipp ſtuporē cum ſcripſit ſupra, ex capitis ictu ſtuporem, aut deſipientiā mala eſſe. Solet autem aliquando poſt tres dies reſurgere æger & uocem recuperare; aliquādo autem longiori tempore dummodo non ſint diſrupti nerui aut valde læſi ventriculi. Quidam ictu adeo uehementi & valido conſedit ut ſanguis ex oculis, auribus, naribus & ex ore manaret, tunc tantus mentis ſenſuumq; ſtupor inuaſit, ut calua pertuſa atque inde obducta fuerit, omneq; remedij genus ſine ſenſo inductum; ſicq; is tertio menſe reſtitutus immemor omnium quæ obtigerant.*

2. adnotatio. *Quod ad eiuſmodi percuſſiones ſyndone calido uino imbuto inuoluunt ægrum, quo ebullierint roſæ maiorana, ſaluia, ad facultatem excitandam & roborandam. Cæterum huius Aphoriſmi exēplum habes quinto Epid. in puella quæ ex rupe cecidit & uoce priuata iactabat ſe & ſeptima die uocem recuperauit, liberata tamen ſanguinis effuſione ex naribus: aderat enim mulieri ſtertor, & ſpiritus denſus ut morientium. Victus fuit mellicratum, maxime autem adiuta eſt ex ætate & ſanguinis fluxu enaribus; in ætate enim puerili, cum conſtet membrorum tenuitate & mollitie, non ita franguntur partes (cum cedant) ut in maioribus & durioribus corporibus accidit.*

APHORISMVS. LVIIII.

Corporibus humida carne præditis, &c.

Cōnexio. OCcaſione potus, cuius ſupra meminit, modo famis mentionem facit, & ſicuti de utilitate potionis uini egit, ita de vtilitate famis nunc agit.

Corpo-

Corporibus humida carne præditis præcipienda fames. Intentio. Rō intentio.

Vt proponat remedium ad morboſam partium humiditatem; ac perinde cognoſcat medicus famen conferre aliquando hominibus, licet debilitandi alioquin uim habeat.

In duas partes ſecari poteſt præſens ſententia: prima docet famem cōuenire corporibus carnis humidæ: ſecunda uero cauſam. Diuiſio.

Fames exſiccādi uim habet: ergo præcipienda corporibus carnem humidam habentibus. Antecedens declaratur, ſiquidem inedia exſiccat, quia calor non reperiens alimentum ad propriam conuertitur humiditatem. Conſequens probatur, quia corpora quæ humidas carnes habent exſiccatione indigent; nam carnes humidę ad robur ſunt ineptæ, & ad ægrotandum aptiſſimę. Demonſtratio.

Quod fames duo ſignificat, vel cibi abſtinentiam, vel minorem copiā quam decet: utroque modo intelligi debet ſententia: adde etiam cibum debere eſſe extenuantem. Sed cur non alia addidit quæ corpus exſiccare poſſunt præter famem, ut exercitium, balneum, calida medicamenta, uacuantia? an quod fames inter omnia æqualiter totum corpus exſiccat & ſine periculo: uerum fames magna eſſe non debet ſed mediocris & pro natura ægri. Cæterum Hipp. 6. epid. detractionem & carnium extenuationem fieri dixit laboribus & multis deambulationibus: deinde vero carne ouilla, maza & pane modico, duo proponens magna exſiccandi remedia, laborem, & ciborum parſimoniam. Non ſolum autem fames confert humidis carnibus, ſed ſitis etiam; unde hydropicos ſiti, etiam abſtinentia potus per annum multos curatos conſtat: ſed hydropici quamuis uentrem inferiorem habeant humidum, non tamen omnes partes, præterquā leucophlegmatici & qui alba pituita laborant, de quibus præcipue debet intelligi præſens ſententia, de humidis ſcilicet morbis. 1. Adnot.

Quod humidi ſunt in duplici differentia, vel a natura, uel a morbo. A natura, uel ratione temperamenti, vel ætatis, de quibus non intelligit Hipp. ſed de humidis humiditate morboſa, qualis eſt albæ pituitæ. Verum quia fieri poteſt, ut tales carnes habentes ſint pricocoli uentre ſuperiore, medicus iſtos excipere debet, aut ſaltem non ita fame premere, quia ab ea ualde lęduntur. Nota autem Hipp. ad articulorum humiditatem ſeptimo epidemiorum balneo aquæ marinæ uſum fuiſſe in Niſantide, quod mirabiliter exſiccandi articulos uim habere credatur, quamuis ibi non ſupponat carnes humidas, ſed articulos. 2. adnotatio.

APHO-

APHORISMVS LX.

Vbi toto corpore mutatio, &c.

HIc *Aphoriſmus quarto libro iterum eſt aſcriptus & eo loco a nobis fuit explicatus.*

APHORISMVS LXI.

Sudor multus calidus, aut frigidus, &c.

Connexio. *CVm de humidis carnibus ſcripſiſſet 59. Aphoriſmo, & docuiſſet famem illis fore peculiare remedium; nunc de ea ipſa humiditate educenda uerba facit.*

Intentio. *Sudor multus calidus aut frigidus ſemper fluens, humiditatem educendam indicat, robuſto uomitu, imbecilli autem per deiectionem.*

Rō Intentionis. *Vt in hoc Aphoriſmo aliud auxilium ad corpora humida exſiccanda demonſtret, ſcilicet purgationem.*

Demonſtratio. *Sudor fit maxime ad partem ſuperiorem: ergo per ſuperna indicat euacuationem, niſi imbecillitas repugnet. Antecedens declaratur; ſiquidem viſcera ad ſupernã corporis partem collocantur, vel illi ſaltem ſunt affinia, unde ſudor præcipue circa faciem & thoracem conſpicitur. Conſequens declaratur; quia euacuatio debet fieri per locum quo natura uergit, ſed quia uomitus requirit uirium robur, ideo non niſi in robuſtis per ſuperna purganda dixit, imbecillibus uero per inferna.*

1.Adnot. *Quod ſudor multus, ut quarto libro dixit, ſignificat morbum, vel præſentem, uel futurum: & frigidus maiorem, calidus autem minorem: uerum talis ſudor non neceſſario indicat carnium humiditatem; quamuis uiſcerum ſuperfluum humorem indicet, qui grauat facultatem; unde pars eius tenuior diſſoluitur in ſudorem, quare indiget purgatione. At quoniam uomitus ſolet repletionem curare de facili, & præcipue ſi a copioſiori cibo ſudor oriatur, ideo ſupernam præcipit purgationem, infernam autem magis debilibus. Erat enim uomitus frequens antiquis ad ſanitatem tuendam, & ad præcauendos morbos, unde tertio de diæta curat omnem repletionem uomitu.*

2.Adnot. *Quod fames etiam continue exudantibus remedium eſt, atque inedia; verum non ita potens ſicuti purgatio, quia non idem eſt carnes habere humidas, quaſi habituali temperie, & exudare copioſe ex humorum abundantia facultatem grauante. Seu igitur ſudor ſit in toto corpore continue fluens, ſeu in parte, morbi eſt prænuncius, non tamen ſi quis exu-*

 dat

dat uentres inferiori, debet uomitu purgari, ſed deiectione, niſi reuulſionis ratione quiſpiam id tentare uelit.

APHORISMVS LXII.

Si febres tertio quoq; die, &c.

Hinc libro quarto abundè declarauimus ubi uidere poteris.

APHORISMVS LXIII.

Quibus febre longæ, &c.

Hic etiam libro quarto explanatus eſt.

APHORISMVS LXIIII.

Quibus tubercula aut, &c.

ET hæc ſuperiori libro quarto eſt repetita ſententia, cuius expoſitionem eo loci perquirito.

APHORISMVS LXV.

Si quis febricitanti cibum prębeat, &c.

CVm de fame in præcedenti uerba feciſſet, adducens eam ut remedium humiditatis carnium; nunc de cibo verba facit, qui famis eſt remedium, & affert ſententiam notatu dignam. **Cõnexio.**

Cibus ſano robur, febricitanti morbus eſt. **Intentio.**

Vt demonſtret ſanorum diętam nullo pacto conuenire ægris, & è contra ægrorum diętam nociuam eſſe ſanis. **Rõ intentionis.**

Cibus ab ægro nõ ſuperatur a ſano ſuperatur: ergo in febrienti morbũ, in ſano robur auget. Antecedens declaratur: quia ægri imbecillem habent calorem, & ideo alimentum plenum ſuperare nequeunt: contra uero ſani, cum calore & uiribus ualeant, ſuperare poſſunt. Conſequens probatur: quia cum alimentum non ſuperatur crudum fit & corrumpitur, quare morbum auget: cum ſuperatur roborat: unde ſcripſit libro de alimento Hipp. nutrimentum alere, cum id quod ſuperingeritur ſuperatur, id uero quod prius ineſt ſuperat: ſuperant partes corporis quæ nutriuntur, iſta enim prius inſunt. **Demonſtratio.**

1. adnotatio. *Quod homines, ut docet Hipp. de ueteri medicina à primo illo æuo uictu beſtiarum nutriebantur: cum uero ille eſſet inſuperabilis ab humana natura, frumenta & carnes temperarunt & reduxerunt per cocturam & alias alterationes ad eam diſpoſitionem qua ſuperari poſſent a natura noſtra ſana exiſtente. Verum quia cum ægrotamus ſanorum victum ſuperare non poſſumus, ideo inuenerunt modum alium cibandi qui per ſolutiones & potiones fit, quæ cũ debiliſſimæ ſint facile ſuperari poſſent a natura imbecilli. Medicus itaq; debet alimentum dare ad proportionem uirium, ſanis plenum quod uires augeat, aut conſeruet, ægris tenue quod uires parum imminutas ſeruet. At ſicuti ægris ſanorum victus malus eſt, ita ſanis ægrorum: unde periculoſam ſcripſit primo huius, exquiſitam rationem uiuendi in ſanis, quia errata grauius ferunt, & quia debiles cibi ſexto Epidem. breuem uitam faciunt: rurſus magis nocere ſanorum dięt am ægris, quia ſanis cum feris communis eſt, & difficile ſuperatur. Aegri ergo, qui cibum debilem ſuperare non poſſunt ſorbitionibus, qui ſorbitiones nõ poſſunt, potionibus, qui nec eas ferre poſſunt, inedia debent tractari. Magna autem & maxima medicinæ pars, imo antiquiſſima eſt, quæ per dięt am fit, quamuis ueteres medici nil memorabile de ea dixerint, ut primo acut habemus.*

APHORISMVS LV.

Quæ per ueſicam permeant, &c.

Conexio. H*Vnc Hipp. vrinam in contemplatione aſſumit, cum antea multa in particulari de urinis dixiſſet.*

Intentio. *Vrina quo ſanorum fuerit ſimilior, eo ſalubrior fuerit, quo uero diſſimilior eo inſalubrior.*

Rō intentionis. *Vt demonſtret exemplo urinæ cætera excrementa conſideranda, ſic ut fiat comparatio per ſimilitudinem uel diſſimilitudinem ad ſanos, qui modus frequens ei in prognoſtico fuit, & analogiſmus dicitur.*

Demonſtratio. *Vrina quo fuerit ſimilior ſannorum eo minorem oſtendit morbum, & quo diſſimilior fuerit eo maiorem: ergo illa ſalubrior, hæc uero inſalubrior eſt cenſenda. Antecedens & conſequens de ſe manifeſta ſunt adeò ut nulla egeant probatione.*

1. adnotatio. *Quod Hipp. duplici ratione indagat ſignum, uel per analogiſmum, vel epilogiſmum, primus modus per comparationem fit rei præter naturam ad naturalem, ut de facie illa horrenda lethalem dicebat in prognoſtico, quia ſimilis mortuo eſt, & ſalubris ſi ſanorum ſimilis fuiſſet: ſecundus modus eſt cum per cauſam indagat naturam affectus, ut de facie illa diximus eſſe lethalẽ, quia ſignificat ſpiritus & calidi innati cõſumptionẽ.*

Quod

Quod non ſolum hæc ſimilitudo uel diſſimilitudo facienda in urina, ſed in alijs fecibus, ſputis, ſudoribus, mucis, ſordibus, alijsq; excrementis: Verum urinã nominauit, quia in febribus potiſſimum eſt & fidiſſimũ ſignũ. Sed cõtigit aliquãdo ut urina ſit ſano ſimilis, ut in maligna febre: at hoc non repugnat, quia illa urina quantum in ſe eſt ſalutem indicat, ſed moritur æger ex alia affectione. In urina itaq; conſideramus ſubſtantiam, qualitatem, quantitatem, tempus, modum; in quibus omnibus comparatio fieri debet. dixit autem, quæ per urinam permeant, ut maxime ſedimenta notaret, quæ præcipue in urina indicare ſolent. 1. adnotatio.

APHORISMVS LXVII.

Et quibus in deiectioribus, &c.

CVm urinam conſideraſſet in antecedenti Aphoriſmo, accedit modo ad feces & alui excrementa. Cõnexio.

Duę pronuntur concluſiones, quarum altera docet ſtrigmenta in fecibus morbum indicare magnum ſi multa fuerint, at paruum ſi parua: ſecũda, uero quod quibus talia adſunt, inferius ſunt purgandi. Intentio.

Vt doceat non ſolum quid prædicendum ſit ubi talia in deiectionibus ad ſunt, ſed & curationem fieri debere per infernam purgationem. Rõ intentionis.

Strigmenta in deiectionibus ſunt præter naturam: Igitur ſi plura fuerint maior, ſi pauciora minor morbus ſignificabitur. Antecedens declaratur; quia ſtrigmenta, aut ramenta per deiectiones eiici non eſt ſecundum naturam. Conſequens manifeſte ſequitur. Demonſtratio. 1.

Impura corpora indigent purgatione: ergo quibus in alui fecibus ad ſunt ramenta, ſunt infra purgandi. Antecedens ex libro ſecundo habetur. Conſequens probatur; quia talia corpora impura ſunt, & ad uentrem infernum, per inferna purgationem deſiderant. Demonſtratio. 2.

Quod ſtrigmentum uel ſignificat ramentum quod corroſis inteſtinis effluit, aut pituitæ fruſtula inteſtinis adherentia, aut lumbricorum fruſtula, aut concretum ſanguinem, uel ſtridentem alui fluxum de quo in prognoſtico. Quocunque modo intelligas, uera eſt Aphoriſmi ſententia: nam purgatio inferna indicat, alioquin quanto magis corpus nutries tãto magis læſeris, quia impurum: locus eſt ſecundo Epid. ſect. tertia vnde huc tranſtulit uerba, uentres turbati tenuibus aquoſis, non bilioſis, cum multa ſpuma, &c. habebant autem aliquando hypoſtaſim repoſitæ, ut non ſolum in urina, quod proprie fit, ſed in fecibus conſiderandis, Hipp. notauerit ſubſidentias. Subſidentia uero fit, uel quando pars craſſa ſubtenui ſubſidet, uel quando exhalat tenuior pars & craſſa remanet. 1. adnotatio.

2. Adnot. *Quod Galenus negat Aphoriſmum hunc eſſe Hipp. cum ſit ænigmaticus, & ſtylum eius non ſeruet. Sed cuiuſcunque ille ſit, quia ex eo ita intellecto fructus aliquis colligi poteſt, ideo non eſt cur derelinquatur, imo admiranda eſt auctoris diligentia, qui in excrementis alui inſpiciendis perquam diligens fuit, licet res indigna uiro philoſopho uideatur; ſalutis tamen humanæ ſeruandæ gratia faciendum eſſe, res eſt quę pio & egregio uiro maxime competit, & ſalutis humanæ amantiſſimo.*

APHORISMVS LXVIII.

Quibus cruda deorſum ſubeunt, &c.

Conexio *SIcuti in præcedenti de alui deiectionibus egit, hic etiam de illis ipſis ſermonem inſtituit.*

Intentio. *Quibus cruda deorſum ſubeunt ab atra ſunt bile, ſi plura copioſiori, ſi pauciora minore.*

Rō intentionis. *Vt doceat quod fortaße vulgus ignorat, cruditates magis ex atra bile quam ex pituita prouenire, & atram bilem vere eſſe crudum humorem.*

Demonſtratio. *Atra bilis potiſſima eſt cruditatis cauſa: ergo quibus cruda ſubeunt, ex ea proueniunt, plurima, uel pauca. Antecedens probatur, quia ex liene non mediocris melancholiæ quantitas ad uentriculum fertur per canalem a natura demandatum, unde fit, ut cum magis, quam decet abundat, cruditatem faciat. Conſequens facile ſequitur; quia ſi atra bilis cruditatis potiſſima cauſa eſt, igitur excrementa cruda per aluum uenientia ex ea prouenient.*

1. Adnot. *Quod duæ ſunt cruditates, altera nidoroſa quæ per aduſtionem fit, altera accida, quæ ex frigiditate naſcitur. Hipp. non loquitur de prima, ſed de ſecunda cruditate. Rurſus cruditas cum ex frigiditate ortum habet, uidetur habere cauſam, non atram bilem, ſed magis pituitam; unde ſcripſit, eos qui acidum ructant non admodum fieri pleuriticos. Reſpondit Cardanus pituitam non eſſe uerè humorem crudum, quia unus eſt ex quatuor humoribus: at hic intelligit crudum quod eſt præter naturam. Verum negandum non eſt etiam ex pituita prouenire cruditatem, ſed tamen quia pituitæ frequens cauſa eſt flatuoſa melancholia translata à liene, uel hypochondrio ad uentriculum, ideo ex atra bile dixit prouenire cruda, quæ deorſum uergunt.*

2. Adnot. *Quod excrementum crudum dicitur, uel quia ſit liquidum qualis per diarrheas eijcitur, uel quia cibus qui accipitur non coquitur, ut per dyſenterias, aut quia humor aqueus deijcitur & craßæ ſubſtantiæ, & talis ex atra bile coctione corrumpente gigni ſolet, & in hominibus calidæ & ſic*

cæ naturæ non minus quam in melancholicis fieri ſolet. Slioſum autem excrementum liquidum, crudum dicitur; non quia ſit ex caloris defectu, ſed quia ad illam formam non eſt redactum quam cocta excrementa requirunt ut conſiſtat.

APHORISMVS LXIX.

Excretiones in febribus, &c.

IAM libro quarto cum hac ſententia repetatur, a nobis eſt expl.

APHORISMVS LXX.

Corpora cum quis purgare, &c.

Libro ſecundo eandem ſcripſit ſententiam Hipp. Verum quod hic additur ſiſtendam aluum cum quis per ſuperiora purgare contendit, laxandam uerò cum econtra, non eſt a ratione alienum: nam ſi quis uomitu purgare intendit, non debet irritare naturam per medicamenta ad infernam deiectionem, ſed leuiori uomitu facere ut ſurſum tendat: ſic cū per aluum euacuare licet, debet uti enematibus & his quæ leniter mouent, ut ſic factos corpore fluxili melius cedat purgatio. Tripliciter autē redditur corpus fluxile ante purgationem, vel per aſſuefactionem leuioribus medicamentis præparantibus ad uomitum, ſeu diectionem, vel per humoris præparationem attenuando & detergendo, vel per uiarum humectationem & apertionem; patet enim humiditatem tum corporis tum externam aeris fluida reddere corpora, ſi quid aliud ad purgationem hoc efficit; unde cibo, & quiete, & balneo tanquam principalibus diſponentibus utitur Hipp.

Quod humor tenuis quatenus talis eſt, non requirit excraſſationem, 1.Adnot.
ad hoc ut ope medicamenti trahatur, quia humor quo tenuior fuerit eo etiam melius cedit. Cum autem non per attractionem ſed impulſionem debet educi humor, ut ex thorace, requirit mediocritatem, & fame incraſſamus tenuem humorem, quia tenuius non reſiſtit aeri, ſicuti & craſſum attenuamus. Et licet natura in expulſione quæ eſt per aluum & urinas, humorem requirat mediocrem, hoc eſt, quia prius intendit coctionem quam expulſionem, & cum coctio fiat incraſſando, excrementa quoque craſſiora euadunt: unde patet medicamenti tractionem non impedire humoris tenuitatem, & ideo præparationem ſemper attenuando fieri, modo per calida, ut oxymel, modo per frigida, ut acetoſum ſirupum, aut cichoreæ ſi craſſities a calore fiat.

APHORISMVS LXXI.

Somnus & uigilia modum ſi,&c.

IAM libro ſecundo repetitur hæc eadem ſententia & explicatur.

APHORISMVS LXXII.

In febribus non intermittentibus,&c.

HIc Aphoriſmus quarto quoque libro ponitur & ibidem abundè declaratur.

APHORISMVS LXXIII.

In febribus non intermittentibus ſi labrum,&c.

ET hunc quarto libro enucleauimus.

APHORISMVS LXXIIII.

Albę pituitę aqua intercus,&c.

Cõnexio. *CVm de deiectionibus crudis egißet ſupra, nunc in albam pituitam & hydropem incidit, quæ ex cruditate fieri ſolent, uel cruditatis ſunt ſoboles.*

Intentio. *Albæ pituitæ aqua intercus ſuperuenit.*

Rõ intentionis. *Vt medicus & prædicere & præcauere hydropem poſſit, ubi corpus alba pituita ſeu leucophlegmatia laborat.*

Demonſtratio. *Leucophlegmatia refrigerationem hepatis ualidam minatur: ergo hydropem quæ aqua intercus dicitur. Antecedens probatur; quia pituita alba nil aliud eſt quam tumor quidam ædematoſus totius corporis ex hæpatis refrigeratione proueniens, quæ ſanguinem crudiorem gignit: ergo durante malo, & facta obſtructione hepar ualde refrigerabitur. Conſequens declaratur; quia aſcites, per quam aquoſa hydrops gignitur ex hępate iam ualde refrigerato procedit; alba enim pituita a minori fit frigore quam aſcites.*

1. Adnot. *Quod aſcites differt ab alba pituita ſecundum magis & minus: nam alba pituita in fieri eſt, & à minori fit refrigeratione, aſcites in facto & oritur ex hepatis refrigeratione maiori, ideo medicus ex tempore ſuccu-*

rat

rat opportet, & purgando humorem multoties, & corpus exercendo, & exſicantem ac tenuem uictum præcipiendo. Conuenit etiam per cruſtas iecur adurere, & ſi malum ex liene incipiat, lien corrigendus; ſi ex menſtruorum retentione menſtrua prouocanda, quo ingenio aquam intercutim præcauere poterimus.

APHORISMVS LXXV.

A diarrhea dyſenteriam, &c.

CVm de alba pituita & aſcite quæ ſibi inuicem conſequi ſolent egiſſet Hipp. in antecedenti nunc de diarrhea & dyſenteria loquitur, quæ & ipſæ ſibi ſuccedere conſueuere. Cõnexio.

A dyarrhea dyſenteria. Intentio.

Vt medicus & prædicere & præcauere poſſit dyſenteriã quoties dyarrhea hominem apprehendit. Rõ intentionis.

Dyarrheæ cauſa plerumque eſt humor mordax: ergo timor eſt dyſenteriꝫ. Antecedens declaratur; ſiquidem diarrhea plerumque ſequitur acres excretiones, quales ſunt bilis & pituitæ ſalſæ, aut atræ bilis. Conſequens declaratur; nam cum dyſenteria ulcus ſit inteſtinorum, quod ex humore mordaci facile fit, ſequitur quod ex diarrhea facili negotiõ dyſenteria gignatur. Demonſtratio.

Quod medicus, ubi dyarrheam conſpicit & acrem humorem excerni uidet debet tunc purgare, & refrigerantibus & obtundentibus præcauere ne fiat dyſenteria, quæ grauis & peſſimus eſt morbus. Eo autem magis ſperanda eſt dyſenteria quo ſincerior fuerit humor qui excernitur: unde dicebat ſupra, a ſincera deiectione dyſenteriam fieri. Cæterum Auicena ſcribit bilem intra dies 14. ſalſam, pituitam intra menſem, melancholiam intra quadraginta dies efficere ulcus, unde dyſenteria. 1. Adnot.

APHORISMVS LXXVI.

Dyſenteriꝫ ſuperuenit, &c.

CVm in antecedenti de dyſenteria tractaſſet, in quam diarrhea tranſmutari ſolet, nunc de lienteria ſermonem inſtituit, quæ dyſenteriæ ſuccedere ſolet. Cõnexio.

Dyſenteriæ ſuperuenit lienteria. Intentio.

Vt oſtendat hos tres alui fluxus ſibi inuicem conſequi, diarrheam dyſenteriam, & lienteriam. Rõ intentionis.

Per dyſenteriam uirtus retentiua inteſtinorum & uentriculi debilitatur: Demonſt.

tur: ergo lienteria illi ſuccedet. Antecedens patet, ſiquidem per dyſenteriam inteſtina grauiter affliguntur & irritantur: & per conſenſum etiã uentriculus ſic ut ne minimũ cibi continere poſſit. Conſequens probatur; quia dyſenteria alui fluxus eſt per quem cibi citiſſime & fere immutati deijciuntur.

1. Adnot. *Quod lienteria uidetur eſſe ſignum pathonomicum ipſius dyſenteriæ, quia patitur uentriculus per conſenſum & irritantur inteſtina ut ferè nihil continere poſſint. Cur igitur Hipp. ponit hic eam quaſi ſuper uenientem ſignum? An quod illud ſuperuenire non ſignificat futurum tempus ſed præſens. At dicit ſuperuenire, quia effectus eſt dyſenteriæ? vel dic dyſenteriam quæ in tenuibus eſt inteſtinis habere patognomonicam lienteriam, non tamen eam quæ eſt in craſſis, quia magis diſtat a uentriculo.*

APHORISMVS LXXVII.

A ſphaceliſmo oſſis abceſſus, &c.

Cõnexio. *CVm in præcedentibus Hipp. de tranſitu unius morbi in alterum egiſſet, nunc in eandem intentionem aſſumit propoſitionem ad chirurgiam ualde utilem.*

Intentio. *A corruptione oſſis abceſſus.*

Rõ Intentionis. *Vt doceat os corruptum ex ſe exciſurum, ac perinde non eſſe opus ut medicus ui euellat ante tempus.*

Demonſtratio. *Natura in ſui conſeruationem ſemper agit: Ergo ſeparabit os coruptũ a ſano. Antecedens eſt manifeſtum. Conſequens probatur: quia ſi os fuerit corruptum, ſeparata parte corrupta, ui naturæ denique eijcietur.*

1. Adnot. *Quod Aphoriſmus duplicem intellectum habere poteſt, primus ut illa corruptio carnis intelligatur circundantis os, ſic, ut a corruptione illius os abſcedat. Secundus, ut de ipſius oſſis corruptione & nigredine intelligamus, ut pars oſſis quæ putredine afficitur denique abſcedat, quo utroque modo uera eſt ſententia. At dices, cur ex Sphacelo carnis non fit abſceſſus carnis putridæ, ſicuti in oſſe, imo totum corpus ſolet corrumpi, ſerpente putredine? Dic quia os ſiccum eſt & expectare poteſt ut fiat ſeparatio boni à malo quid in carne non fit, quia antequam ſeparetur ſuam communicat affectionem toto. Videmus etiam in unguibus per eorum abſceſſus decidere illos & renouari ad ſimilitudinem oſſium.*

2. Adnot. *Quod in corruptione oſſis quæ per deſquammationem fit, non debet chirurgus extrahere oſſicula, ſi nimis reſiſtant, ſed expectare ut in totum ab-*

ſcedant

cedant naturæ opem, & maximè in capite. Interim tamen ſiccantia adhibenda, ut gummi elemi therebintian quæ ſaniem, attrahant dum os abſcedit: ubi tamen os carnem contraxit, aut igne, aut corroſione ſanandum.

APHORISMVS LXXVIII.

A ſanguinis uomitione tabis, &c.

CVm in antecedentibus inſtituiſſet ſermonem de ſuperuentu unius morbi ad alterum, nunc eandem agit materiam, & proponit ſanguinis uomitum & tabem. Cōnexio.

A ſanguinis uomitu tabes & puris ſupernè purgatio. Intentio.

Vt oſtendat quam horrendum ſit ſanguinem per os educere, cum tabis lethaliſſimi morbi periculum minetur, & proinde citiſſimè occurendum eſſe. Rō intentionis.

Sanguis præter naturam in uentrem effuſus ſuppuratur: ergo ex uomitu illius tabes, & puris purgatio cōtinget. Antecedens eſt Aphoriſmus 20. lib. ſexto. Conſequens probatur; quia pus in thorace contentum ex ſanguine genitum, erodit pulmonem, unde tabes fit; & ad tabem puris ſputio ſequitur. Demonſtratio.

Quod hic uomitum ſanguinis eum intelligit, qui cum tuſſi fit, & ex pulmone educitur, & habet frequentem occaſionem ex ruptura alicuius uenæ ob laborem aut uociferationem, & ijs præcipuè qui debiles habent pulmones. Huic malo citiſſimè admouenda ſunt remedia ante quam inflãmatio corripiat, quia ea facta uix ac ne uix quidem, ſeruari poteſt æger, Medebitur ergo uel euacuatione ſanguinis ex utroq; brachio; vel quæ ſine illa cucurbitis, ligaturis, ac frictionibus fit: quies quoq; & ſilentium imperanda, tenuiſſimuſque uictus præſcribendus ex ptiſana ſolum; hinc theriaca recenti, & diaſpermate utendum. Adnotatio.

APHORISMVS LXXVIII.

Qualia quę per urinas & aluum ſubeunt, &c.

CVm hactenus Hipp. multa tractaſſet quæ ad cognitionem, prænotionem & curationem morborum pertinebant, nunc in conſiderationem proponit quid maxime conſiderare debeat medicus, ut magnitudinem morbi cognoſcat in quo tota prædicendi ratio conſiſtit. Cōnexio.

Conſiderandum in excrementis quæ alij & in corpore in ſunt quantum à naturali ſtatu deceſſerint, ut quis morbi magnitudinem aut paruitatem cognoſcat. Intentio.

Vt

Rō inten-
tio. *Vt medicus omnia ſigna cōſideret, & illa comparet ad ſtatum naturalem, ad morbi magnitudinem dignoſcendam, qua in re omnis prædicendi ratio continetur; magnitudo enim morbi ex ſymptomate potiſſimum æſtimatur.*

Demon-
ſtratio. *Morbi magnitudo, aut paruitas ex receſſu & diſtantia à naturali ſtatu dignoſcitur: Ergo ſi quis eam cognoſcere vult, excrementa conſiderare debet, ut quidquid in corpore eſt, quantum à naturali ſtatu receſſit, intelligere queat. Antecedens eſt manifeſtum. Conſequens deducitur; quia per excrementa & reliqua ſymptomata tanquam per ſigna quæ morbum comitantur præcipue & maxime receſſus ille dignoſcitur.*

1. Adnot. *Quod magnitudo morbi cognoſcitur ex morbo ipſo, ſeu illius eſſentia, ex cauſis, & ſymptomatibus. Sed Hipp. ſymptomatis mentionem fecit, quia ſunt magis ſenſui nota. Inter ſymptomata uero illa numerauit, quæ ad urinas, alui feces, & ſudores pertinent, quippe quæ ſunt firmiſſima & fida magis, cum ad coctionem & cruditatem pertineant, de hinc ex læſis actionibus & mutata qualitate eſt facienda comparatio ad ſtautum naturalem; quod fit dupliciter; uel ad humorem ſanum in communi, vel ad hunc particularem hominem, cum ſanus eſſet: id quod in facie illa adnotauit, in prognoſtico: Ex receſſu itaque maiori, uel minori eorum, quæ in corpore ſunt medicus magnitudinem morbi dignoſcit. Debent autem conſiderari omnia ſigna, (vt ſcripſit in prognoſtico) & illa non ſolum numero, ſed magnitudine expendenda; quod ſi omnia ſint bona, ſanabitur æger; ſi uero mala, morietur; Si partim bona, partim mala, dubius erit euentus: quo in ſtatu medicus acuratus & diligens ſit oportet ad coniecturam faciendam, ne erret. In hanc intentionem ſcripſit Hippoc. conſiderandam eſſe naturam hominis ex natiuitate, &*
6. Epid. 3. *cauſam vnde ægrotare cæperit, pluriſmiſque rationibus & paulatim in cognitionem deuenire, colligere ac addiſcere, an ſimilia ſint inter ſe, an diſſimilia, quo ex diſſimilitudinibus ſimilitudo fiat una.*

2. adnota
tio. *Quod tota prædicendi ratio conſiſtit in duobus, locis ſcilicet, à quibus ſigna ſumuntur, & ratiocinatione qua inuicem comparantur. Loca plurima ac præcipua explicauit Hippoc. in prognoſtico quæ ferè hæc ſunt: Facies, oculi, labia, dentes, decubitus, ulcus, manus, ſpiratio, ſudor, tumor, hypochondrij, pus, hydrops, calor, motus, ungues, teſtis, ſomnus, & egeſtio, flatus, urina, uomitus, ſputum, ſuppuratio, grauedo parotis, dolor capitis, aurium, veſicæ, faucium, hæc ſunt loca precipua à quibus ſigna ſumit Hippoc. ad prædictionem in acutis morbis neceſſaria, que cum Ioſepho Strutio (qui artem pulſuum, conſcripſit, ad compendioſiorem reduci poſſunt doctrinam, his uerſibus,*

Morbus, cauſa, locus, ſymptomata, nata facultas,
Conſimiles ægri, mos, actio, pharmaca, geſtus.

In

In rationibus autem, quæ ad prædicendum aſſumuntur, ſunt analogiſmus, & epilogiſmus; quorum alter per ſimilitudinem & diſſimilitudinem ad ſtatum naturalem ſigna conſiderat; alter uero ex propria cauſa cuiuſque. Accedit ad hæc cautio illa, qua ſemper debemus conſiderare, num ſigna a cauſa externa proueniant, uel interna, quod ex interrogatione potiſſimum dignoſcendum eſt. Verum de his in prognoſtico uberius Deo dante agemus, nunc iſta obiter explicaſſe ſufficiat.

Commentariorum Roderici à Fonſeca in Aphoriſmos Hippocratis.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE